



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrорvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuissimiè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1646

urn:nbn:de:hbz:466:1-40233

existat in albis 130 imperial.
compactura 122 rectura 62

Th. 2153. 1

THESAVRVS
SACRORVM RITVVM,
SEV
COMMENTARIA
IN RVBRICAS
BREVRIARI I ROMANI
CLEMENTIS VIII. ET URBANI VIII.
AVCTORITATE RECOGNITI:

Auctore adm. Reuerendo P. D.

BARTHOLOMÆO GAVANTO MEDIOL.
Præposito Prouinciali Romano Congreg. Clericorum Regularium
S. Pauli, & S. Rom. Rituum Congreg. Consultore:

*In quibus origo cuiusque Ritus, Causa historicæ, vel mystica, ex maiorum
ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Uſus, additis opportu-
nè Decretis omnibus S. Rituum Congreg. quām breuissimè explicantur:*

Ab Auctore recognita, & in hac vltimâ Editione variè locupletata.
Appendices dabit pagina sequens. Cum quatuor Indicibus.

TOMVS SECUNDVS.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XLVI.

APPENDICE S.

Martyrologij nomina dubiæ pronuntiationis ordine
Alphabeticō collecta.

Ordo perpetuus Officij diuini recitandi.

Concordia Martyrologij Romani cum Breuiario Romano.

Vita & res gestæ S. Pauli Apostoli.

Quod S. Bartholomæus Apostolus sit idem ac Nathanael.

DON IVLIUS CAVALCANVS

Congreg.Cler.Reg.S.Pauli Præpositus Gen.

Cv m Opus R. P. D. Bartholomei Gauanti Visitatoris Generalis no-
stræ Congregat. cui titulus est, COMMENTARIA IN RVBRICAS
MISSALIS, ET BREVIARII ROMANI, duo eiusdem Congregationis eru-
diti ac sapientes viri recognouerint, atque in lucem dari posse probaue-
rint, potestatem facimus, ut in publicam utilitatem typis mandetur, si
& ijs, quibus id competit, ita placuerit. In quorum fidem, &c. Dat Medio-
lani in Collegio nostro SS. Apost. Pauli & Barnabæ, die 14. Iulij 1627.

D. Iulius Caualcanus Præpositus Generalis.

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo P. Mag. Sac. Pal. Apost.

A. Episcopus Bellicastren. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Riccardius Sacri Pal. Apost. Mag. Ord. Praed.

* 2

C A N-

C A N D I D O L E C T O R I A N D R E A S B R O G I O T T V S.



E c Sibyllæ folia, in quibus scribebantur oracula, & quæ auris cœlestibus afflari olim solita fuisse, Poëta suis fabulis memoria prodiderunt, tam citò per antrum spargebantur, quām citò per Vrbem, atque hinc per Orbem vix typis missa, ex officinis Bibliopolarum volitarunt eruditissima Commentaria in Rubricas Missalis & Breuiarij Romani, à R.P.D. Bartholomæo Gauanto Clerico Regulari S. Pauli diligentissimè elaborata. Fuerit dignitas planè cœlestis Rituum Sacrorum, quorum traditur accuratissima cognitio: fuerit nobilitas præclarissimi Ordinis, qui aurea veluti Catena, dum gemmas sacrarum eruditio num in vnius Voluminis aureo tamquam monili conclusit, illustriores effecit: fuerit demum vtilitas; seu necessitas præstantissimi Operis, plenissimique sacrae delectationis, quæ vniuersos pñè Ordines Reipublicæ Christianæ, vt emerent, ac lectitarent, pellexit: illud certè verò est verius, tam felicibus auspicijs in lucem Opus prodisse, vt prodire iterum homines sapientissimi, non cupiant solum, verum rogint etiam vehementius; rara Operum felicitate, his præsertim temporibus, in quibus librorum supereffluens copia legendi satietatem inuexit. Quorum ego honestissimæ postulationi ira occurrentum existimauit, vt nouis, supra trecentas, præclarissimis Annotationibus ditatum Opus, ijsque Romanâ lance non semel examinatis, illustrioris Tituli nouum præferat in fronte decus. Ac quemadmodum in eo congestæ conclusæque sunt Christianæ pietatis, & diuini cultus, pretiosissimæ opes, vt vix quidpiam in hac parte desiderare aliud religio hominis solertissimi possit; non secùs, vt rerum opulentissimæ dignitati nominis præstantia responderet, *Thesaurus Sacrorum Rituum* deinceps appelletur.

Sed Thesauri, qui vel in publico Ciuitatis, vel in Cæsaris loco inueniretur, dimidium esse Cæsaris, dimidium Inuentoris naturalem æquitatem fecuti Romani Principes præclaris Constitutionibus olim statuerunt: opportunè ad rem meam, atque ex animi sentētia; An melius optari quidpiam à me poterat, quām vt Thesaurus hic à me inuentus, ipso vel Iure Cæsareo, Summo deberetur Pontifici, ac integerrimo eiusdem Nepoti; quorum alterum rerum Sacrarum Arbitrum supremum, alterum proximum ministrum cœlestis prouidentia Ecclesiæ sua dedit? Curæ igitur secundæ huius excudendi Operis omnis prorsus expertes sunt curæ, cum nouæ Epistolæ nuncupatoriaræ, tum exquirendi Sacri Principis, cui possent hæ iterum dicari. Priorem enim partem VRBANI VIII. Pont. Maximi, alteram esse Francisci Cardinalis Barberini, non loci possessio, in quo inuentus Thesaurus est, sed Maiestas nominis, quo inscriptus est, apertissimè demonstrat.

Si quæ mihi pars Inuentori obueniret, ea demum tota eorumdem est, quibus ego iam pridem, & mea, & meipsum lubentissimè deuoui. Vale candide Lector, & Thesauro in compendium misso sospes fruere.

F R A N-

FRANCISCO BARBERINO
C A R D . A V G V S T I S S I M O ,

V R B A N I V I I I . Pont. Max. Nepoti,

S. R. E. Bibliothecario,

Auenionensium Legato laudatissimo,

Aragoniar, Angliae, Lusitaniar, Scotiar,

Græcorum, & Heluetiorum Protectori Vigilantissimo,

omnium amore, honore omnium dignissimo,

ad summos Europæ Reges armis diffidentes

Caduceatori felicissimis ominibus misso,

ab omni elatione eò longius remoto

quò propius summis honoribus coniuncto,

Virtutum copia non minus quam Purpura

in publica terrarum Orbis scena spectatissimo

in partem ideo supremæ sollicitudinis Pastoralis

&

I E P O N O M O Φ Y Λ A K H Σ

meritissimè accito,

P A R T E M A L T E R A M C O M M E N T A R I O R V M

in Rubricas Breuiarij Romani

Bartholomæus Gauantus Cler. Regul.

S. Pauli minimus

Sociorum etiam nomine

D. D. D.

AD C A N D I D U M LECTOREM.



REVIARII Romani Leges & Rubricas , neminem adhuc legi , qui plenè explicauerit : nonnullas attigit in suo Cærimoniali Hispano Petrus Ruiz ; sed , earum aliquot in prima recognitione Breuiarij meritò mutatis, redditus est ferè inutilis eiusdem laudabilis labor. antiquiores alij, qui de Horis Canonicis scripserunt, quām paucissimas sunt persecuti ; earum formam cum causis mysticis indicarunt , prætereà nihil. plurimæ post Concilium Tridentinum additæ fuerunt Rubricæ, quæ Commentarijs egent, & Notis. Post horum Commentariorum Editionem primam , scripsit in easdem Breuiarij Rubricas Thomas Aluarez Lusitanus non contemnendum Opusculum ; in quo tamen abundat ille sæpiùs in sensu suo , præter legitimum Rubricarum sensum, quem in Vrbana Breuiarij recognitione diligenter examinauerunt Delegati; & suis locis significabo. Itaque collegi in hoc altero Volumine Rubricas omnes, quæ ad Horas Canonicas attinent ; demonstrata , vt in priori Volumine, cuiusque ritus Origine , Causa , Obligatione , Praxi , & Vsu proprio , de Maiorum auctoritate , Decretis que sacræ Rituum Congregationis ritè & opportunè additis : diuersa tamen methodo à superiori Volumine; non textui Rubricarum moribus inhærens , sed ea omnia , quæ ad Breuiarium attinere , seu in Breuiario contineri videbantur, in decem Sectiones & centum Capita diuidens ; quibus non modò vniuersæ Ecclesiæ , cui labor meus deseruire potissimum debet, verùm etiam particularibus Ecclesijs, in ijs quæ earum sunt propria , fiat abundè satis . Moneo Lectorem , quod pro dignoscenda horum quoque Rituum antiquitate recurrendum erit ad primos prioris Voluminis Indices : proprios autem dabunt Indices proximæ, quæ sequuntur , paginæ . Vale, & Auctorem salutis ora pro salute auctoris.

IN-

INDEX

SECTIONVM ET CAPITVM

SECUNDI TOMI.

SECTIO PRIMA.

De Horis Canoniciis in genere.

- D**e nomine Officij & Horarum Canonicarum. Cap. i. 1
De origine Officij diuini. ii. 2
De partibus diuini Officij, & Horarum numero. iii. ibid.
De obligatione Officij diuini. iv. 3
De defectibus in Officio diuino contingentibus. v. 4
De omissione. Tit. i. ibid.
De mutatione Officij diuini. ii. 6
De intentione Officij diuini. iii. 8
De attentione Officij diuini. iv. ibid.
De prolatione Officij diuini. v. ibid.
De tempore Officij diuini. vi. 9
De loco diuini Officij. vii. 10
De ordine diuini Officij. viii. ibid.
De interruptione diuini Officij. ix. 11
De pœnitis circa diuinum Officium. Cap. vi. ibid.

SECTIO SECUNDA.

De Præludijs Breuiarij Romani.

- D**e titulo Breuiarij Romani. Cap. i. 13
De Bulla Pij V. & de vsu Breuiarij Romani. ii. 14
De Bullis Clementis VIII. & Vrbanii VIII. iii. 17
De Computo Ecclesiastico. iv. 18
De Calendario. v. 19

SECTIO TERTIA.

De Rubricis.

- D**e Rubricis generalibus Horarum Canonicarum. Cap. i. 20
De Duplici Officio. ii. ibid.
De Semiduplici. iii. 22
De Simplici. iv. 23
De Dominica. v. ibid.
De Feria. vi. 26
De Vigilia. vii. 27
De Octaua. viii. 28
De Concurrentia Officij. ix. 34
De Occurrentia Officij diuini, seu de Translatione Festorum. x. 36
De Commemorationibus. xi. 39
De Patrono loci, & Titulo Ecclesie. xii. 44
Decretum super electione Sanctorum in Patronos, à sacra Rituum Congregatione de ordine S. D. N. Vrbani Papæ VIII. emanatum die 23. Martij 1630. 45

SECTIO QVARTA.

De proprio ritu singularum Horarum Canonicarum.

- D**e Matutino. Cap. i. 49
De Laudibus. ii. 51
De Prima. iii. 54
De Horis, Tertia, Sexta, & Nona. iv. 56
De Vesperis. v. 57
De Completorio. vi. 59

SE-

SECTIO QVINTA.

Departium, hoc est Horarum partibus.

D E Oratione Dominica. Cap. i. 61	
De Salutatione Angelica. ii.	63
De Symbolo Apostolorum. iii.	64
De initio Horarum. iv.	65
De Inuitorio. v.	66
De Hymnis. vi.	67
De Antiphonis. vii.	73
De Psalmis. viii.	75
De Canticis. ix.	79
De Versibus. x.	81
De Absolutionibus, & Benedictionibus. xi.	ibid.
De Lectionibus. xii.	82
De Responsorijs. xiii.	89
De Responsorijs breuibus Horarum. xiv.	90
De Capitulis. xv.	91
De Oratione. xvi.	93
De Precibus, & Confessione. xvii. 95	
De Commemorationibus, & Suffragijs Sanctorum communibus. xviii.	97
De Hymno <i>Te Deum</i> . xix.	100
De Symbolo S. Athanasij. xx.	101
De Martyrologio. xxi.	102
De fine Officij, & Antiphonis finalibus B. Mariæ. xxii.	104

SECTIO SEXTA.

De Proprio de Tempore.

D E Aduentu. Cap. i. 108	
De Antiphonis maioribus Ad- uentus. ii.	109
De Dominicæ quarta Aduentus. iii.	111
De Vigilia Natiuitatis Domini. v. ibid.	116
De Natali Domini. v.	ibid.

De Festis infra Octauam Natiuitatis Domini. vi.	113
De Epiphania Domini. vii.	115
De Dominicis post Octauam Epiph- niae. viii.	117
De Septuagesima, & Dominicis se- quentibus. ix.	118
De Feria quarta Cinerum. x.	119
De Dominicis Quadragesimæ. xi. 120	
De Dominicæ Passionis. xii.	121
De Dominicæ Palmarum, & Hebd- omada maiore. xiii.	122
De Paschate, & eiusdem Octaua. xiv. 126	
De Tempore Paschali. xv.	127
De Litanijis maioribus & minoribus. xvi.	128
De Festo Ascensionis Domini. xvii. 129	
De Pentecoste. xviii.	131
De Dominicæ Trinitatis. xix. ibid.	
De Festo Corporis Christi. xx.	133
De Dominicis post Pentecosten. xxi. ibid.	

SECTIO SEPTIMA.

De Proprio Sanctorum.

D E Vigilijs, Festis & Octauis Sanctorum. Cap. i.	136
De Festis Sanctorum mense Decem- bri. ii.	138
De Festis Sanctorum mense Ianuario. iii.	140
De Festis Sanctorum mense Febru- ario. iv.	143
De Festis Sanctorum mense Martio. v.	144
De Festis Sanctorum mense Aprili. vi.	146
De Festis Sanctorum mense Maio. vii.	147
De Festis Sanctorum mense Junio. viii.	150
De	

De Festis Sanctorum mense Iulio. ix.

154

De Festis Sanctorum mense Augusto.

x.

157

De Festis Sanctorum mense Septem-

bri. xi.

162

De Festis Sanctorum mense Octobri.

xii.

166

De Festis Sanctorum mense Nouem-

bri. xiii.

170

SECTIO OCTAVA.

De Communi Sanctorum.

D E Communi Apostolorum.

Cap. i.

175

De Communi Martyrum. ii.

177

De Communi Confessorum.

179

111.

De Communi Virginum & non Vir-

ginum. iv.

180

De Communi Dedicationis Eccle-

siae. v.

181

De Officio B. Mariae in Sabbato.

v.

183

SECTIO NONA.

De Appendicibus Breuiary.

D E Officio paruo B. Virginis Ma-

riae. Cap. i.

185

De Officio Defunctorum. ii.

188

De Psalmis Gradualibus. iii.

194

De Psalmis Pœnitentialibus iv.

196

De Ordine Commendationis animæ.

v.

198

De Benedictione mensæ & Itinerario

Clericorum. vi.

199

SECTIO DECIMA.

De Cærimonij ad Horas Ca-

nonicas adhibendis.

D E Cærimonij in priuata Ho-

rarum Canonitarum recitatio-

ne. Cap. i.

202

De Cærimonij Horarum Canonica-

rum in Choro recitandarum. ii.

204

De Cærimonij Horarum Canonica-

rum in Choro solemnius recitanda-

rum. iii.

205

Notula Verborum in Breuiario pro-

ducendorum, vel corripiendorum.

209

Martyrologij nomina dubia pronun-

tiationis ordine Alphabetico. 212

Ordo perpetuus recitandi diuini Of-

ficij. 223

Concordia Martyrologij Romani cum

Breuiario Romano. 326

Placitum Hieron. Onuphrij de Horis

Canonisc : An mutatio Officij sit

lethalis, aut venialis. 329

De S. Paulo Apostolo Historia. 342

De S. Bartholomæo Apostolo qua-

stio, An sit idem qui Nathanael.

353



* *

Index

Index DECRETORVM sacra Rituum Congreg.
ad Breuiarij Romani perfectiorem cusum,
ordine temporum seruato.

Consecrator Ecclesiae potest
in actu consecrationis sta-
tuere alium diem pro an-
niuersaria eiusdem consecratione.
19. Febr. 1585. pag. 182, a

2 Qui sunt de gremio alicuius Ec-
clesiae, debent recitare Officium quod
in Choro dicitur, licet morentur ali-
bi. 8. Septemb. 1602. 6, a

3 Clerici, licet adscripti alicui Ec-
clesiae, non tamen obligati Choro, non
tenantur Officia recitare que in Cho-
ro propria dicuntur, eadem die. ibid.

4 De Sancto, cuius Reliquia in-
signis habetur, fieri potest Officium
Duplex. die 23. Nouemb. 1602. 6, b.
22, a

5 Vesperæ Defunctorum pro pri-
ma die mensis dicuntur post Vesperas,
etiam Dominicæ seu Festi, si accidat.
23. Maij 1603. 193, a

6 Psalmi Graduales & Pœnitenti-
tiales dicuntur licite, ubi est consue-
tudo, pridie Vespri Fer. 4. & 6.
2. Augusti 1603. 196, b

7 Non est relinquendum Of-
ficium Breuiarij pro Officio deuo-
nis. 29. Nouemb. 1603. 6, a

8 Dedicationis Festum extra actum
eiusdem non potest mutari ab Epi-
scopo. 16. Octob. 1604. 182, b

9 Si accidat Dedicatio in Natiuita-
te B. Virginis, fiat de ea, Missæ duæ
cantentur, & infra Oct. fiat de dignio-
ri. eodem die. ibid.

10 Episcopus Regularis debet re-
citatere Officium iuxta ritum suæ Di-
cessis, non Regulæ. 11. Junij 1605. 6, a

11 Cappellani Episcopi se con-
formare debent cum eo. eodem die.
ibidem.

12 Festum Patroni loci celebra-
tur sine Octaua à Regularibus. ibid.
46, b

13 Non potest Episcopus exten-
dere Officium à ciuitate ad Diœce-
sim. 16. Ian. 1607. 7, b

14 Officium paruum B. Virginis
debet dici etiam in Dominicis, si ade-
fat consuetudo. 1. Sept. 1607. 186, a.
etiam mutato Breuiario. 2. Ianuarij
1627. ibid.

15 Matutinum Defunctorum in
die Commemorationis omnium fide-
lium Defunctorum recitandum est
mane. 1. Septembris 1607. 171, b.
193, b

16 Festum S. Caroli in Prouin-
cia Mediolanensi celebrari potest ritu
Duplici. 20. Nouemb. 1610. 171, b

17 Festum & Officium S. Conradi
Placentiæ & Nettinæ in Sicilia con-
cessa sunt, die 19. Maij 1614. & Or-
dini sancti Francisci. 13. Septemb.
1625. 144, a

18 Nomine Festi intelligitur etiam
Dominica. 12. Martij 1618. 167, a

19 Dedicatio Ecclesiae Cathedra-
lis habet Octauam in ciuitate tantum.
2. Maij 1619. 102, b

20 Commemoratio de Cruce or-
dinaria sufficit in Ecclesijs dicatis in
honorem sanctæ Crucis pro com-
memoratione Tituli Ecclesiae. 30. Martij
1621. 98, b

21 Festum S. Ioseph est de præ-
cepto

Index Decretorum.

- cepto vbiique. 8. Maij 1621. 145, a
 22 Festum S. Francisci est vbiique
de præcepto. die 3. Ianuarij 1622.
168, a
 23 Festum S. Annæ est de præcepto
vbiique. 23. April. 1622. 156, a
 24 Vesperæ in Sabbato ante Do-
minicam priuilegiatam, in qua occur-
rit dies Octaua, dicuntur de Feria.
9. Nouemb. 1622. 31, b
 25 In fine Completorij Purifica-
tionis B. Virginis dicitur *Ave Regina.*
27. Iulij 1624. 105, b
 26 Symbolum S. Athanasij lauda-
bilius recitatur stando in Choro.
 23. Decemb. 1624. 204, b
 27 Officium paruum B. Virginis
in Choro tempore Paschalicitur si-
ne addito *Alleluia.* 28. Martij 1626.
187, b
 28 Litaniæ maiores, si occurrant
in die Paschatis, transferuntur in Fe-
riam tertiam. die 25. Septemb. 1627.
128, b. 146, b
 29 Officium Stigmatum S. Fran-
cisci pro Clero est Semiduplex. 2. Oc-
tobris 1627. 164, b
 30 Festum Angelorum Custodum
est Duplex minus. eadem die. 167, b
 31 Decreta de Officijs approbatis
de præcepto, SS. Bibianæ, Casimiri,
Ioachim, Catharinæ Senensis, Nor-
berti, Hyacinthi, Ludouici, Eustachij
& siorum, Brunonis & Birgittæ,
vide in Sect. 7. suis locis proprijs.
- 32 Decreta de Officijs ad libitum
SS. Philippi Nerij, Elisabeth, Stig-
matum sancti Francisci, Angelorum
Custodum, & S. Caroli, *vide ibidem.*
- 33 Non potuerunt neque possunt
Ordinarij addere Officia Sanctorum
proprijs Calendarijs. 8. Aprilis 1628.
7, a. 22, b
- 34 Officia non approbata damna-
tur. eadem die. 7, a
- 35 Officium Defunctorum dici
potest in diebus exceptis à Breuiario
pro implenda voluntate Testatorum.
12. Junij 1628. 191, b
- 36 Solemniter consueuisse fieri Of-
ficium, significat Festum populi, aut
Cleri, cum apparatu. 28. Augusti
1628. 17, a
- 37 De Sancto canonizato non po-
test fieri Officium sine novo Decreto
Congregationis extra propriam Eccle-
siam. 9. Decembbris 1628. ibid. b
- 38 Moniales ne dicant in Confi-
teor tibi Mater, vobis Sorores, sed ut
in Breuiario. 18. Augusti 1629. 97, a
- 39 Officium & Missa beati Ro-
chi conceditur tantum in Ecclesijs
eiusdem. 26. Nouembbris 1629. 7, b.
160, a
- 40 De electione Sanctorum in Pa-
tronos locorum decretum est 23. Mar-
tij 1630. 45, a
- 41 Non possunt addi nomina San-
ctorum Litanij neque Patronorum.
22. Martij 1631. 197, a



* * 2

IN-

I N D E X
R E R V M E T V E R B O R V M
Q V Æ C O N T I N E N T V R
I N H O C T O M O S E C V N D O.

Prior numerus Paginam , a Columnam primam ,
& b secundam indicat.

A.

- S. BRAHÆ Festum qualiter celebretur. pag. 88,b
 Absolutio in Matutino quid. 81,b. appellatur Versus. ibid. absolutionum distributio per dies. 82,b. absolutio Prima, & cur cum Capitulo None. 56,a Actus Apostolorum quando scripti, 84,b. 27,b.
Adorationes sunt genibus flexis, etiam tempore Paschali. 126,a Ad Viennensis, non Treverensis, fuit Auctor Martyrologij. 102,b.
Aduentus Officia propria. 108,& seqq.
Agape quid. 102,a
S. Agathæ dantur Psalmi virorum. 143,a
Agnes est etiam Genitui casus. 141,b
S. Agnetis Officium habet Psalmos vi- ris Sanctis assignatos. ibid.
Agonizantem que iunnant. 199,a
S. Alexander I. iussit Festum S. Petri ad Vincula. 157,a
Alexander II. deponi iussit Alleluia in Septuagesima. 118,b. assignavit Responsoria Septuagesima. 119,a
Alexander III. precepit Festum sancti Mathiae die 25. in anno bissexti- li. 144,a. auctor Officii S. Bernardi. 160,b.

- Alexander IV. instituit Festum sancte Clare. 159,b
Alexander VI. iussit Octauam Na- tunitatis beatæ Virginis ritu Dupli- citate. 163,b
Alleluia initio Horarum quid. 66,a unde. ibid. pro Alleluia Musici di- cunt in æternum. 118,b
Alma Redemptoris, vide Antiphona finales.
Alphabetum Hebreum indicat in sa- cris Litteris aliquid excellens. 124,a
Altaris titulus quomodo colendus. 48,a
Amalarinus auctor Officii Defunctorum. 188,b
S. Ambrosius quando copiis scribere li- bros de Virginibus. 141,b. eiusdem Festum an habeat Octauam apud Romanum Clerum Mediolani. 47,a addidit in fine Hymnorum glorifica- tionem Trinitatis. 78,a
Amen quid. 95,a
Anacletus Siccus edidit librum de Ec- clesiastica Hymnodia. 4,b
Angelorum Custodum Festum Duplex minus. 167,b
Annus bissextilis non est semper quili- bet annus quartus. 18,b
Antiphona quarta Dominice 4. Ad- ventus numquam omittitur, licet in Sabbato sicut de Dominica 4. 111,a
Antiphona quid. 73,b. auctor. ibid.

CMM

Index rerum & verborum.

cum Psalmis cur iungitur. 74, a.
 earum usus varius. ibid. aliae pro-
 priae, aliae communes, ibid. b. unde
 sumuntur. ibid. eadem cum initio
 Psalmi. 75, a. cur quarta Antiphona
 ad Laudes non adhibetur in Ho-
 ris. 74, b. modus enuntiandi Anti-
 phonas. 75, a.
 Antiphona ad Benedictus pro Confes-
 soribus Pontificibus & non Pontifi-
 cibus sunt diverse in fine, & in oc-
 currentia non sunt mutanda. 42, a.
 Antiphona finales B. Virginis. 105, a.
 auctor earum. ibid. usus in Choro
 & extra Chorum. 106, a. quando
 genibus flexis dicende. 107, b.
 Antiphona maiores in Aduentu cur
 ad Magnificat? 109, b. cur dupli-
 cantur? ibid. cur septem? ibid. quis
 earum ordo. 110, a. aliae priuile-
 giata in Aduentu. ibid. b. Hispa-
 ni anticipant Antiph. O. ex pridle-
 gio. ibid. quid, si dies 16. est Domini-
 nica? ibid.
 Antiphona propria in secundis Vesp-
 eris Apostolorum & Martyrum cur.
 176, b.
 Apocalypsis quando scripia. 84, b.
 128, a.
 Apostolorum Commune cur habuit duo
 communia Euangelia. 176, b. cur
 Antiphona propria in secundis Ve-
 speris. ibid. limina visitantur cum
 osculo. 173, a.
 Ascensionis Festum. 129, b. per de-
 cem dies. 130, b.
 Asteriscus in Psalterio quid denotet.
 79, b.
 Attentio in Officio que. 8, a.
 Ave Regina celorum, vide Antiphona finales.
 S. Augustinus auctor Officij Defun-
 torum. 188, b.

B.

S. B artholomei Vigilia, & Festum
 in Martyrologio Romano, ex-
 tra Romam anticipatae preannun-
 da. 103, b. 161, a. translatio cor-
 poris eius à quo. 161, a. idem est ac
 Nathanael. ibid. 353, & seqq. in eius
 Festo incepit hoc Opus ab Aucto-
 re. ibid.
 Beatorum Festa quomodo differant à
 Festis Sanctorum. 7, b. quale eorum
 Officium. 21, b.
 Benedicamus Domino cur in fine.
 104, a. cur à pueris dicitur. ibid.
 Benedictio ante Lectiones quid. 82, a.
 in numero ternario. ibid. eam petit
 etiam Superior quicumque inferior
 Episcopo. ibid. 206, a. benedictio
 mensa. 199, b.
 Benedictio Episcopalis procuranda mo-
 rientibus. 198, b.
 Benedictus XI. auctor Festi Stigma-
 tum S. Francisci. 164, a.
 Beneficiati tenentur ad Officium diui-
 num, & quinam. 3, b.
 Beneficiatus Titulum Ecclesie celebra-
 re debet cum Octava. 48, a.
 Bonifacius I. auctor Officij Invenzionis
 S. Stephani. 158, a.
 Bonifacius IV. auctor Festi Omnia
 Sanctorum. 170, b. & Comme-
 morationis fidelium Defunditorum.
 171, a.
 Bonifacius VIII. decrevit Festa Apo-
 stolorum, Evangelistarum. 138, a. &
 Doctorum. ibid. b. item S. Ludouici
 Regis Gallorum. 161, a.
 Bonifacius IX. publicauit Festum Vi-
 sitationis B. Virginis. 154, a.
 Breviaria Fratrum Minorum Roma
 & ubique recepta. 137, b.
 Breviarium quid. 14, a. unde cœpit.
 ibid. à quo restitutum. ibid. de usu
 * * 3. eius-

Index rerum & verborum.

- eiusdem. ibid. qui tenentur ad usum
 Breuiarij Romani. ibid. b
 Bulla Py V. Clementis VIII. Urba-
 ni VIII. initio Breuiarij posita ex-
 plicantur. 14, b. & seqq.
C.
Cerimonia adhibenda in recita-
 tione Horarum priuata. 202, a
 quando standum. 203, a. genufle-
 ctendum. ibid. caput inclin. indum.
 ibid. adhibendum signum Crucis.
 ibid. b.
 Cerimonia ad Horas in Choro. 204, a.
 & seq.
 Cerimonia ad Horas solemiores, Ma-
 turinum. 205, b. Laudes. 206, a Ve-
 speras. ibid. Completorium. 208, b
 Calendarium unde. 19, a. Matricula
 dicitur. ibid. b
 Callistus II. auctor Officij sancti Jaco-
 bi. 156, a. Compostellam Archiepi-
 scopatu decorauit. ibid.
 Callistus III. instituit Festum Trans-
 figuracionis. 158, b
 Candelabrum triangulare ubi locan-
 dum. 123, a
 Candela in triduo maioris Hebdomade
 quales, & quot. ibid. earum ordo quo
 extinguae. ibid. b. an ardeant ad
 Horas in Altari. 126, a
 Canonici, quando absint legitimè a cho-
 ro, qui excusantur. 12, b
 Canonizatus non habet Officium cer-
 tum ex vi Bullæ Canonizationis.
 17, b.
 Cantica distributa ritè per Hebdomad-
 am. 153, b 80, a
 Canticum à Psalmo differt. 79, b. Can-
 tica septem. ibid. Ordo eorum Hi-
 storicus. ibid. eorum ordo Ecclesia-
 sticus. 80, a. Gloria Patri in fine dici-
 tur. ibid. b. Cantica Euangelica di-
 cuntur. Euangelia. ibid. ad eadem sta-
 tur. ibid. fit signum Crucis in eorum-
 dem initio. ibid.
 Canticum Benedictus cur in Landi-
 bus. 54, a
 Canticum Magnificat cur in Vesperis.
 58, b. dicitur Euangelium. ibid. qua-
 liter incipiendum in Officio feriali
 Feria secunda. 75, a
 Canticum Nunc dimittis in Completo-
 rio. 60, a
 Cantorum munus in Choro. 205, a
 Cantus alternus unde. 78, b
 Capelle Titulus quomodo celebratur.
 48, a
 Capitulum, & varia nomina. 91, b. au-
 tor. ibid. non petitur benedictio.
 92, a. à Maioribus legitur. ibid. bre-
 uiorem Lectionem habet Lectionibus
 Nocturnis. ibid. sine titulo legitur.
 ibid. b. ad illud statut. ibid. in fi-
 ne non dicitur Tu autem, &c.
 ibid.
 Capitulum Tertia, Laudum, Vesperra-
 rum, idem. ibid. unde sumitur. 93, a.
 Deo gratias in fine cur. ibid. cur
 discordant Capitula à textu vulga-
 to Bibliorum. ibid.
 S. Caroli Festum Duplex in Provin-
 cia Mediolanensi. 171, b
 S. Clemens I. auctor Vigiliarum ante
 Festa Apostolorum. 138, a
 Clemens VI. Feriam 4. Cinerum no-
 bilitauit. 119, b. transferri iussit
 Festum Purificationis occurrentis in
 Dominicis privilegiatis. 143, a. Fe-
 stum S. Basili Semiduplex instituit.
 151, a.
 Clemens VIII. Bullam edidit de
 Breuiario, & summa habetur. 18, a
 concessit Festū Semiduplex in Hispa-
 nia de B. Ioanne à S. Facundo. 22, b.
 instituit Festum S. Eusebij Vercel-
 lensis. 140, a. Telesphori. ibid. b. Lu-
 cy. 144, b. Catharina Senensis.
 147, a.

Index rerum & verborum.

- 147, a. Stanisłai. 148, b. Domitilla. 39, a. que regulae. ibid. de quibus fiat. ibid. quo loco, modo, & ordine.
 149, b. Ioannis Gualberti. 155, a. de-
 dit ritum Semiduplicem SS. Timo-
 theo. 141, b. Polycarpo. 142, a. Ro-
 mualdo. 143, b. Petro Martyri. 117, a.
 Nereo, &c. 149, b. Antonio Patani-
 no. 151, a. Nicolao Tolentino. 163, a.
 & Gregorio Thaumaturgo. 172, b.
 Officium edidit S. Casimiri. 144, b.
 Inventionem S. Crucis insit esse se-
 cunda classis. 148, a
 Clerici adscripti alicui Ecclesiae quod
 Officium recitare debent. 6, a
 Clerici Regulares renouarunt vsum pri-
 stinum & modum cantus antiqui in
 Choro. 78, b
 Coadiutor ut sic non tenuerit ad Offi-
 cium diuinum recitandum. 3, b
 Commemoratio de Cruce cur prior.
 98, b. sufficit ordinaria ferialis in Ec-
 clesia S. Crucis. ibid. & item S. Fra-
 nisci, in Ecclesia Minorū tituli Sa-
 crorum Stigmatum eiusdem. ibid.
 Tituli omnium Sanctorum quomodo
 fiat. ibid.
 in Commemoratione omnium fidelium
 Defunctorum Matutinum dici de-
 bet mane. 171, b
 Commemoraciones comunes qua. 97, b.
 Memoria, Suffragia Sanctorum. ibid.
 de Cruce. ibid. de Sancta Maria, de
 Apostolis, de Pace. ibid 98, a. S. Pa-
 troni, vel Titularis locus quis. ibid.
 Oratio qua. 99, a. quando plures Ti-
 tuli, quid agendum. ibid.
 Commemorationum omissio an lehalis.
 99, b. in Vigilia Patroni omitti de-
 bet Commemoratio communis de eo-
 dem. ibid. cni sunt. 100, a. omit-
 tantur, & quando. ibid. non omittitur
 Commemoratio B. Virginis à re-
 citante priuatim Officium paruum
 eiusdem. 97, b
 Commemorationum quathor quæsta.
- 39, a. que regulae. ibid. de quibus
 fiat. ibid. quo loco, modo, & ordine.
 42, a. & seq.
 Commendationis anima ordo unde.
 198, b. ritus. ibid.
 Commune Apostolorum. 175, a. Euau-
 gelistarum. ibid. Martyrum. 177, b.
 Confessorum. 179, b. Virginum.
 180, a. Mulierum Sanctorum. 181, a.
 Dedicationis Ecclesie. ibid.
 Completorium quid, Completa. 59, a.
 origo. ibid. quando dicendum. ibid. b.
 ordo eiusdem. ibid. est quasi commen-
 datio animæ. 60, a. mysteria. ibid. b.
 non variatur. 56, b. solempne qualuer.
 208, b
 Compostella à quo Archiepiscopalisa-
 eta. 156, a
 Computum Ecclesiasticum quid. 18, a
 Concurrentia in Officio quid. 34, b.
 quotuplex. ibid.
 Confessio in Officio. 97, a. quo ritu. ibid.
 ad quid. ibid. cum inter duos fit,
 nulla mutatio. ibid. neque inter Mo-
 niales. ibid.
 S. Conradi Officium non ubique reci-
 tandum, & vbi. 144, a
 Constituite diem solemnem, &c. ex-
 plicatur. 24, b
 Consuetudines omnes abrogata à Pio V.
 exceptis solemnibus. 15, b. 17, a.
 Consueverunt solemniter celebrari
 in Rubricis quid importet. 17, a
 Conuerte nos, &c. cur initium est
 Completorij. 65, b
 Corporis Christi Festum & Officium.
 133, a. auctor Officij. ibid. nona Le-
 ctio de Feste Simplici legitur infra
 Octauam. ibid. excludit Duplia
 translata de Iure novo. 28, b
 Cortina regia, vide Titulus.
 Crucis signum, & Titulus, idem. 181, b.
 quando adhibetur in Horis Canonici. 203, b. 205, a

S. Da-

Index rerum & verborum.

D.

D Amas quomodo auctor Officii diuini dicatur. 2, a. addidit Symbolum Apostolorum. 64, b. item, Gloria Patri, in fine Psalmorum. 78, a
Datarium Calendarij quid. 102, b
David Psalmorum Thesaurus. 76, a
Dedicatio Ecclesiae quid. 182, a. à quo Festum. ibid. **D**ignius Festum quam Sancti Titularis. 29, b. quando eius Officium transferatur. 182, a. Ecclesiæ Cathedralis à toto Clero fit. ibid. b. occurribus duabus Dedicationibus, propria & Cathedralis Ecclesiae, quæ præferatur. ibid. **R**egulares atteneantur ad Officium Dedicationis Cathedralis Ecclesiae. ibid. si occurrat in Feste Innocentum quid? 114, b
Defunctorum in omnibus Horis Ecclesia meminit. 104, b. cur sub noctem cum campana. ibid. eorum Officium. 188, a. **A**genda dicitur, Exequie. ibid. **Vnde**. ibid. b. non habet initium nec finem. 189, a. qua ratione dicitur. ibid. quando separatis ab Horis. 190, b. quo ritu in obitu defunctorum. ibid. non habet secundas Vesperas. 191, a. quando omittitur. ibid. cur in prima die mensis dici iubetur. ibid. b. in Aduentu & Quadragesima non habetur ratio prima diei mensis. ibid. cur in Feria secunda dicitur. 192, a. an in eadem Feria occurrente Vigilia Nativitatis Domini. ibid. b. qua hora recitandum. 193, a. qua obligatio recitandi. ibid. b. **I**ndulgentia qua recitantibus. ibid. ex voluntate Defunctorum quomodo recitandum. 194, a. quis possit reducere vel mutare Officia Defunctorum. ibid.
Defunctorum omnium Commemoratio

- Odilone antiquior.* 171, a
- Deo gratias in Lectionibus.* 88, b in fine Officij. 104, a
- Deus in adiutorium cur initium Horarum.* 65, b. cum signo Crucis. ibid. à Monachis visitatum. ibid. quis auctor in Officio. ibid.
- Dignare me laudare te à quo.* 105, b
- Directorij Chori auctor quis.* 20, a
- Distributiones Canonicorum quando amittuntur.* 12, b
- Domine exaudi orationem meam, pro Dominus vobiscum.* 94, b. omitti debet cum Precibus. ibid.
- Domine labia mea aperies cur initium Matutini.* 65, b. os signatur. ibid.
- Dominica concurrens cum Semiduplici habet integras secundas Vesperas, non primas, & cur.* 35, b
- Dominica infra Octauam Nativitatis eamdem sedem habet in Ecclesiis particularibus, quam habet in Ecclesia universalis, si impediatur aliquo Feste.* 114, a
- Dominica Officium quale.* 23, b. **V**acantes qua, & cur ita dictæ. 24, a. priuilegiata. ibid. 26, a. **P**rima mensis qua. ibid. b. **P**rima Aduentia qua. ibid. nulla omittitur Dominica, quin sias saltē commemoratio. 24, b. **S**exta Epiphania à quo addita. ibid. **V**igesima & quarta post Pentecosten Officium cur ultimo semper loco. 25, a. anticipantur aliqua, & quo die. ibid. b. post Pentecosten non plures vigintiocto. ibid. a
- Dominicarum post Epiphaniam ritus.* 117, b
- Dominicarum Septuagesima, & sequentium.* 118, b
- Dominicarum Quadragesima Officia,* 120, a. **P**assionis. 121, a. **P**almarum. 122, b. **P**aschatis. 126, b. post Pentecosten. 133, b. **T**rinitatis. 131, b
- Domi-

Index rerum & verborum.

- Dominus det nobis suam pacem unde. 105,a.
 Dominus vobiscum ante Orationem. 93,b. quo auctore. 94,a. quis dicere potest in Officio. ibid, repetitur post Orationem. ibid. b
 Domni qui dicebantur. 82,a
 Dominus Apostolicus in Litanys quis. 82,a. 197,b.
 Duplex Officium unde. 20,b. quid. ibid. quotplex. 21,a. numerus Duplex in Breuiario. ibid. b. eiusdem translatio. 36,b
- E.
- E** Ecclesia & Titulus, idem. 181,b
 Ecclesia diruta Titulus alteri unitus quomodo celebrandus. 48,a
 Ecclesia Lateranensis laudes. 172,a
 Epiphania Festi ritus. 115,a. cur in Sabbatho sit de Dominica infra Octauam, non in die octava. 116,a. quid, si in hoc Sabbatho incidat Festum Patroni. ibid. b. quando occurrit Epiphania in Feria 3. vel in 2. die octava, qui Versus dicitur. 117,a
 Episcopi circa Breuiarium nihil hodie mutare possunt. 15,b
 Episcopi non sunt addicti Choro. 10,b
 Episcopus Regularis quod Officium recitare debet. 6,a. eiusdem Cappellani item. ibid.
 Epistolarum sancti Pauli estimatur esse unus liber. 86,a. 118,a. quando scripta. 84,a
 Esther libri quis auctor. 134,b
 Et cum spiritu tuo quid. 94,a
 Evangelio Festi non habente Homiliam in Breuiario quid agendum. 177,b
 Euangeliumptriplex cum tribus Homilijs contingit in Officio, quod nam omitti deber. 43,b
 Eusebius Papa auctor Festi Inventionis sancte Crucis. 148,a
- F** Asti quid. 102,a
 Feria unde dicta. 26,b. quid. ibid. quotplex. 27,a
 Feria 4. Cinerum ritus. 119,b
 Feria 6. adorare Christum Magi. 116,a. natus Ioannes Baptista. 152,a
 Festa locorum preferri descriptis in Calendario, quomodo intelligatur. 35,a
 Festa nulla in Quadragesima olim. 144,b
 Festorum additio Episcopis prohibita in Calendario. 7,a. 16,a
 Festorum inegalitas unde attenditur. 34,b
 Festorum origo, ritus, Officium, unde. 137,a. mense Decembri. 138,a. Ianuario. 140,b. Februario. 141,a. Martio. 144,b. Aprili. 146,a. Maio. 147,a. Iunio. 150,b. Iulio. 154,a. Augusto. 157,a. Septembri. 162,a. Octobri. 166,a. Novembri. 170,a
 Festorum simplicium cur maior numerus quam aliorum. 23,a
 Festum Sancti, cuius obitus dies nesciatur, quo die colendum. 174
 Fidelium animae, &c. quando omittitur in fine Hore. 104,b
 Fundator Ordinis quis sit Patronus. 49,b
- G.
- G** Elasius reformato Officii divini. 2,a. Lectionum distributor. 84,b
 Genusleendum in Officio quando. 107,b
 204,b. non genusleendum ad ea, In nomine Iesu, in capitulo Nona. 122,b
 Gloria Patri, &c. initio Horarum. 65,b. quis auctor. ibid. distinguitur ab alijs hoc Versu. 78,a. non dicitur in triduo maioris Hebdomadae; & cur. ibid. b
 Gratiani textus corrigitur. 92,a
 *** S. Gre-

Index rerum & verborum.

- S. Gregorius I. reformauit Officia. 2,a.
conciliauit pacem in Feslo SS. Ger-
nasi & Protasi. 151, b. multa de-
eo passim.
- Gregorius III. praecepit Officium par-
uum B. Virginis Cassinensis. 185,a
- Gregorius IV. dilatauit Festum Om-
nium Sanctorum. 170,b
- Gregorius VII. reformator Officij di-
uini. 2,a. assignauit Responsoria Se-
xagesima & Quinquagesima. 119,a.
ubique Festum iussit fieri de Pontifi-
cibus Martyr. Rom. 137,a
- Gregorius IX. decreuit in Officio Sal-
ue Regina. 106,a. instituit Festum
S. Dominici. 158,a. S. Francisci.
168,a. sub eadem reformatum Bre-
uiarium. 105,a
- Gregorius XIII. auctor Festi S. An-
ne. 156,a
& Festi Rosarij. 166,a
- Gregorius XV. statuit Festum S. Io-
seph de praecepto. 145,a. item S. An-
ne. 156,a. instituit Festum cum Of-
ficio de S. Joachimo. 145,a. Bruno-
ne. 168,b. Birgitta. ibid.
- Guido Abbas inuenitor notarum mu-
sicæ, vt, re, mi, fa, sol, la. 69,b
- H.
- H** Ebdomada maioris Officia cū my-
sterijs & ritibus. 122,b.& seqq.
Hebdomadarij munus in Horis Cano-
nicis. 204,a
- Homilia quid significat. 87,b
- Honorius I. auctor Festi Exaltationis
sanctæ Crucis. 163,b. & Officij Qua-
tuor Coronatorum. 172,a
- Horæ diurnæ in Hebdomada maiori.
cur demissa voce, nocturnæ alta. 125,a
- Horæ, Tertia, Sexta, & Nona, mi-
nores. 56,b
- Horæ unde dictæ. 2,a. cur Canonicae.
ibid. septem. ibid. b. octo. ibid. ea-
- rum ordo. ibid. septem partes cuius-
que horæ. 3,a. in Choro statis horis
dicenda. 10,a
- Horarum initia varia. 65,a
- Hymni quid. 67,a. auctor primus. ibid.
vsius in Ecclesia. ibid. stando dicun-
tur. ibid. b. index Alphabeticum
Hymnorum cum eorum Auctoribus.
67,b. &c seqq. numerus eorum. 70,b.
ratio metri cuiusque. ibid. sex forma
Hymnorum. ibid. emandauit eos Vr-
banus VIII. 71, a. Index recentior
eorum. ibid. cur nomen syllabarum
nonnulli versus Lambici. 72,b. eorum
locus in Officio multiplex. ibid. finis
& conclusio varia. ibid. finis pro-
prius, & non mutabilis, quinam. 73,a.
pro Officijs Regularium de Sacra-
mento, & B. Virginie, que regule in
fine Hymnorum. ibid.
- Hymnus Alphabeticus qui. 68,a
- Hymnus in Completorio ante Capitu-
lum præter morem. 60,a
- Hymnus, Iste confessor, patitur mu-
tationem. 180,a
- I.
- S. I. Acobi Epistola quomodo prima
inter Canonicas. 128,a. quan-
do scripta. 84,b. quando legenda in
eiusdem Feste, si dividatur a sancto
Philippo. 86,b. 147,b
- Ieiunium Vigilia quando anticipari
debeat in præcedentem diem. 27,b.
- Quadragesima ieiuniū quale. 120,a
- Incensatio Altaris in Vesperis solemnis-
bus unde. 208,b
- Indulgentia Officio Corporis Christi
concessæ valent, etiam si recitetur tunc
de Sancto. 133,a
- Innocentius III. Decreto firmavit Vi-
gilias Apostolorum. 138,a. iussit reci-
tari Psalmos Pénitentiales in Qua-
dragesima. 196,a
- Inno-

Index rerum & verborum.

- Innocentius IV. instituit Octauam Natiuitatis beatae Virginis. 163, b. sub eo reformatum Breuiarium. 105, a
 SS. Innocentum Festum secunda classis. 113, b. si Patroni sunt Ecclesia, quid agendum. ibid.
 Intentio in Officio que. 8, a
 Initiorum quid. 66, b. variatur, & qua ratione. ibid. Dominico die est de creatione. ibid. non dicitur in die Epiphania. ibid. 115, b. nec in triduo ante Pascha. 67, a. 123, a
 In unitate Spiritus sancti Deus. 95, a
 Ioannes Damascenus auctor Responsiorum & Antiphonarum Officij Natiuitatis B. Virginis. 162, b
 Ioannes Euangelium, Epistolas, Apocalypsin, quando scriptis. 84, b. 128, a. 129, b
 Ioannes XVI. auctor Commemorationis omnium fidelium Defunctorum. 171, a
 Ioannes XXII. instituit Festum S. Thomae Aquinatis. 144, b. excludit Semiduplicia ab Octaua Corporis Christi. 28, b. in die Octaua Corporis Christi decreuit fieri de Feste prima classis cum commem. Oct. 31, b. item finem Hymnorum per totam Octauam prescripsit. 72, b. & Versus mutationem in eadem Octaua ad Primam. 91, a. neque addi Alleluia &c. brevi in Prima & Compleutorio. ibid. b. extendit Indulgencias ad Officia de Sanctis infra hanc Octauam. 133, a. Festum S. Catharinae instituit. 173, b
 Ioan. Petrus Massarius laudatur. 168, a
 Iobi Historia quis auctor. 134, a. quale Officium in eius Feste. 88, b
 Itinerarium Clericorum. 201, b
 Iube Domine, non Domine. 82, a. an qui solus recitat, dicat Domine. ibid.
 Iude Epistola quando scripta. 84, b. 130, a. quando legenda, si dividatur eius Festum à S. Simone. 170, a
 Judith Historia quo auctore. 134, b
 Iulius Benignus laudatur. 168, a
- L.
- L**Audes unde. 51, b. varia nomina. ibid. an distinguantur à Matutino. ibid. an præmittenda Oratio Dominica, & Salutatio Angelica. 52, a. ordo Laudum. ibid. b. pares sunt Vesperis. ibid. maiores alijs Horis, & octo partibus constant. ibid. octo Psalmos habent, qui tamen quinque. ibid. cur in Festis idem dicuntur Psalmi. 53, a. duo mutantur in Dominica Septuagesima. ibid. in Feriilibus Laudibus alia Psalmorum ratio. ibid. b. quomodo cantandæ solemniter. 206, a.
 Laus tibi Domine, &c. cur in Septuagesima. 66, a. 118, b
 Lectio finitur cum Tu autem. 88, b. & cum Deo gratias. ibid.
 Lectio mensa cum benedictione. 201, b. que sint legenda. ibid.
 Lectio nona de Sancto propria que sit. 43, a. cur omittatur infra Oct. Pasche & Pentecostes. ibid. b. & quando pro commemoratione legiur Homilia de Dominicâ, vel Feria. ibid. a
 Lectio quid. 82, b. certa fuit. ibid. longa, brevis. ibid.
 Lectionarium, seu Comes S. Hieronymi. 82, b
 Lectiones in Festis SS. Abraham & Iob que. 88, b
 Lectiones nouem, aut tres. 83, a. & cur. ibid.
 Lectiones primi Nocturni semper de Scriptura vel propria, vel communis. 83, a. 86, b. post Dominicam anticipatam leguntur Lectiones que sequuntur eamdem Dominicam. 86, a
 Lectiones secundi Nocturni sunt approbate.
 *** 2

Index rerum & verborum.

- bata. 87, b. & quorum auctorum.
 ibid a. quales in Breuiario. ibid.
Lectiones tertij Nocturni cum Euange-
lio cur. ibid. b. in quibusdam casibus
octana & nona Lettio iungende. ibid.
ad Lectiones sedetur. 88, b
Lectiones unde sumuntur. 83, a
Lectionum auctor cur taceatur. 88, a
Lectionum tituli, & modus legendi. ibid.
Lectorum ordo in Choro. 205, a
Leo II. auctor Collectae Octanae Aposto-
lorum. 154, b
Leo IV. instituit Octanam Assumptio-
nis beata Virginis. 160, b. auctor O-
rationis Octanae Apostolorum. 154, b.
 & Officij Quatuor Coronatorum. 172, a
Libri sacri quando scripti. 83, b. & seq.
Librorum sacrorum ordo triplex. 83, a.
Conciliaris. ibid. Historicus. ibid. b.
Ecclesiasticus. 84, b. mystica ratio
distributionis librorum per annum.
 ibid. & seq.
Librorum veterum auctores. 134, a. & seq.
Litanie maiores in die Pasche sunt
transferende. 128, b. 146, b. sunt de
precepto in maioribus & minoribus.
 128, b. qui fabulantur in Processione
 non satisfaciunt. 129, a. an possint re-
 citari pridie Vespere. ibid. qualiter
 cantande. ibid. 198, a. Litaniarum
 origo. & usus. 197, a. separate à Psal-
 mis Penitentialibus dicuntur. 197, b.
 qui ritus. & que obligatio. 198, a. an
 addi possint alij Sancti. 197, a. an
 nondum canonizati secreto. ibid.
Ludouicus Ciconianus auctor est Di-
rectorij Romani. 20, a
- M.
- M**achabaorum libri à quo scripti.
 134, b. cur ita dicti, & septem
 Fratrum nomina. 157, b
Magnificat cur in Vesperis. 58, b. di-
citur Euangelium. ibid. quale in-
- tium in Feria secunda. 75, b
Manuel Imperator quando obiit. 174, b
B. Mariae Officium parvum unde. 185, a
 non potest edi vulgari lingua. 187, a.
 que obligatio recitandi. 185, b. consue-
 tudine recitandi illud non tollitur, etiam
 acceptato Breuiario Romano. 186, a.
 quando omittitur. ibid. b. quando
 mutatur. 187, a. translato Feste Pu-
 rificationis, quando mutatur. ibid. b.
 nihil detrahitur tempore Passionis.
 ibid. a. non additur Alleluia tempore
 Paschali. ibid. b. qua ratione dicitur
 cum Horis Canonicis. ibid. Indul-
 gentia que recitantibus. 188, a. diuidi
 potest Matutinum à Laudibus. ibid.
 quatuor Festa B. Virginis in quatuor
 anni temporibus. 143, a
- S. Martino cur dati sint Psalmi de*
vno Martyre. 172, b
- Martyrologij quid. 102, a. unde. ibid.*
 auctores. ibid. b. auctor Romani. ibid.
 editio melior que. ibid. eiusdem leges
 ad legendum in Choro. 103, a. non fit
 translatio Festorum. ibid. mobilia
 Festa quomodo leguntur. ibid. b. in
 qua parte Officij legitur. 104, a. in
 Vigilia Nativitatis Domini quo ri-
 tu. 111, b eiusdem recognitio sub Vr-
 bano VIII. 102, b. eiusdem concordia
 cum Breuiario Romano. 326
- Matricula, vide Calendarium.*
Matuta, vide Matutinum.
Matutinale Officium, vide Laudes.
Matutinum unde 49, a. Nocturni, Vi-
gilie, idem. ibid. primus usus ubi. 50, a
forma. ibid. mysteria. ibid. b. dici po-
test in Vesperis pridianis. 9, b. quomo-
do terminandum, si dividatur à Lau-
dibus. 52, a. solemne quo ritu. 205, b
- Mauritius Parisensis auctor Responsa-*
riorum Officij Defunctorum. 188, b
- S. Melchiades instituit Festum Qua-*
tuor Coronatorum. 172, a
- Men.*

Index rerum & verborum.

Mense benedictio unde. 172, a. eius
omissio culpabilis. 200, a. ad quid
valer. ibid. formulæ varie. ibid.

Micrologus conciliatur cum Radulpho
circa Festum Romanorum Pontificum. 137, b

Missa non cantatur, nisi post Horam
Canonicam. 112, b. an post Missam
dicatur *Antiphona finalis de B. Vir-*
gine. 107, a

Moniales non debent dicere in Confi-
teor Mater, & Sorores. 97, a

Mutatio Officii diuini culpabilis. 6, b
prohibita eum quoad ritum. ibid.

N.

Natiuitatis Domini Festum. 111, b

Lectiones cur sine titulo. ibid.

Responsoria vaga. 112, a. *Missa in-*
ter Horas, & cur. ibid. *Festa infra-*
eam Octauam cuius classis. 113, a. si
Patronorum ea sint, quid agendum.
ibid. b. *Officiorum totius Octauæ ra-*
tio. ibid.

Natiuitatis S. Ioannis Baptista Festum
cur habet *Antiphonas proprias ad*
Vesperas, & ad Laudes. 177, a. accedit
in Feria 6. ortus illius. 152, a

Nocturni tres cur. 50, b

Nona Hora mysteria, & ordo. 57, a

Notula verborum dubie pronuncia-
tionis in Breuiario. 209. & seqq. in
Martyrologio. 212. & seqq.

O.

Ocurrentia in Officio quid. 36, b
Octaua Assumptionis B. Virginis an maior Dedicationis Ecclesie.
30, a

Octaua cur omittitur, quando Festum
transfertur ultra propriam Octauam.
31, a

Octaua Dedicationis Ecclesie an maior
quam Octaua Tituli Ecclesie. 29, b

Octaua dies aliquando cedit congruen-
tiis Duplici Feso per annum ma-
iori. 48, b

Octaua dies Corporis Christi cedit Fe-
sto prime classis, non secunda. 32, b

Octaua dies occurrentis in Dominica
privilegiata quales habeat. Vesperas
primas & secundas. 31, b. concurrens
cum Semiduplex, huic aliquando ce-
dit. 33, b. non est Duplex minus dies
Octaua Patroni. ibid.

Octaua Natiuitatis Domini cur ad-
mittit Semiduplex Festum. 28, b

Octaua prorogatio Festi est, & omnes
diei unus. 29, b

Octaua SS. Petri & Pauli occurrente
in Feso maiori, & in Dominica, que
erit Lectione nona. 43, b

Octaua quorum Festorum est. 28, a. nul-
la sit canonizationis. ibid. b

Octaua diei duo privilegia. 31, a. non-
tamen est Duplex minus. 33, b

Octaua Natiuitatis, Epiphania, Cor-
poris Christi fit semper commemo-
ratio, cur non Ascensionis? 29, b

Octaua occurrentia & concurrentia
cum aliis quibuscumque. 32, a. & seq.

Octaua quando non complenda; &
quid, quando dies Octaua occurrit
in die 17. Decembris, in Feria quar-
ta Cinerum, in Vigilia Pentecostes.
30, a, b

Octauarii Romani auctor. ibid. a

Octauarum dignitas unde. 29, b

Octauarum quatuor gradus. 28, b

S. Odilo auctor Commemorationis om-
nium fidelium Defunctorum. 171, a

Officia concessa ad librum minus ha-
bent, quam ea quoque sunt in praecepto.
39, a

Officij concurrentia. 34, b. & que regu-
lae. ibid. occurrentia eiusdem. 36, a

Officij diuini tituli multi nullius valo-
ris. 16, a. tituli legitimi extra Ca-
len-

* * * 3

Index rerum & verborum.

- lendarium Romanum quinam. 17,a
 Officij finis per Antiphonas beatae Marie. 105,a
 Officij omissione culpabilis. 4,b. qui excusantur. 5,a. mutatio Officij illegitima que. 6,a. intentio. 8,a. attentio. ibid. prolatio. ibid. b
 Officij recitandi tempus. 9,a. locus. 10,a. ordo Horarum. ibid. b. permutatio ordinis. ibid. interruptio. 11,a. pena omissionis. ibid. b
 Officiorum de Sanctis antecetes. 137,a
 Officiorum extensio de loco ad locum prohibita. 7,b
 Officiorum varietas unde. 20,b
 Officium de una ex sociis sanctae Ursulae quale. 169,b
 Officium nouem Lectionum quid. 22,a. trium Lectionum. 23,a
 Officium Paschale translatum velira tempus Paschale mutatur in non Paschale. 37,b
 Officium quid. 1,a. origo. 2,a. obligatio. 3,b. quando coepit quotidianum. 4,b
 Officium quodnam legitimum. 3,b. qui tenentur illud recitare. ibid. quando incipit obligatio. ibid.
 Officium Semiduplex aliquando excludit Duplex. 33,b
 Oratio Dominica initium Officij. 61,a. ante Laudes quando dicatur. 52,a. in fine Matutini & Horarum dicitur, & qua ratione. 61,b. an præponenda Completorio separato à Vesperis. 60,b. attentissime recitanda. 62,b. tribus modis recitatur. ibid. quando ante Officium Defunctorum. 190,b
 Oratio in Horis ultimo loco. 93,b. auctores. ibid. in Prima & Completorio non mutatur. ibid. concluditur variis modis. 94,b. prima & ultima concluduntur. 95,b. variatur in cursu. ibid.
 Orationes tempore Paschali & in Do-
- minicis fiunt stando, non adorantes. 126,a
 Orationum pro Defunctis conclusiones cur varia in Breviario, & Rituali. 189,a
 Ordinibus sacris initiati tenentur ad Horas Canonicas. 4,a
 Oremus quid. 94,b. eiusdem repetitio quando. 95,a
 P.
- P**apa in Precibus Rex appellatur. 96,a. in Litaniis Dominus Apostolicus. 197,b
 Parochi an Choro additi. 10,b
 Paschatis Festum. 126, b. Paschale tempus. 127,b
 Passio Christi legenda morituris. 199,a
 Patroni socius qua ratione transfertur separatum. 38,a
 Patrono loci & Titulari Ecclesia occurrentibus eadem die, quis preferatur. 38,b. 98,a
 Patronorum eligendorum ratio. 45,a
 Patronorum minus principalium Officium Duplex maius. 21,b. in corum Festis non semper leguntur Lectiones i. Nocturni posita in Communi. 86,b
 Patronus & Titulus Ecclesie differunt. 45,a. plures Patroni dari possunt. 46,a. qui tenentur ad Officium de Patrone. ibid. b. Officium quale. ibid.
 Translatio corporis Patroni non est prima neque secunda classis. ibid. an Octana cuius Patrono. ibid. an semper de Octana illius fiat commemoratione. 49,b. Festum Patroni quando transferiuntur. 48,b. Officij eiusdem privilegia. 49,a. Lectiones que. 47,b. suffragium de Patrone omittitur in eiusdem Officio Vigiliae. 49,a. 99,b
 S. Pauli Epistola quando scripta. 84,a. eius Commemoratio cuius classis. 153,a. eiusdem acta omnia per annos distributa.

Index rerum & verborum.

- buta. 342. & seqq. nomina illustriorum discipulorum eius. 351. & seq.
 in eius Feste absolutum hoc Opus ab
 Autore pro prima Editione. 342
Paulus II. instituit Præsentationis Festum. 173,a
Paulus III. Directorium Chori approbavit. 20,a
Paulus IV. Festum Cathedræ Rom. restituit. 141,a. Festum instituit sancti Dominici pridie mortis eius. 158,a
Paulus V. instituit Festum SS. Casimiri. 144,b. Ubaldi. 150,a. Norberti. ibid.b. dedit ritū Duplicem S. Francisco de Paula. 146,a. Semiduplicem sancto Ludouico. 161,b. ad libitum concessit. Officia Stigmatum sancti Francisci. 164,b. Angelorum Custodum. 167,a. S. Caroli. 171,b
 Peccata septem modis remittuntur. 196,a
 Peccato oris, cordis & operis quod remedium in Officio. 65,b
Pelagius I. & II. quomodo auctores diuinij Officij. 2,a
Pelagius I. condidit Roma corpora SS. Philippi & Iacobi. 147,a. sub eodem osse sancti Stephani Romam translata. 158,a
 Pensionarius non tenetur ad Officium diuinum. 3,b. tenetur ad Officium B. Virginis. 186,a. sub restitutione pensionis ad ratam. ibid. sufficit, si recitat Horas Canonicas maiores. ibidem
 Pentecostes Festum cum annexis. 131,a
 S. Petri Epistole quando scriptæ. 34,b
 128,a. 129,b
 S. Petronilla an sancti Petri filia. 150,a
 B. Petrus Damiani restituit Officium parnum B. Virginis. 185,a
Pius II. instituit Præsentationis B. Virginis Festum. 173,a
- Pius V. decrevit Festum S. Thome ut Doctoris. 144,b. passim multa de eodem Pio.
 Pœna omissionis diuinij Officij. 11,b
 recitantium Officia prohibita. 7,a
Pontianus Horis Canonicas Psalmos assignauit. 77,b
 Preces quid. 95,b. auctor. ibid. longiores aliquando. ibid. continent omnes orandi modos. 96,a. quando dicuntur. ibid. b
 Prima unde. 54,a. affinis est Completerio. ibid.b. eam celebrat S. Ambrosius. ibid. qua hora dicatur. ibid. Ordo eiusdem. 55,a. Psalmi Feriarum congrui. ibid. Psalmi tres, & quinque. ibid. b. non variatur. 56,b
 Professi Regulares tenentur ad Officium diuinum. 4,a
 Prolatio in Officio. 8,b
 Prophetæ minores aliqui omittuntur alicubi. 135,b
 Prophetarum libri à quo scripti. ibid. a
 Psalmi Graduales. 194,b. dimissio. ibid. mystica ratio. 195,a. quando dicuntur. ibid.b. quo loco respectu Horarum. ibid. quando omittuntur. 196,a
 obligatio. ibid. recitantibus que Indulgentia. ibid.
 Psalmi in Matutino 18,& 9.cur. 51,a
 77,b. in Laudib[us] octo sunt & quinque. 52,b. mutantur in Septuagesima. 53,a. in Prima quatuor. 55,a. qui secundo loco qua ratione per Ferias distribuantur. ibid. tres in Festis, qui sunt & quinque. ibid.b
 Psalmi p[ro]enitentiales qui. 196,a. unde. ibid. numerus eorum. ibid. quando recitandi. ibid. quo ritu. ibid.b. quo Horarum loco. ibid. quando omittendi. ibid. obligatio. 198,a. recitantibus Indulgentia. ibid.
 Psalmi Primæ, Tertie, Sextæ, & Nonæ, duodecim cur. 57,a
 *** 4 Psal-

Index rerum & verborum.

- Psalmi quatuor in Completorio.* 60,a
Psalmi Vesperarum in Festis ijdem.
 58,a
- Psalmus Iubilate in Notturno cur mutatur, & quando.* 78,a
- Psalmus quid.* 75,b. auctor. 76,a. ordo triplex. ibid. quot Versus habet Psalterium. ibidem. dimidium eiusdem. ibid. distributio per Hebdomadam à quo. 77.b. & in Festis. ibid. materia. 78,b. cantus. ibid. alternus. ibid. mystica ratio. 79,a. mutatio aliquorum congrua. 78,a. in fine additur Gloria Trinitatis. ibid. addita à Damaso. ibid. standum est dum recitantur. 79,a. Asteriscus additus Psalmis significat pausam in canto faciendam. ibid.b. interpunctio Psalmorum est eadem, que in vulgata editione Vaticana 1598. ibidem.
- Psalterium non ignoret Sacerdos.* 75,b
Psalterium Romanum differt a Psalterio Breniariorum. ibid.
- Q.**
- Q**uadragesima ritus à Feria quarta Cinerum ad Palmas. 119.
 in ea non celebrabantur Sanctorum Festa. 144,b
 Quinquagesima ritus. 119,a
- R.**
- R**egina Cæli, vide Antiph. finales.
 Regulares an Choro addicti. 10,b.
 debent facere commemorationem Tituli Ecclesie cui sunt adscripti, etiam extra Chorum. 99,b. celebrare Festum Patroni, non Octanam. 6,a.
 46,b
 Regum libri pro uno Opere habentur. 86,a. à quibus scripti. 132,b.
 134,a
- S.**
- S**abbatum Officium beate Marie unde. 183,b. ritus, & alia. 184,a.
- Salve
- Reliquia insignis que.* 23,a. Officium de ea Duplex. 22,a. & tantum ubi assertatur. 23,a
Requiem æternam ab Apostolis. 189,b
Responsoria brenia que. 90,b. variantur in Prima. 91,a. mutatur Versus in Officio Feriali Aduentus. ibidem b. quando adduntur duo Alleluia. ibid. si occurrant Versus de Festo, & alius de Tempore, quis prefertur. ibid.a. quando dicitur Gloria tempore Passionis in Dominica. ibid. Responsoria, Historia, idem. 89,a. quid. ibid. auctore eorum. ibid. cum Gloria Patri à quo. ibidem. mystica ratio. ibid. b. nonum quando omittitur. 90,a. unde sumuntur. ibid. de primo ponendis regula. ibid. de Alleluia in fine. ibid.
Responsorium cum tribus Versibus unicum. 108,b
Responsorium, Domine præuenisti, dicitur in Festo nouem Lectionum sancti Felicis Nolani, & sancti Melchiadis. 178,a
Responsorium, Hac est vera, quando dicendum. 178,a
Rex gloriose Martyrum cur etiam in Vesperis dicatur. 179,a
B.Rochi prime Vespere in propria Ecclesia non dicuntur. 35,a. Officium ubi recitari potest. 7,b. 160,a
Romæ nulla heres habuit exordium. 64,b
Rosarij Festum quo ritu. 166,a
Rubrice vox in Breniario quando. 20,a.
 carum diuiso. ibid. mutatio, additione, detractio, prohibita. ibid.

Index rerum & verborum.

- Salve Regina , vide *Antiphona finales*.
Salutationis Angelicae auctores. 63, a.
 unde in Officio. ibid. b. additur *Orationi Dominicæ.* ibid. exponitur à *Rutilio Benzonio.* 64, a.
Salutationis Angelica signum quis de-
cernerit. 126, a. est adoratio potius
 quam oratio. ibid. an genuflexendum
 tempore Paschali. ibid.
Sanctorum Festa cum Sacrificio colen-
da. 170, b. excedunt quotidie nume-
 rum quinque millium. ibid.
Sanctorum singulorum Festa , Vigilie,
 Ottavae, quando cœpere. Sect. 7. tota.
 136. qui ritus. ibid. *Officia à quibus.*
 ibid.
Sanctorum veteris Testamenti quale
Officium. 88, b.
Sanctus in quo differt à Beato. 7, b.
Sapientiales libri a quo scripti. 134, a.
Sedendum quando in Choro. 204, b.
Semiduplex. 22, a. *nouem Lectionum,*
 solemne; idem. ibid. *quid.* ibid. *de qui-*
 bis Sanctis. ibid. *numerus Semidu-*
 plicium. ibid. *de non insigni reliquia.*
 ibid. *de quibusdam Sanctis in His-*
 pania. ibid. b. *translatum qua ratio-*
 ne intra Octauas. 29, a. & in alijs ca-
 ribus. 36, b.
Septuagesima Officium. 118, b. *deponi-*
 tur Alleluia. ibid. *Lectio de Genesi.*
 119, a.
Sexagesimæ ritus. ibid.
Sexta Hora mysteria , & ordo.
 56, b.
S. Silvestri non fit Octaua post recogni-
 tum Breuiarium. 114, a.
Simplex unde. 23, a. *quid.* ibid. *Offi-*
 cium trium Lectionum. ibid. seu
 trium Responsiorum. ibid. *Festo-*
 rum numerus centenarius. ibid. ali-
 cubi accedit , numquam fieri de ali-
 quo Feste Simplici. 37, b.
- Sixtus III. auctor Festi S. Petri ad*
 Vincula. 157, b.
Sixtus IV. ampliavit Festum Concep-
 tionis B. Virginis. 139, b. *S. Fran-*
 cisci. 168, a. *instituit Festum S. Bo-*
 nanentura. 155, a. *renouavit Fe-*
 stum S. Ioseph. 145, a. *iussit Octa-*
 nam Omnium Sanctorum. 171, b.
 & *Presentationis B. Virginis.*
 173, a.
Sixtus V. reservauit Pape approbatio-
 rem Lectionum de SS. Patronis. 48, a.
 instituit Festa SS. Francisci de Pau-
 la. 146, a. *Petri Martyris.* 147, a.
Antonij Patauini. 151, a. *Bonauen-*
 tura uti Doctoris. 155, a. *restituit*
 Festa SS. Ianuarij & sociorum.
 164, b. *Presentationis B. Virgi-*
 nis. 173, a. *SS. Placidi & sociorum.*
 168, b.
Standum in Choro quando. 204, b.
S. Stephani Festum secunde classis.
 113, a. *eiusdem offa quando Romam*
 delata. 158, a.
Supercrecentia in Aduentu. 111, a.
Symbolum Apostolorum quid. 64, a.
 quando compositum. ibid. b. *unde in*
 Officio. ibid. additur *Orationi Do-*
 minka ad Horas à Damaso. ibid.
 quinquies dicitur. 65, a. *duobus mo-*
 dis. ibid. *totum in Missa clara vo-*
 ce , & magis plenum. ibid.
Symbolum S. Athanasi quando ab
 eo scriptum. 101, a. *eius usus*
 in Ecclesia. ibid. cmm *Gloria Pa-*
 tri. ibid. b. *quando omittitur in*
 Dominicis. ibid. *infra Octauam.*
Trinitatis non dicitur. ibid. *melius*
 recitat à sanctibus. 204, b.
Symbolum Romanum, id est, Apôstolo-
 rum. 64, b. *exponitur à Dominico*
 Grauina. ibid.

Ta-

Index rerum & verborum.

T.

- T** Abellarum de Occurrentia &
Concurrentia reformator quis.
27,a.
T abula Ecclesiastica, vide Martyrologium.
T e Deum cur in tertio nocturno. 51,b
100,b. an finis Matutini, vel initium Laudum. 52,a. auctor. 100,b.
quando dicitur. ibid. Versus, Sanctus, &c. an sit unus. 101,a
T egrimus Tegrimius laudatur. 168,b.
publicari curat Festum S. Francisci
de precepto. ibid.
T tertia Hora mysteria, & ordo. 56,b.
S. Theclae tria tormenta qua. 199,a
S. Thome Cantuariensis abrogata est
Octana. 114,a
T hreni quid. 123,b
T itulus Ecclesia Parochialis non de-
bet celebrari extra suam Ecclesiam.
23,a
T itulus Ecclesia à Patrono differt. 45,a
eius Festiratio. 46, b. **T** itulus quid.
181, b. Pastoris. ibid. Eudoxie.
ibid. quis in Urbe Titulos diuinit.
ibid.
T obiae Historia à quo scripta. 134,b
T ransfiguratio Domini quando facta
in monte. 121,a. quando renovata ab
Apostolis. 158,b
T ranslatio Festerum qua ratione fiat.
36,a. & seq.
S. Trinitatis Officium unde. 131,b
eiusdem Octana defenditur. 132,b

V.

- V** Ela, vide Titulus.
V erborum notula producendo-
rum seu corripiendorum in Brevia-
rio. 209. & seq. in Martyrologio.
212. & seq.
V ersus ad Primam de Octana prefer-

- tur Versus de tempore, si occurrant.
91,a.
V ersus quid. 81,a. in Matutino quid.
ibid. in alijs Officijs partibus. ibid.
in Paschate non habentur in Horis.
ibid. additur Alleluia. ibid. non ta-
men Versibus Responsiorum, neque
Precum. ibid.
V espera primæ nobiliores secundis. 57,b
integre dantur Festo maiori. 34,b.
Sabbati sancti quales, & extra Cho-
rum. 125,b. solempnes quo ritu can-
tanda. 206,a
V espera unde. 57,a. Lucernarium, Lu-
cernaris hora, Duodecima dicuntur.
ibid. b. prime Vespera initium Fe-
sti. ibid. præconia Vesperarum. 58,a.
ordo. ibid. mysteria. ibid. cur idem
Psalmi in Festis qui in Dominicis.
ibid.
V igilie cum ieunio, & sine ieunio
quot, & que. 27, a. cur anticipetur
in Sabbato. ibid. b. de eanishil in Festis
prima classis, nec in Ferijs maioribus.
ibid. ieunium anticipari quando po-
test. ibid. addit Pius V. Homiliae
Officio Vigilie. 28,a
V igilia cur nulla pridie S. Ioannis A-
postoli, & sanctorum Philippi & Ia-
cobi. 27,a
V igilia Nativitatis Domini proprius
ritus. 111,a
V rbanus II. instituit Officium B. Ma-
riae in Sabbato. 183, b. iussit quoti-
die dici Officium parvum eiusdem.
185,b.
V rbanus IV. auctor Festi S. Egidij.
162,a
V rbanus VI. decrevit Festum Visi-
tationis B. Mariae. 154, a. Ve-
speras Defunctorum in Festo Om-
nium Sanctorum. 171, a. si se-
quatur Dominica, ut differantur.
ibid.

VRBAN

Index rerum & verborum.

- V^RBANVS VIII. instituit Festa
SS. Hyacinthi. 160, a. Philippi Ne-
ry. 150, a. Elisabeth. 154, b. statuit
Enstachij & sociorum Officium
Semiduplex. 165, a. item Bibiana
Semiduplex. 138, b. Catharina Se-
vensis Semiduplex. 147, a. iussit
commemorationem Patricij. 145, a.
Henrici. 155, a. Stephani Regis
Hungarorum. 160, b. confirmauit
Decreta sacre Congregationis, de non
addendis perperam Officijs Sancto-
- rum. 7, a. edidit Bullam de Bre-
uiario recognito. 18, a. consecrauit
Ecclesiam sancti Petri. 173, a
S. Vrsulae socia quale habeat Offi-
cium. 169, b.
Vt, re, mi, fa, sol, la, quis auctor.
69, b.

Z.
Zacharias Papa præcepit Officium
parvum B. Virginis Congrega-
tioni Cassinensi. 185, a.



PN.

INDEX EORVM
QVORVM OPERA RECOGNITVM FVIT
BREVIARIVM ROM. PII V.

IVSSV CLEMENTIS VIII.

CÆsar Baronius,
Siluius Antonianus, } S. R. E. Cardinales.
Robertus Bellarminus,
Ludouicus de Torres Archiepiscop. Montis Regalis , postea Car-
dinalis.
Io. Baptista Bandinus Canon. S. Petri de Vrbe, Secretarius.
Michaël Ghislerius Clericus Regularis.
Bartholomæus Gauantus Mediol. Congreg. Cler. Regul. S. Pauli.

IVSSV V R B A N I VIII.

Aloysius Cajetanus S. R. E. Card. Præses.
Tegrimus Tegrimius Episc. Affiliensis sacræ Rituum Congregationis
Secretarius.
Fortunatus Scacchus Apost. Sacrarij Præfectus.
Nicolaus Riccardius S. Palatij Magister , & S. Rituum Congregationis Con-
sultor.
Hieronymus Lanuuius vtriusque Signaturæ Referendarius.
Hilarius Rancatus Mediol. Abbas S. Crucis in Ieruf. S. Inquisit. Consultor ,
& Qualificator, & S. Rituum Congreg. Consultor.
Iacobus Vulponius Congregationis Oratoriij S. Philippi Nerii.
Bartholomæus Gauantus S. Rituum Congreg. Consultor.
Terentius Alciatus Mediolanensis Societatis Iesu , S. Rituum Congregationis
Consultor.
Lucas Wadingus Ordinis Min. Historicus , S. Officij Qualificator, & S. Con-
gregat. Indicis librorum.

COM-

COMMENTARIA IN RVBRICAS BREVIARII ROMANI.

SECTIO PRIMA.

De Horis Canonicis in genere.



D pleniorē de Horis Canonicis tractatiōnem, prænotanda putauimus ea breuissimè, quæ Theologi, Canonistæ & Summistæ de Horis ijsdem docuere, hoc est, de Nōmine, Ori-
gine, Numero, Obligatione, Defectibus & pœnis ad Offi-
cium diuinum pertinentibus.

SECTIONIS PRIMÆ CAPITA SEX.

- 1 *De nomine Officij & Horarum
Canonicarum.*
- 2 *De origine Officij diuinī.*
- 3 *De partibus diuinī Officij, & Ho-
rarum numero.*
- 4 *De obligatione Officij diuinī.*
- 5 *De defectibus in Officio diuino con-
tingentibus.*
- 6 *Tit. 1. De omissione diuinī Officij.*
- 7 *De mutatione Officij diuinī.*
- 8 *De intentione diuinī Officij.*
- 9 *De attentione diuinī Officij.*
- 10 *De prolatione diuinī Officij.*
- 11 *De tempore Officij diuinī.*
- 12 *De loco diuinī Officij.*
- 13 *De ordine diuinī Officij.*
- 14 *De interruptione diuinī Officij.*
- 15 *De pœnis circa diuinum Officium.*

*De nomine Officij & Horarum
Canonicarum. C A P . I.*

Officium est quasi effidium, secundūm Hieron. in lib.
de Officijs; vnicuique enim conuenit suum efficere officium; vel,
secundūm Isidorum, vt quisque illa
agat, quæ nulli officiant; vel, secundūm
eudem, est proprius, congruus actus
cuiusque personæ secundūm mores
ciuitatis, vel instituta professionis.
Diuinum dicitur, quia est proprius
actus eorum qui Deo sunt dicati.

A

2 Hora

2 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. I. Cap. II. & III.

2 Horæ dictæ sunt, vel ab orando: nam hora idem videtur esse ac, ora, cum aspiratione, Deum. vel melius: quia definitis horis ex instituto Ecclesiæ recitantur, *Azor. par. 1. lib. 10. cap. 1. quest. 1.*

3 Canonicae appellantur, id est Regulares, quia iuxta regulam Ecclesiasticam. Alij dixerunt, quia Canonorum Choro addictorum sunt preces, *Azor. ubi suprà*. Alij, quia Canonicum & Ecclesiasticum sunt idem. quod probat Steph. Duran. lib. 3. de Ritibus cap. 1.

4 Horæ Canonicae dicebantur Cursus à S. Germano Parisensi Episcopo, ut in eiusdem Vita cap. 64. & 79. scribit Fortunatus Pittauorum Episcopus, contemporaneus eiusdem, apud Sur. Tom. 3.

De origine Officii diuini.

C A P. II.

1 **A**postoli ab Hebreis accipere horas orandi: & hora Tertia erant orantes in Pentecoste, *Act. 2.* Hora Sexta Petrus ofabat, *Act. 10.* Ad horam Nonam ascenderunt in Templum Petrus & Ioannes, *Act. 3.* Media nocte orabant Paulus & Silas, *Act. 16.* quare easdem horas præscripsere fidelibus, *ex Clem. lib. 8. Constit. cap. 40.* Non ergo Pelagius I. vt ait Maurolycus in Martyrolog. 27. Augusti, neque Pelagius II. vt voluit Polydor. Virgil. lib. 6. de Invent. rerum cap. 2. neque Damasus, *ex Pontificali cap. 39.* in eius Vita, dicensi sunt auctores, sed ij vel formulæ Officii Decretis firmauerunt, vel ritus amplificauerunt.

2 Certè Gelasius I. & duo Gregorij, I. & VII. formulæ Officij, qua-

nunc utimur, dicuntur Constitutores & Reformatores à Pio V. in Bulla sua initio Breuiarij edita, & non alij.

3 Præterea certum est, non eodem tempore Horas omnes institutas fuisse. Nam Primam & Completorium vltimò fuisse additas, docet Radulphus Tungerensis Prop. 14. & nos dicimus, cùm de singulis Horis agemus, Sectione quarta.

De partibus diuini Officij, & Horarum numero.

C A P. III.

1 **S**eptem horæ sunt, & octo, de quibus forte mandatum accipis, vt des illis partem, *Ecli. 7.* Communior est opinio, septem esse, Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Completorium. ita in *Concil. Cabilon. II. can. 59.* iuxta illud *Psalm. 118.* Septies in die laudem dixi tibi. *fusè Azor. cap. 1. quest. 2.*

2 Qui volunt esse octo, diuidunt Laudes à Matutino, & deducunt ab Esdra lib. 2. cap. 9. Qui quater in nocte & quater in die iussit laudari Deum. *lege Nauarr. de Orat. cap. 3.*

3 Romæ nullum fuit interstitium inter Matutinum & Laudes, vt testatur Amalar. in *Prolog. de Ord. Antiphonarij.*

4 Ordo Horarum patet *ex cit. Concil. Cabilon.* quamvis Rabanus lib. 2. de Institut. Cler. cap. 3. easdem numeret, incipiens à Laudibus, quas vocat Matutinas preces, & eas terminet in nocturnas Vigilias: sed hæ certè, hoc ordine posito, spectarent potius ad sequentem quam ad præcedentem diem.

5 Non caret mysterijs hic numerus

rus Horarum septenarius : & Primò respectu creationis , vt agamus Deo gratias pro rebus creatis in septem diebus. ita Cassian. de Instit. Mon. lib. 3. cap. 3. Secundò, Redemptionis nostra mysteria his Horis operata fure : nam media nocte natus est Christus, & resurrexit. Hora prima dicitus ad Pilatum. Tertia linguis Iudeorum in crucem actus , flagellis cæsus , spinis coronatus. Sexta verè cruci affixus. Nona expiravit , & ad inferos descendit. Vespertina de cruce depositus est ; eadem hora cœnauit , pedes lauit , Eucharistiam confecit. Hora Completorij orauit in horto. Tertiò respectu nostri , Septies in die cadit iustus , Proverb. 24. & nos septies orando resurgimus . Quartò , numerus vniuersitatis est septenarius , ex sancto Gregorio Papa , & in multis à sanctis Patribus commendatur. Quintò , septem assumit dæmon nequiores spiritus contra nos , quæ ratio est Mich. Timorhei in Spec. ordinand. 3. Par. Tract. 6. cap. 4. vbi & addit sextam causam , ad septiformem sancti Spiritus gratiam obtinendam . Denique septem fuere partes Orationis Dominicæ à Christo traditæ.

6 Adhuc in vnaquaque hora septem vel octo particulae numerantur à Rupert. lib. 1. de Divinis Offic. cap. 6. hoc est , Deus in adiutorium , Hymnus , Psalmi , Antiphona , Capitulum , Responsorium breue , Oratio completiua : in Laudibus autem , Vesperis , & Completorio , adduntur Cantica Euangelica ; quia , inquit Ruper. canuntur pro Octaua , & spectant ad beatitudinem . de quibus & nos dice- mus infra Sectione quarta.

De obligatione Officij diuini.

C A P. I V.

Non esse Iuris diuini Officium diuinum, sed tantum Iuris esse Canonici , communior est opinio. Vide Azor. cap. 1. quest. ultima.

2 Illud autem hodie est legitimum Officium diuinum , quod Pij V. ius- su est editum, Clementis VIII. & Vr- bani VIII. auctoritate recognitum : & ad hoc tenentur , quicumque tenentur recitare Canonicas Horas , exceptis ijs , qui ante ducentos annos alia vñi sunt Officij diuini formula. Hæc in Bulla Pij V. plura inferius , vbi de Brevia- rio Romano , Sct. 2. cap. 2.

3 Tenentur autem ad Horas Cano- nicas recitandas primò Beneficiati , qui titulum habent Ecclesiastici beneficij , siue sit beneficium tenue , & est com- munior opinio , Nauar. de Orat. cap. 7. num. 27. siue sit praestimonium , idem cap. 21. num. 9. & Pius V. in Bulla; siue sit commendatum , Nauar. cap. 20. num. 16. siue sit manuale , vel amouibile , Azor. cap. 4. quest. 2. siue iniuste collatum , Nauar. in Miscell. 15. de Orat. ad finem. siue nondum perci- piantur fructus , cum spe tamen perci- piendi , idem cap. 7. num. 30. siue fructus sint reseruati alteri , Azor. cap. 4. quest. 5. siue numquam sint perciendi de consensu , vel ob cul- pam beneficiarij , Azor. ibidem. siue titulum tantum habeant cum suffragio in Capitulo , idem ibidem.

4 Non tenetur Coadiutor vt Coadiutor , Nauar. cap. 20. num. 17. neque Pensionarius , idem cap. 7. num. 25.

5 Porro incipit in prædictis obli- gatio à die possessionis adeptæ (quam debent procurare citius , ne cum culpa

A 2 differ-

4 Comm.in Rubr. Breuiarij.

differatur) ex consuetudine Romanae Curiæ, testante *Paris.lib.1.de Resign.* benef. quest. 9. num. 15. imò ab hora, quæ respondet horæ in qua possesio capta est, *Bonacini. loco mox citando pun. 4. num. 10.*

6 Qui plura habet beneficia, ad vnum Officium recitandum est tantummodo obligatus, *Palud.4. dist. 25. q. 5. quem sequuntur alij apud Bonac. disp. de Hor. Canon. 1. quest. 2. pun. 4. num. 27.* qui addit num. 28. eum, qui duo habet beneficia, alterum iuste, iniuste alterum, teneri ad recitanda duo Officia. vide ibi optimam causam.

7 Initiati sacris Ordinibus tenentur ad Horas Canonicas ex præcepto S. Gregorij Papæ, vt docet *Cornel. Schultingius Tom. 1. Biblioth. Eccles. par. 1. cap. 24.* vbi citat in hanc historiam de S. Gregorij præcepto Hermannum Gigantem in Flore temporum. Præcipitur ijsdem in *Concil. Basiliensi cap. Qualiter.* at ex sola consuetudine eos obligari vult *Nauar. cap. 7. num. 2.*

8 Si censuris innodati sint, adhuc tenentur, *Silvest. Hora. quest. 3.*

9 Incipit autem eorum obligatio statim ac ordinati sunt Subdiaconi, scilicet ad eam Horam quæ in Choro tunc temporis dicenda esset, *Azor. lib. 10. cap. 13. quest. 17.* quòd si anticipent, recitando Horas antequam initientur, adhuc iterùm debent easdem recitare, *Bonac. loco citato par. 5. num. 11.*

10 Regulares quoque professi, tam mares quam feminæ, Choro addicti tenentur ad Horas Canonicas recitandas, *Nauarr. cap. 7. num. 21.* ex consuetudine vbiique recepta, ait *Caiet. v. Hore.* si verò ejciantur per sententiam, aut ad triremes compellantur, non tenentur, *Sot. lib. 10. de Inst. q. 5. art. 3. quem sequitur Bonac. disp. 1.*

Sect.I.Cap.IV.& V.Tit.1.

quest. 2. punc. 2. num. 3. nisi sint in Ordine sacro, *ibidem.* Volunt autem eiusmodi reos teneri, *Nauarr. cap. 7. num. 20. Azor. cap. 6. quest. 7.* & alij. quibus consentio.

11 Incipit in his obligatio ab hora qua professionem votorum solemnem emiserunt; vt in similibus dictum est suprà num. 5. & 9.

De defectibus in Officio domino contingentibus.

C A P. V.

R Euocari possunt defectus omnes in hac materia ad novum Titulos, nempe omissionem, mutationem, intentionem, attentionem, prolationem, tempus, locum, ordinem Horarum, & interruptionem, de quibus hoc loco breuissime, & quasi per Aphorismos. Fusiū ad hæc stimulos addit, hoc est rationes & argumenta, ad perfectum Hymnodiarum, *Anacletus Siccus, nostræ Congregationis, in libro edito de Ecclesiastica Hymnodia, cantantibus in choro valde utili, & propè necessario.*

De omissione. T I T. I.

Q Votidiana recitandi Officii diuinæ obligatio cœpit anno Domini 540. ex *Sigeberto in Chronicis.* Quare, qui totum Officium unius diei omittit, etiam absque contemptu, sine iusta causa, per solam negligientiam, peccat lethaliter, *Nauarr. cap. 7. num. 1.* & est communis. Vnumque peccatum est, sed grauius, si unica voluntate omisit totum, *ibidem num. 6.* at in Subdiacono & Beneficiario simul, est duplex peccatum, ob duas obligationes, Ordinis & Beneficii; quod & in sequentibus nota; *Dores*

De defectibus in Officio diuino contingentibus. 5

etores apud Bonac. loco citato quæst. 5. punc. 1. num. 4. non autem si plura habeat beneficia, vt diximus supra cap. 4. num. 6.

3 Idem dic de eo qui omittit Horam integrum, Nauarr. loco cit. num. 1.

4 Idem de eo qui omittit Horæ partem notabilem, Nauarr. num. 44. quam idem ex S. Antonino docet esse tertiam horæ partem, ibidem. Alij putant medietatem horæ parvæ, apud Bonac. loco cit. num. 2. censet Io. Petrus Moneta nostri Ordinis, de Distribut. par. 2. quæst. 3. num. 33. decimam partem esse notabilem. Placet mitior Lessij & Bonac. sententia, horam parvam integrum tantum esse materiam peccati mortalis, & infra eam esse ita modicam quamcumque partem, vt Ecclesia non credatur ob eam facere velle reos ignis æterni.

5 Qui omittit Officium in primis sex mensibus ab adepta possessione beneficij, licet non amittat fructus, peccat tamen, Pius V. in Bulla aperiæ, Ex proximo Lateranensi.

6 Excusatur primò ob infirmitatem corporis iudicio Medici, Nauarr. cap. 21. num. 16. & si res est adhuc dubia, accedat assensus Superioris, Sot. lib. 10. de Iustit. quæst. 3. Neque tunc tenetur audire alium recitantem, Nauarr. cap. 11. num. 6. quod intellige de impotentia ad totum Officium, vel ad maiorem partem eiusdem: in quibus casibus ad nihil tenetur: si vero potest recitare maiorem partem, vel æqualem, excusatur tantum à minori, vel æquali, quam non potest, Sanchez in Decal. Tom. 1. lib. 1. cap. 19. num. 2. Secundò, cæcus excusatur, si cum socio non potest recitare, quem non habet, Nauarr. num. 13. quod si bonam partem memoria teneat, eam

recitet, num. 15. Tertiò, infirmus, qui non facilè socium habet, quo cum possit sine sui præiudicio recitare, num. 19. idem Nauarr. Quartò, gravis occupatio excusat, quæ omitti nequit neque differri sine aliorum offensione, & ea est ad longum tempus, vt desit tempus ad recitandum, Nauarr. num. 34. Quintò, iusta occupatio in Choro, querendi Psalmos alijs, incensandi, &c. Sanctus Antonin. par. 1. tit. 9. cap. 12. §. 3. cum Nauarr. cap. 11. num. 36. Sextò, non excusat autem perégrinatio sulcepta legitimè, Nauarr. num. 33. neque studium litterarum, etiam si per substitutum seruiatur Ecclesiæ, idem num. 31. Septimò, ob carentiam Breniarij, etiam ex culpa, à qua non excusat, tamen ab Officio excusat, Azor. cap. 13. quæst. 16. An vero à totò, vel à parte excusat, eadem dicitur quæ supra de infirmo, & cæco. Octauò, ignorantia regularum Officij excusat, licet peccet, qui suscipit Ordinem vel beneficium cum hac ignorantia, Nauarr. num. 20. nisi bona fide suscipiat, se statim cum alio recitaturum, Azor. quæst. 18. Nonò, metus mortis excusat, si ab hostibus Ecclesiæ periculum vitæ immineat, idem Azor. quæst. 19. Decimò, si absoluatur à Papa, non tenetur recitare, Nauarr. cap. 11. num. 31. ab Episcopo non potest absolvi, num. 24. Potest autem Religiosus vt Religiosus non teneri, ex dispensatione Superioris, vt ex causa studiorum, vel alia iusta; quia potest Superior in legibus Religionis dispensare, Lessij cum Bonac. disp. 1. quæst. 2. punc. 2. num. 9. Superiorum intellige supremum, ait Bonac. Denique tenuitas beneficij non ultra octo ducatos, ex quadam æquitate, Confessarij prudenter.

6 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. I. Cap. V. Tit. 2.

dentis arbitrio, excusare potest à quotidiana Officij recitatione, dummodo diebus Festis recitetur, *Homobou. noster trac. 4. cap. 5. quaest. 33.* quod & concedunt alij apud *Mollesium trac. 5. de Hor. Can. cap. 3. num. 26.* quando non excedit sexdecim ducatos.

De mutatione Officij diuini.

TIT. II.

Sacra Rituum Congregatio respondit, non esse relinquendum Officium debitum pro alio Officio deuotionis, die 29. Nouemb. 1603.

2 Episcopus Regularis debet Officium recitare iuxta ritum suæ Diœcesis, non regulæ; & occurrente Festo Regulæ in Festo Diœcesis, hoc præferri debet. ita censuit sacra Rituum Congregatio 11. Iunij 1605.

3 Cappellani Episcopi, qui cum eo recitant Officium, debent se illi conformare. Eadem Congregatio die eadem.

4 Qui sunt de gremio Ecclesie, debent recitare Officium quod in Choro dicitur: & licet extra Ecclesiam vel Diœcесim morentur, decet eos recitare Officium proprium Ecclesie ipsorum. Eadem Congregatio die 8. Septemb. 1602.

5 Clerici, licet adscripti alicui Ecclesie & eiusdem seruitio, non tamen obligati Choro, & quicumque alij Clerici sæculares Regularésse, in ciuitate vel Diœcеси commorantes, non tenentur recitare Officia propria Sanctorum illius Diœcesis, vel quæ de consuetudine in eadem Ecclesia recitantur in Choro. Eadem sacra Congregatio die qua supra 8. Septemb.

6 Festum Patroni principalis loci tenentur omnes cum Officio de eodem, etiam Regulares, celebrare; non

autem Octauam Regulares, vt censuit saepius eadem sacra Congregatio, & postremò 27. Maij 1628.

7 His casibus exceptis, & alijs, qui habentur aperte in Rubricis, seu Decretis sacræ Congregationis, de quibus nos infra suis locis, non licet mutare Officium vnius diei in Breuiario Romano præscriptum in Officium alterius diei; & qui mutat, præcepto non satisfacit, *Doctores apud Bonac. questione 3. puncto 1. num. 17.* & fuisus probat *Hier. Onuphrius in aureo hac de re opusculo Bononie edito.* tum quia Pius V. in Bulla non modò præcipit substantiam, sed etiam modum & formam Horarum Canoniarum; tum quia motus ille fuit, grauissimè ferens varietatem orandi. Et *Suar. tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 23. num. 12.* & 14. ita improbat mutationem, vt si fiat sine causa rationabili, improbabilem eam esse mutationem prorsus existimet. Addit *Bonac. num. 19.* neque Episcopum posse hanc præscribere mutationem, quod intellige cum *Suar. loco citato c. 11. num. 6.* & *cap. 23. num. 17.* si ab Episcopo id fiat ex lege, aut quasi permanenter: quod ait ad Papam spectare. Quod si mutatio fiat etiam ex inaduententia, debent omissa suppleri, *Tolet. in Summ. lib. 2. cap. 13. num. 6.* & *Bonac. num. 18. loco citato.* quare in hac re non audiendus *Silvest. v. Hora. quaest. 12.* qui ante Pium V. vixit, neque *Nauarr.* qui *cap. 19. num. 217.* ante Pium, scribens permisit, si raro mutatio fiat.

8 Sed neque fieri potest mutatio ritus, vt scilicet duplice ritu celebretur Festum, quod alias simplici sub ritu vel semiduplici decretum est, *Doctores qui supra.* Et sacra quidem Congregatio Rituum die 23. Nouembris

De defectibus in Officio diuino contingentibus. 7

bris 1602. decreuit, quod de Sancto, cuius insignis Reliquia habetur, fieri potest Officium duplex minus in eius Festo, dummodo sit Reliquia approbata, ea prorsus regula, qua Gregorius XIII. die 30. Decemb. 1573. in Bulla, quam afferit *Genn. in Praxi Neapol.* cap. 65. in 3. edit. 1616. concesserat Ecclesijs Hispaniarium Festa Sanctorum naturalium, & quorum Reliquias insignes haberent, sub ritu duplici celebrare posse; licet in Breuiario non existerent, vel minori ritu haberentur. Vide infra Sect. 3. cap. 3. num. 5.

9 Denique eadem sacra Rituum Congregatio Decreto edito die 8. Aprilis 1628. Rubricis Breuiarij nunc addito, & approbato à Sanctiss. D. N. Urbano VIII. censuit, & re maturè discussa decreuit, non potuisse, neque posse locorum Ordinarios, tam saeculares quam regulares, addere Calendarijs etiam proprijs (quod idem est ac mutare Calendarium Romanum) Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat quæ Breuiarij Romani Rubricis, vel sacrae Rituum Congregationis seu Sedis Apostolicae licentia conceduntur; sub pena, quod non fiat satis obligationi recitandi diuini Officij, & consequenter non faciendi à Clero fructus suos beneficiorum.

10 Et multò minus adhiberi possunt Officia Festorum alia à sacra Rituum Congregatione non approbata, quæ in predicto Decreto eadem merito reiecit, & damnauit, & pro reiectis & damnatis haberi voluit, & præcepit, sub penis contentis in Indice librorum prohibitorum ex Decreto Concilij Tridentini edito, & impresso; hoc est, ut, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur ille qui

prædictis vtitur, iudicio Episcoporum seuerè puniatur. quod expressè habetur in *Regula 10. in fine*, & in *Bulla Pij IV. 24. Martij 1564. pro codem Indice data*.

11 Neque item potest Episcopus extendere Officium, quod fieri solet in ciuitate, ad suam Diocesim, contra Decretum hac de re à S. Rituum Congregatione die 16. January 1607. & cōsequenter multò minus Officium, sed Lectiones approbatas pro una Ecclesia, illud, vel illas extendere ad alienas Ecclesias, suique Cleri usum. Habes hoc idem in Decretis S. Congregationis Rituum in Breuiario appositis.

12 Atque in prædictis num. 8. & 9. strictim est accipiendum nomen *Sancti*, hoc est canonizati ab Ecclesia, seu per immemorabile tempus habitu pro Sancto, cui tantum publicus & uniuersalis conceditur cultus à *Glossa in cap. unic. de Reliq. & vener. SS. in 6. §. Sedis Apost. ver. Dicimus*. quam sequitur *Cassaneus in Catal. glor. mundi par. 3. consid. 46. §. Aduerte.* etenim Sedes Apostolica quo ad locum, tempus, ritum in Beatorum cultu limitatè procedit; veluti nuper de beato Rocho nondum canonizato concessit Officium & Missam in Ecclesijs tantum eius nomine dicatis, & in Eremitorijs eiusdem habentibus requisita Ecclesiarum, per sacram Rituum Congregationem die 26. November 1629. quod ideò monui, quia, licet in Martyrologio recenseantur, non tamen in rigore appellantur Sancti: & ibidem multi dicuntur Beati, qui nondum fuere canonizati. Illud enim verum est, quod quilibet Sanctus dicitur Beatus; non è contra, Beatus dici potest Sanctus, nisi impropriè, & abusivè.

Dc

8 Comm. in Rubr. Breuiarij.

Sect. I. Cap. V. Tit. 3. 4. & 5.

De intentione Officij diuinij.

TIT. III.

1 **S**Vfficit intentio implicita orandi Deum, *Nauar. cap. 13. num. 15.* & habetur in sola Breuiarij acceptio-ne, vt recitetur Officium.

2 Qui recitat principaliter ob lu-
crum distributionum, seu fructuum,
sive sit intentio actualis sive virtualis,
peccat, *Nauar. de Orat. c. 6. num. 15.*

3 Ille itē Religiosus peccat, qui prin-
cipaliter recitat ob timorem pœnarum
à Superiore irrogandarum, vel alios fi-
nes minus bonos, *Nauar. ibid. nu. 19.*

De attentione Officij diuinij.

TIT. IV.

1 **Q**Vi non attendit ad verba, vel
ad sensum verborum, vel ad
finem in oratione propositum, peccat;
& duas primæ attentiones singillatim
sufficiunt, *S. Thom. 2. 2. quæst. 83.
art. 13.* neque meliorem tenetur quæ-
rere, ait *Suar. tom. 2. de Relig. lib. 3.
cap. 4. num. 9.*

2 Qui recitat sine attentione actua-
li, vel virtuali, peccat mortaliter; nec
habitualis sufficit, quæ absque vlo
voluntatis actu non raro contingit,
Azor. cap. 12. quæst. 1.

3 Qui voluntarie distractus, alia
faciens quæ attentionem impedianc,
scribendo, pingendo, & similia facien-
do, peccat, *Azor. quæst. 3. ex cap. Do-
lentes.* vbi præcipitur attentio interior
& exterior, non tamen tenetur repe-
tere; quia, licet male, soluit tamen debi-
tum, *Cordub. in suis Quæst. lib. 4. q. 13.
ad fin.* putat *Azor. oppositum esse ve-
rius quæst. 6.* & addit *Nauar. cap. 20.
num. 32.* teneri, ac si non recitassem, ad
restitutionem fructuum. quod nobis
magis placet.

4 Qui recitat dum vestes induit,
exuit, faciem lauat, &c. peccat venia-
liter, *Nauar. num. 32.*

5 Qui attente quidem recitat, sed
in animo habet non satisfacere præce-
pto, tenetur repeteret, *Nauar.
cap. 16. num. 74.*

6 Qui tantum legit preces Horas
rias, & non orat, minimè satisfacit,
Nauar. cap. 13. num. 15.

7 Qui recitat Officium, & simul
audit Missam, satisfacit; peccat ta-
men venialiter, *ex Caiet. in Opuse.
Tom. 2. tract. 4. Negat Nauar. cap. 16.
num. 71.* si iusta sit causa. At concor-
dant omnes, nullum esse peccatum,
si recitat quando Sacerdos Missa se-
creta dicit.

8 Qui recitat cum alijs, satis est, si
attente audiat verba plurium, non sin-
gulorum, ac si ab uno tantum diceren-
tur, *Azor. cap. 7. quæst. 7.*

De prolatione Officij diuinij.

TIT. V.

1 **Q**Vi recitat solus, satis est, si
verba ita proferat, vt seipsum
percipiat, & intelligat; neque sufficit,
si in gutture tantum pronuntiet, sed
linguam & labia verè moueat, *Nauar.
cap. 20. num. 14.*

2 Qui verba diminuit & detrun-
cat, syncopat & transcurrit (nisi virtus
linguae, vel consuetudine quadam
quasi ingenita fiat) peccat saltem ve-
nialiter; nec tenetur repeteret. *Azor.
cap. 7. quæst. 11.* & putat verius, &
probat fusiūs.

3 Qui recitat cum socio satisfacit,
sive ille sit obligatus ad Officium, sive
non; & satis est, si attendat ad Antiphon-
as, Capitula, & Orationes, que socius
solus dicit, *Nauar. cap. 10. num. 16.*
idem dic de Lectionibus, *Azor. cap. 7.
quæst.*

quæst. 9. In psalmis autem & Hymnis recitandis, caue, ne si plures socij sint, alio modo dicantur quam alternis versibus, ad modum duarum partium Chori, ex ysu eomuni Ecclesia; alioquin non sit satis, ait *Suar.* lib. 4. cap. 25. num. 3.

4 Qui in Choro destinatus ad cantum non cantat, non satisfacit, *Nauar.* *Miscell.* 79. de *Orat.* cap. 10. num. 47. ex *Trident.* *Seff.* 24. cap. 12. vbi de Canonis loquitur. Confluetudo contraria in Canonis, qui per alios cantant, vbi moribus gentium sit recepta, sive continuata post Bullam Pij V. potest excusare a canu, *Azor.* cap. 11. quæst. 6. Videant tamen Episcopi, ne sit abusus, & dum per organum sonatur versus, dicatur hic ab aliquo, ut ab astantibus audiatur, *Suar.* Tom. 2. lib. 4. cap. 8. num. 7.

5 Ad exactam prolationis formam, & præsertim in Choro, valde iuuat cognitio verborum Grammaticalis, quænam corripienda sint, aut producenda. Et quia rudioribus etiam sum ego debitor, addidi ad calcem huius Operis eorum verborum notulam quæ in Breuuario Romano sparsim habentur; & in quibus plurimi hæretere possunt, & solent: licet in Breuuario ipso nuper edito suis locis eadem iam adnotauerimus.

De tempore Officij diuinij.

TIT. VI.

1 **D**icit Francol. de hac refusione, & par. 1. cap. 10. præsum tempus cuiusque Horæ recitandæ debitum, esse intra spatum Horæ diei sibi respondentis, non extra illud; & cap. 21. Primam in prima diei hora, Tertiam in tertia, Sextam in sexta. Nonam in nona, Vesperas in

vndecima, Completorium in duodecima recitandas esse, Matutinum autem post medium noctem, aoram versus; sumitque ille horas cum latitudine.

2 A media nocte antecedentis diei incipit tempus recitandi Officij, & perfuerat usque ad medium noctem sequentis inclusuè. Est communis apud Bonac. disp. 1. quæst. 3. pun. 3. num. 2. ita ut ultra medium noctem sequentis diei Officium præcedentis non valeat, *Nauar.* cap. 3. num. 54.

3 Qui variat intia dictum tempus notabiliter horam a sacris Canonibus præscriptam, peccat venialiter, *Bonac.* loco citato num. 4. nisi iusta causa excusat; quæ est maior deuotio, vel periculum probabile futuræ occupationis, idem num. 5. quare nec tenetur repertere, num. 6.

4 Consuetudini in hacte standum est potius quam Iuri scripto, *Azor.* quæst. 8. in 2. obiect.

5 Satius est etiam anteponere quam postponere, *Azor.* cum communi cap. 9. quæst. 3.

6 Matutinum & Laudes ex iusta causa possunt recitari in Vespere præcedentis diei, puta, ut deuotiùs ore, vel studijs manè operam det, vel quia non poterit manè ita commode recitare, *S. Thom.* quodlib. 5. artic. 28. & communis. & post Completorium satis est expectare tertiam vel quartam horam post meridiem, *S. Thom.* ibid. & alij apud Bonac. loco cit. num. 16. non ante horam vigesimam num. 17. *Azor.* autem docet cap. 9. quæst. 5. non ante vigesimam primam aestate, nec hieme ante vigesimam secundam.

7 Prima ante solis ortum, vel paulò post, Tertia aliquantulum post ortum, Sexta paulò post, Nona prope

B pran-

10 Comin.in Rubr.Breuiarij.

prandium, Vesperæ & Completorium post prandium, *Tolet. lib. 2. cap. 23.* Sed excusatur ab omni peccato ille qui recitat Primam cum Tertia, Sexta & Nonia simul, duabus vel tribus horis post Solis ortum, *Bonac. loco citato num. 9.*

8 Qui verò differt Matutinum sine causa ad Vespertas, vel anticipat Completorium ante prandium, nimis notabiliter variat tempus, & peccat venialiter, *Bonac. ibidem.*

9 In Choro statæ horæ sunt obseruandæ magis quam in priuata recitatione, *Nauar. cap. 3. num. 63.* & alij cum Bonac. num. 7. qui tamen cum Caietano, secluso scandalo, censet, non peccare mortaliter eos qui extra statas horas in Choro recitant; & ibidem addit, posse, ob Processionem, vel Concionem, mutari horam. Si quod est peccatum, imputatur Superiori potius quam Canonicis, paratis tamen ad obediendum.

De loco diuinis Officij. Tit. vii.

1 **V** Bique recitari potest priuate, *Azor. lib. 10. cap. 11. quest. 8.* modò non impediatur attentio, *Nauar. cap. 21. num. 32.* & locus sit decessus, *ex Mofes. Tract. 5. cap. 2. n. 80.*

2 In Choro verò tenentur recitare, qui Choro sunt addicti ex iustitia, iuxta institutionem beneficiorum & consuetudinem locorum, nisi aliud cogat necessitas, ut hiemis tempore in Sacristia, vel adsit consuetudo legitima, vel priuilegium Papæ, vel Fundatoris institutio, *Bellarmin. in lib. de Bon. oper. cap. 18. ver. Locus.* & Doctores communiter.

3 Vnde Canonici, qui ultra tres menses à Tridentino permisso, notabiliter, hoc est, pluribus diebus, ultra

Sect. I. Cap. V. Tit. 6.7.&8.

quatuor, à Choro absunt, per se loquendo mortaliter peccant, ut fusiùs Bonac. disp. 2. quest. 1. par. 2. num. 1. Neque possunt alios sibi substituere, *ibidem pun. 4. num. 1.* nisi consuetudo legitima vel priuilegium adsit, ait *Moneta noster de Distrib. par. 2. q. 14. num. 20.* & 42. An teneantur adesse in habitu Canonicali, vide Monetam *ibidem quest. 19. ad finem.*

4 Fieri etiam potest, vt, consuetudine immemorabili, vel sufficienter praescripta, Canonici, quorum fructus sunt tenues, non teneantur quodidie ad Chorum, *Bonac. disp. 1. quest. 2. punc. 5. num. 14.*

5 Episcopi per se loquendo non sunt addicti Choro, *Bonac. ibidem num. 9.*

6 Parochi de Iure antiquo tenebantur, nunc minimè, ad publicam recitationem Officij in Ecclesia, & hoc de consuetudine ferè vniuersali & communiter recepta, exceptis Vesperis in diebus Festis, *ex Suar. & Bonac. lg. co suprà citato num. 12.*

7 Multò minus Cappellani tenentur ad Chorum, quibus ex fundatione non incumbit hæc cura, *Bonac. nn. 13.*

8 Regulares addicti Choro non tenentur ad Chorum, nisi ex vi Regulæ, & idèò non sub peccato mortali, *Caiet. v. Hora Can. & Bonac. loco cit. quest. 2. pun. 2. num. 8.*

De ordine diuinis Officij. Tit. viii.

1 **Q** Vi sine iusta causa peruerit ordinem Horarum, peccat venialiter. Iusta verò causa est oblioio, inaduentitia, ut Chorus iunteratur, vel alias, ad dicendum Officium, *Azor. cap. 10. quest. 1. ex Nauar. cap. 3. num. 65.*

2 Peruersio eiusdem horæ, secluso con-

contemptu & scandalo , ex iusta causa excusari potest ab omni peccato , Bonac. disp. 1. quest. 3. pun. 4. num. 5.

3 Grauior autem erit culpa , si in Choro perueratur ordo , Suar. lib. 4. cap. 11. num. 10. & alij , qui putant esse ex suo genere culpam lethalem ; negat Bonac. ibidem num. 5.

De interruptione diuini Officij.

TIT. IX.

1 **Q** ui diuidit Matutinum à Laudibus , nocte tota interposita , non peccat , Doctores apud Bonac. disp. 1. quest. 3. pun. 3. num. 11. Azor. vult esse veniale sine causa , cap. 8. quest. 4.

2 Qui diuidit Nocturnum à nocturno per horam vnam plurime cum iusta causa , non ultra tres horas , non peccat , Doctores apud Bonac. num. 13. contra Azorium loco citato.

3 Qui diuidit Horam parvam vel Psalmum ex causa , non peccat , Azor. quest. 5.

4 Interruptio ad longum temporis spatium probabilius obligat ad repetitionem , Nauarr. cap. 16. num. 75. ad breve tempus , etiam ad iocum vanosque sermones , non obligat , Nauarr. num. 75. & cap. 10. num. 42. & cap. 16. num. 66. At in utroque casu non esse repetendum , docet cum alijs Bonac. sup. pun. 2. §. 1. num. 28. Peccari saltem venialiter , sine iusta causa , est dicendum , num. 30.

5 Qui interruptit animo continuandi , ut aliud agat , non tenetur repetere ; imò nec ille , qui animo repetendi , & posteā non repetit , communiter Doctores apud Bonac. num. 31. contra Nauar. & Azor.

De pœnis circa diuinum Officium. CAP. VI.

1 **B**eneficiarij habentes onus recitandi diuinum Officium , titulo beneficij tenetur etiam ante Iudicis sententiam ad restitucionem fructuum pro rata omissionis Officij , si , elapsis sex mensibus post obtentam beneficij possessionem , Officium culpabiliter non recitauerint . etiamsi alio die pensum prætermissum supplere conentur , nili forte pars omissa sit leuis . Bonac. explicat , & probat singulas huius axiomatis partes , disp. 2. quest. 5. pun. 2. toto.

2 Rata omissionis & restitutionis est , ex Pij V. Bulla , ut protoco Officio vnius vel plurium dierum restituantur fructus beneficij , seu beneficiorum , qui illi seu illis diebus responderent , si quotidie diuiderentur : pro Matutino dimidiā partem fructuum , pro ceteris horis simul aliam dimidiā , pro vnaquaque hora sextam partem vnius diei restituantur .

3 Qui paucos versiculos aut Psalmum omittit , non tenetur quidquam restituere , Nauar. cap. 9. & cap. 10. num. 42. & alij apud Bonac. loco cit. num. 11. & cō magis , si tenuerit beneficium : quod si lēpius partem notabilem omittat ex pluribus omissionibus compositam , quibus singulis non responderit pars notabilis fructuum , nihilominus tenebitur ad restitutionem , Bonac. num. 14. contra Monetam nostrum negantem , cuius opinio mitior non est improbabilis , & mihi placet .

4 Qui recitauit absque attentione , tenetur ad restitutionem , Nauarr. & alij cum Bonac. ibid. num. 17.

B 2 5 Omit-

12 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. I. Cap. VI.

5 Omittenti diuinum Officium, ita ut intra quindecim dies illud saltem bis non recitet, imponitur priuationis beneficij pœna, non tamen ipso facto, ex Decreto Concil. Lateran. firmato à Pio V.

6 Atque hæc intelligenda sunt de fructibus respondentibus oneri diuini Officij, de quibus in Bulla Pij V. non autem de ijs fructibus qui respondent oneri Episcopali, Parochiali, Canonicali, præter Officium diuinum. de quibus vide Bonac. loco cit. punc. 3. num. 2. qui reiecit dicentes, onus Clerici quoque esse gestare habitum & coronam, quæ alioqui compensantur immunitate, &c.

7 Tuitior tamen est aliorum sententia, Azorij lib. 10. cap. 14. quest. 5. & aliorum apud Bonac. num. 3. qui nihil distinguunt inter prædicta onera, & absolute volunt restitui fructus; non tamen eneruant priorem & minorem sententiam, quæ in praxi sustineri potest.

8 Facienda vero est restitutio prædicta fabricæ beneficij, vel pauperibus, ex Bulla Pij V. non præcisè fabricæ Ecclesiæ, sed vel domui, vel agro beneficij, & similibus, dummodo sit in utilitatem beneficij, non alterius loci, Suar. lib. 4. num. 19. & alij.

9 Quod si alter locus sit pauperibus destinatus, idem est ac si pauperibus; quod conceditur in Bulla: imò & pro animabus Defunctorum expendi possunt ij fructus, Nauarr. cap. 25. num. 122. Denique beneficiarius pauper sibi potest illos applicare, ex Bonac. loco citato num. 8. modò aliud non constet ex consuetudine vel statuto particulari, Suar. loco citato numero 17.

10 In Choro vero, addicti eidem

amittunt distributiones quando non intersunt, vel praesentes non recitant attente, confabulando, voluntariè dormiendo, &c. Bonac. disp. 2. quest. 4. punc. 1. num. 10. & 12. etiam si id faciant eo tempore quo Sacerdos Secreta dicit; vel Antiphonæ aut Responsoria per Mansionarios cantantur, si sit pars notabilis, idem ibid. contra Monetam nostrum, qui mitiorem in partem inclinat negatiuam in hoc ultimo casu.

11 In percipiendis distributionibus ab absentibus excusare possunt. Primo grauis infirmitas, quæ scilicet de se leuis, sed accessu ad Chorum grauis efficeretur de iudicio Medici. Nec est necesse, vt sit infirmus in loco beneficij, Moneta noster 2. par. q. 6. num. 7. & 19. si tamen alias interesse confuerat, idem quest. 5. num. 21. Secundò, iusta & rationabilis causa seu necessitas corporis, quamdiu durat necessitas, & præcisa consuetudine in contrarium, veluti causa sumenda medicinae, conualecentiae ruti nutriendæ, senectutis in benemerito, pestis graffantis eo loci cum graui periculo, grauis metus iniustè incussum, inimicitiarum grauium, & sine culpa absens; si capiatur ab hostibus, si iniustè impeditur à Choro, erian à Superiore in carcere detenus, &c. Bonac. hac singula probat post Monetam loco citato quest. 5. punc. 2. toto, ubi eadem docet §. 1. de iniustè excommunicatio; §. 3. de iniustè suspensi; §. 4. de iniustè interdicto; §. 7. de irregulari ut sic præcisè, & post beneficium facto irregulari. Tercio, excusat euidens utilitas suæ Ecclesiæ in eo qui solet alias interesse Choro, qua de re fuse Bonac. & Moneta locis citatis, quamdiu scilicet durat actio in euidentem propriæ

propriae Ecclesiae utilitatem bona fide,
& sine dolo; neque est necessaria licen-
tia Episcopi, ut probat Bonac. punc. 3,
num. 22.

12 Aliae causae excusantes afferun-
tur à Bonac. ibidem §. 3. ad tuenda iu-
ra Capituli seu proprij beneficij, ad
habendam lectionem Theologalem

ex officio præbendæ. Item priuile-
gio Pontificio potest absens lucrari
distributiones, punc. 4. & consuetu-
dine induci potest, ut absentes lucten-
tur easdem.

13 Neque umquam valer remissio,
donatio, collusio, de quibus fusè Bo-
nacin. punclo 7. toto, & hæc satis.

SECTIO SECUND A.

De Præludijs Breuiarij Romani.



T nihil omittatur eorum quæ in Breuiario con-
tinentur, diuidam illud in partes seu Sectio-
nes nouem, nimirum Præludia, Rubricas ge-
nerales, Horarum proprias leges, Partes Ho-
rarum singulas, Proprium de Tempore, Proprium San-
ctorum, Commune Sanctorum, Appendices ad calcem
Breuiarij, & Cærimonias Horarum Canonicarum. Præ-
ludia igitur continent Titulum, Bullas Pij V. Clemen-
tis VIII. & Vrbani VIII. Computum Ecclesiasticum,
& Calendarium.

SECTIONIS SECUNDÆ CAPITA QVINQUE.

1 De titulo Breuiarij Romani.

3 De Bullis Clem. VIII. & Vrb. VIII.

2 De Bulla Pij V. & de usu Bre-
uiarij Romani.

4 De Computo Ecclesiastico.

5 De Calendario.

De titulo Breuiarij Romani.

num 1080. apud antiquiores nondum
legi. Radulphus Tungrensis utitur hac
voce Propos. 22. & habetur in Concil.
Coloniensi, Moguntino, Treverensi, &
Generali Tridentino. Orarium vocau-
re quidam, id est precatiorum librum,
ex Cornel. Schulte. Tom. I. cap. 43.

B 3 2 Signi-

C A P . I.

BReuiarium vox est satis anti-
qua in re nostra, quam legi
apud Micrologum cap. 28. de
Ecclesiastico obseru. qui vixit circa an-

14 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. II. Cap. I.

2 Significat autem Compendium, siue Summarium & concisum opus, ex Plinio lib. 18. cap. 26. & Sueton. in Augusto cap. vlt. item Indicem, ut in 2. Concil. Tom. titulus cuiusdam operis extat: Breuiarium causa Neftorianorum, &c. quæ optimè conuenient Breuiario Ecclesiastico, quod, ut ait Lessius de Justitia & Iure, de Denot. & orat. dub. 8. admirabile est mysteriorum sacræ Scripturæ compendium: continet enim Psalmos, in quibus per modum laudis omnia mysteria clauduntur, tum selectissima quæque veteris & noui Testamenti, tum Patrum monumenta nobiliora, tum præcipua Sanctorum gestæ, breves denique Orationes seu Collectas à Summis Pontificibus ut plurimum compositas, & indicat quotidie quæ preces adhibenda. Romanum dicitur, quia preces continet iuxta ritus sanctæ Romanæ Ecclesiae.

3 Usus tamen Breuiarij, quocumque nomine vocaretur, non fuit ante Lectionarium sancti Hieronymi, inquit Cornelius loco citato, & ex dictis magis patebit. Haymo, Generalis Minister Ordinis Minorū S. Francisci, sub Gregorio IX. anno 1241. ut ex eiusdem Bulla patet, Breuiarium Romanum cum Missali reformauit; & est illud ferè idem quo nunc utimur, ex Radulpho Propos. 17. lege VVaddingum in Annal. Min. anno 1244. qui tamen Radulphus quam maximè dolet, fuisse receptum à Nicolao III. ad usum communem, propter multitudinem Festorum in eodem Breuiario, cum diminutione ferialis Officij.

4 Restitutum dicitur Decreto Concilij Tridentini Sess. 25. in fine, ut intelligas non esse nouum; editum autem à Pio V. & recognitum à Cle-

mente VIII. & Urbano VIII. ea prorsus ratione quæ in Bullis corundem, de quibus nunc dicemus.

De Bulla Pij V. & de usu Breuiarij Romani. CAP. II.

Data fuit Bulla Pij V. septimo Idus Iulij 1568. anno tertio, in qua Pontifex multa facit.

1 Primo significat causam edendi huius Breuiarij, neinpe ad tollendam orandi varietatem.

2 Enarrat ea quæ in hac re præstere Paulus & Pius nomine Quarti, & quam ipse adhiberi operam curavit, ex Decreto Concilij Tridentini.

3 Tollit & abolet omnino Breuiarium à Cardinale S. Crucis compositum, quod erat breuissimum; item alia Breuiaria Romana, & alia, quæ ex institutione vel consuetudine legitima non superant ducentos annos.

4 Permittit tamen, ut antiquiora non Romana ducentis annis possint mutari in hoc Breuiarium, ijs omissis, si Episcopus & vniuersum Capitulum consentiant.

5 Reuocat omnes permissions, consuetudines, statuta, priuilegia, licentias, & indulta precandi & pialendi more & ritu prædictorum Breuiariorum suppressorum.

6 Præcipit obseruari hoc Breuiarium in toto Orbe cum exceptione ducentorum annorum, de quæ suprà.

7 Statuit nihil in eo mutandum, addendum, detrahendum.

8 Obligat quosque qui tenentur Horas Canonicas recitare, ut hoc vtantur Breuiario, alias non satisificant muneri suo.

9 Iubet omnibus Prælatis, ut hoc intro-

introducunt tam in Choro quam extra Chorum.

10 Tollit obligationē, quae erat sub mortali, recitandi extra Chorum Officium paruum B. Virginis, Defunctorum, Psalmos Pœnitentiales, & Graduales, iuxta Rubricas Breuiarij.

11 Horatur, ut recitentur eadem, propositis Indulgentijs dierum centum recitantibus Officium paruum beatae Virginis & Defunctorum, quinquaginta recitantibus Psalmos Pœnitentiales & Graduales, quando Rubricæ ea præscribant.

12 Non tamen tollit laudabilem consuetudinem, vbi est, recitandi Officium paruum B. Virginis in Choro, imò eamdem confirmat; & tandem tempus decernit obligationis ad usum Breuiarij post eiusdem publicationem. Hac Pius V.

13 Ex quibus collige Primò: vbi aliquando, omisso proprio & licto Breuiario, receptum est illud Pij V. non potest amplius omisum repeti, *Suar. Tom. 2. de Relig. lib. 4. c. 11. nū. 5.*

14 Habenti privilegium utendi antiquiore Breuiario ducentos annos superante, non est licitum priuatim ut Romano, relicto sua Religionis vel Ecclesiæ proprio, *Bonac. disp. 1. quest. 3. punc. 1. nū. 3.* & putat probabilius; vnde oppositum quoque sustineri potest, & præsertim si raro fiat, *nū. 5.* & nisi præceptum alieni Breuiarij extet, ut Mediolani pro Breuiario Ambrosiano, *nū. 6.*

15 Qui Romæ degit, potest ut Breuiario Romano, *idem ibidem nū. 7.* Monachus tamen non potest ut Romano, quippe qui promisit obseruantiam sua Regulæ, *ibidem ad Tertiam, ex Silvestr. v. Horæ. quest. 1. dicto 6.*

16 Qui alio concedit animo con-

stituendi sibi domicilium, velibi mandandi maiore anni parte, tenetur ut Breuiario loci vbi moratur; secùs minimè, *Bonac. nū. 8.*

17 Qui duo habet beneficia in locis vbi diuersa Breuiaria sunt in usu, debet in Choro uti Breuiario loci vbi residet; extra Chorum verò eo uti Breuiario loci, vbi dignius, non pinguis habet beneficium. quod si æqualia sint dignitate, uti potest ad libitum utroque Breuiario, *Silvestr. loco cit.*

18 Qui in una Ecclesia habet beneficium, & in altera Diœcesi habet domicilium, vbi Breuiarium est diuersum, tenetur adhibere Breuiarium domicilij, *Suar. nū. 6. loco cit. cōtra quem alij putant præualere Breuiarium beneficij, cùm ex eo insurgat obligatio Officij, S. Thom. quodl. 6. artic. 8.*

19 Non potest Episcopus cum aliquo dispensare, ut, relicto proprio Breuiario, reciter Officium iuxta formam alterius Breuiarij, *Bonac. nū. 19.*

20 Potest Episcopus curare ut Breuiarium Romanum recipiat, ut in Bulla dictum est; & vniuersum Capitulum consentire debet, id est in unum locum coactum, & congregatum; non tamen omnium & singulorum consensus est necessarius, *Suar. cap. 11. nū. 4. ad fin.*

21 Nihil addi posse iussit Pius Breuiario, hoc est tamquam partem Officij notabilis; si quid modicum addatur ex deuotione, non peccatur contra Bullam, *Bonac. nū. 21.*

22 Edita vero hac Bulla Pij V. cessavit omnis antiqua facultas Episcoporum circa Feforum Officia, quam habebant ex sacris Canonibus Archiepiscopi & Episcopi, quos refert *Quaranta in Suamar. Bullarij verbo, Archiepiscopu. nū. 23. vbi idem*

16 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. II. Cap. II.

idem docet , attendendam esse nunc Pij V. Bullam , in qua prohibetur omnis additio seu mutatio Breuiarij Romani reformati , & postea recogniti à Clemente VIII.

23 Cessauerunt etiam consuetudines quæcu[m]que & privilegia Sedi Apostolice contra nouum Breuiarium , quod innuimus *suprà num. 3. & 5.* Vnde non potuerunt retineri Officia recitata ante Pium V. sine licentia Sedis Apostolice ; quia retinere Officia abrogata , est idem ac , addere Breuiario Pij V. seu mutare Officium in Breuiario quoridie præscriptum.

24 Et hic est sensus eorum verborum Decreti 8. Aprilis 1628. renouati , locupletati , & nunc impressi in Breuiario ; nimurum , *Non posse , neque posse locorum Ordinarios addere Calendarijs , etiam proprijs , Sanctorum Officijs , nisi ea dumtaxat , quæ Breuiarij Romani Rubricis , vel sacra Rituum Congregacionis seu Sedi Apostolica licentia conceduntur* ; hoc est , non potuerunt addere post publicatam Bullam Pij V. quod poterant ante illam.

25 Neque potuerunt ijdem Ordinarij , neque possunt (quod habet in eodem Decreto) eadem de causa mutare ritum in altiorem , puta de simpli ci in semiduplicem , vel dupl[icem] , propria auctoritate , licet causa videretur iusta : non enim sufficit causa legitima ; sed est necessaria quoque Sedi Apostolice auctoritas , vel Sacrae Congregationis Rituum licentia .

26 Et hinc sequitur , quod sine predicta facultate non potest fieri Officium , eo quia deuotio populi adest , seu votum .

Neque , quia Clerus consensit in Diocesana Synodo .

Neque , quia voluntas testatorum

legato proprio iussit Officium de Sancto , quod non est in Calendario .

Neque , quia titulus est Cappella , seu Altaris .

Neque , quia ille Sanctus Archiepiscopus est Provincia , vel Episcopus loci , vel titularis Ecclesiae matricis , respectu Officij totius Cleri .

Neque , quia ortus ibi , aut martyrium ibi sit passus , vel ibidem obierit Confessor .

Neque , quia translatio est Reliquiarum .

Neque , quia vnti sunt redditus aliquius Ecclesiaz , vel vuita ipsa Ecclesia alteri .

Nec eo , quia titulus est praebenda Canonicalis , aut dignitatis .

Neque , quia in aliquo loco celebrata est aliquando à Papa alicuius Sancti canonizatio .

Nec eo , quia conformare se debent Ecclesiaz minores matrici , seu Cathedrali .

Neque , quia Festum populi est de præcepto , vel consuetudine , quod potest esse sine Officio ; vt Romæ Festum S. Rochi .

Neque , quia habetur in ciuitate , seu loco , Abbatialis , vel Regulatis , vel Parochialis Ecclesia .

Neque , quia pensionem quis habet super aliquam Ecclesiam .

Neque , quoad Regulares , quia vivunt sub Regula Sancti , à quo tamen non pendent in propria origine .

Neque eo , quia communicationem habet unus Ordo Priuilegiorum alterius Ordinis : quæ communicatio non extédi debet ad Officia seu Festa Sanctorum : non ad omnia , quod non fit ; nec ad aliqua , cum non sit maior ratio de uno Fatto , seu Officio , quam de alio celebrando . Et ratio prædictorum est , quia

quia in Rubricis Pij V. nulla fuit neque est certa lex de his Officijs; & licet iusta in aliquibus sit causa, petenda tamen est licentia omittendi Officium tali die in Breuiario præscriptum, vt aliud de prædictis recitetur.

27 Dices: In Rubricis habentur ſæpius hæc verba, vt tit. 1. num. 1. tit. 2. num. 1. & alibi, Festa Sanctorum illorum quæ consuerunt celebrari: ergo concedit Pius V. retineri adhuc consuetudines. Respondeo, Quod ſic ſe habet textus, celebrari consuerunt solemniter, vel ſolemnissimè: tum quia alioquin Pius V. ſibi eſſet contrarius, ſi in Rubricis concederet consuetudines quas abrogauit in Bulla; non enim abrogauit consuetudines ſolemnies quas concedit in Rubricis: tum quia verè concessit retineri Festa Sanctorum in locis proprijs, non autem quæcumque Festa, ſed ſolemnitate celebrata.

28 Dices adhuc: In ijsdem Rubricis tit. 7. num. 4. habentur præcisè ſine aduerbio hæc verba, consuevit celebrari, & tit. 5. num. 1. consuetum celebrari; ergo ſufficit consuetudo ſimpliciter, non ſolemnis. Sed facile respondeo, posteriores textus pendere a prioribus; & in eodem ſenu accipiendi ſunt ut priores, qui addunt aduerbiū ſolemnitate, ne pugnent inuicem ipsamēt Rubricæ, priores & posteriores.

29 Quid eſt, aīs, ſolemnitate? Respondeo Cleri ſæcularis ſignificat festiuitatem aut populi, aut Cleri cum pompa exteriori, puta Proceſſione, apparatu, concurſu, & huiusmodi. & ita declarauit ſacra-Rituum Congregatio die 28 Auguſti 1628. respectu verò Regularium & Congregationum ſignificat ſingularem quemdam cultum, non communem alijs Festis de Calendario: quæ ratio cum non in omnibus

Festis in Hispania celebratis aderet, recurrerunt eæ Ecclesiæ ad Gregorium XIII. anno 1573. & obtinuerunt, poſſe retinere Festa ciuium, Reliquiarum inſignium, & alia eiusmodi. quod & tandem præſtitere ferè omnes Ecclesiæ Italiae, poſt Decretum præfatum 8. Aprilis 1628. editum: quibus ſacra Rituum Congregatio multa confeſſit rationabilia, & eſt parata alijs concedere ſimilia.

30 Postremò reſtat dubium: An Per Bullam Pij V. derogetur Bullis Canonizationum Sanctorum, in quibus vi-identur Pontifices dare facultatem reci-rädi Officiū de Canonizato in die mor-tis eius ſolemnitate, ad formam in Ru-bricis Breuiarij Romani præscriptam.

Verū patet omnibus, quod de omnibus Canonizatis non fit Officium ab omnibus. Deinde ex Rubricis Breuiarij non appetet de unoquoque Canonizato, an ſimplex, ſemiduplex, duplex Officium fieri debet; & eitne-cessarium nouum Decretum de ritu quo fieri debet Officium. quod ex-preſſe decreuit ſacra Rituum Congre-gatio die 9. Decembris 1628. de hoc ipſo caſu interrogata. Vel dicerem, loqui Pontifices copulatiuē, (&) vna cum ædificio Ecclesiārum, de quo in Bulla, fieri poſſe Officium ſolemne, tamquam de Titulari Ecclesiā, quod habetur in Rubricis Breuiarij, hoc eſt primæ classis cum Octaua.

De Bullis Clementis VIII.

& Urbani VII.

C A P. I I I.

EDITA fuit à Clemente VIII.
Bulla die decima Maii 1602.
anno undecimo, & in ea ha-bentur pauca.

C

I. Ac-

18 Comm. in Rubr. Breuiarij.

1 Accusat Typographorum incutiam , & aliorum audaciam , qui Breuiarium à Pio V. editum deprauarunt.

2 Significat se ideò commissione peritis viris eiusdem Breuiarij recognitionem.

3 Prohibet , ne in Urbe imprimitur , nisi in Vaticano ; extra Urbem , iuxta exemplar Vaticanum , & de licentia Inquisitorum , vel Ordinariorum , impositis poenis spiritualibus , & pecuniariis ; aliterque in posterum impressa Breuiaria interdicit , ac prohibet .

4 Inquisitores & Ordinarios poenis infictis instruit , qua ratione approbare debeant impressa .

5 Tolerat in gratia pauperum Clericorum impressa Breuiaria ante eiusdem recognitionem quoad usum , & , ut vendi queant , indulget .

6 Publicationem Bullæ mandat cum solitis derogationibus , & clausulis .

7 Urbanus III. Pontifex Maximus , adhibitis alijs peritissimis viris (& me minimo inter eos , qui & adfui Clementinae recognitioni) eadem se prosecutum esse asserit quæ prædecessores inchoauerant : significat deinde ea quæ acta sunt in Breuiario nuper immè recognito : prohibet , instruit , tolerat , ut supra num. 3.4.5. edita Bulla initio Breuiarij posita .

8 Certè ad hanc usque diem Breuiarium non est editum tot numeris absolutum .

De Computo Ecclesiastico.

C A P. I V.

1 **A**gitur initio Breuiarij de anno & eius partibus , de Quatuor Temporibus , de nuptiarum tempore , de Cyclo decennouennali , de Epactis , de Nouilunijis , de Indictione , de Festis mobilibus , ad-

Sect. II. Cap. III. & IV.

ditis Tabellis , perpetua & temporalia , antiqua & noua , reformatis , quantum satis esse videtur pro captu communiorum ingeniorum . Plura qui desiderat , legat Guliel. Durandum in suo Ration. dñi. Offic. lib. 8. toto .

2 Ea sunt præcipue notatu dignæ ad annum Bissextilem formandum spectant : nam singulis quaternis annis constituitur dies in mense Februario , qui dicitur compositus ex 24. horis , itempe sex cuiuslibet annorum quatuor . Excipe (quod pauci nortunt) primum , secundum & tertium centesimum annum , qui occurunt intra spatiū quadringentorum annorum , ut exp̄l̄s̄ habetur in Bulla Gregorij XIII. de Reformatione Calendarij edita anno 1582. Quare , sicut annus proximè præteritus 1600. fuit Bissextilis , ita erit etiam Bissextilis annus 2000. qui verò sunt mediij 1700. 1800. 1900. non erunt Bissextilis , ne redeat annorum confusio .

3 De Quatuor Temporibus agimus in Proprio de Tempore .

4 Pascha celebrari debet in die Dominico qui proximè succedit decimaquartæ Lunæ primi mensis , id est Martij ; ita tamen , ut si decimaquarta Luna cadit in Dominicum diem , Pascha nostrum celebretur in sequenti Dominico die , ne conueniamus cum Hebrais .

5 Constituto Paschatis die facilè decernuntur Festa mobilia ; ita dicta , quia mouentur ad motum Paschatis , & sunt Septuagesima , Sexagesima , Quinquagesima , Quadragesima , quæ præcedunt Paschatis Festum ; Ascensio , Pentecostes , Festum Trinitatis & Corporis Christi , quæ sequuntur : de quibus egimus Tomo primo , & infra agemus in Proprio de Tempore .

6 Ad-

6 Aduentus autem non habet primum diem certum, sed eum diem Dominicum qui propinquior est Fefto sancti Andreæ, & loco citato explicauimus.

De Calendario. CAP. V.

CAlendarium à Calendis dictum est. Calendæ verò primus dies mensis est, à *gatæw*, id est voco; tunc enim Pontifex calato, hoc est, vocato populo, quot dies à Calendis ad Nonas superefflent, pronuntiabat, *Plut.* Calendaria quoque dicebantur Tabulæ, ab obseruatione singulorum mensium, ut Diaria, à singulorum dierum ratione. Et nos in singulis mensibus obseruamus Festa

Christi Domini nostri, & Sanctorum. Durandus lib. 8. cap. 4. explicat Calendas, quasi colendas; quia tunc erat semper Iunoni festus dies primus: ergo Calendarium & Colendarium erunt ferè idem, à cultu Festorum dierum. Matriculam Sanctorum vocat Radulph. Propos. 17.

2 De Festis in Calendario descriptis, quando & quo ritu fuerint descripta, in Proprio de Tempore & in Proprio Sanctorum singillatim enarrabimus.

3 Ex prædictis autem Compuo & Calendario composuimus ordinem Officij diuini perpetuum, & quam breuissimum, quem in calce huius Operis, dante Deo, dabimus pleniorem & emendatiorem.

SECTIO TERTIA.

De Rubricis.



GGREDIMVR nunc eam prouinciam, quæ propriè nostra est, explicandi nimirum sacras Leges & Rubricas Breuiarij: de quibus priùs in genere, deinde in specie, ordine seruato eiusdem Breuiarij, erit agendum.

SECTIONIS TERTIÆ CAP. XII.

- 1 De Rubricis generalibus Horarum Canonicarum.
- 2 De Duplice Officio.
- 3 De Semiduplice.
- 4 De Simplici.
- 5 De Dominica.
- 6 De Feria.

- 7 De Vigilia.
- 8 De Octana.
- 9 De Concurrentia Officij.
- 10 De Occurrentia Officij, seu de Translatione Festorum.
- 11 De Commemorationibus.
- 12 De Patrono loci, & Titulo Ecclesie.

C 2

De

De Rubricis generalibus Horarum Canonicarum.

C A P. I.

DE voce Rubrice alibi diximus, initio Commentar. in Rubric. Missalis, Tomo superiore pag. 1.

2 Vsurpata fuit eadem vox prius in Breuiario quam in Missali, & reperitur in editione Veneta Breuiarij ante annum 1550. sed Pius V. inscriptis omnes leges Breuiarij titulo Rubricarum generalium, quod ante non fuerat factum.

3 Paucissimi tamen erant earum Tituli, nempe vndecim tantum, in prima editione iussu Pij V. hausti à Directorio diuini Officij, composito à Ludouico Ciconiolano, Regularis Observantiae, sub Paulo III. qui & Directorium approbavit.

4 Rubricarum additio, detractio, mutatio prohibitur in Bulla Pij V. in his enim est formula data precandi in Breuiario. Quare, si notabiliter Officij diuino iniuriam facis inobseruantia Rubricarum substantialium Officij, grauiter peccas; non ita in accidentarijs accidit Rubricis, puta si sedens recites, quæ flexis genibus iubentur dici, in oratione priuata, secùs esse posset in publica, si absque causa fiat, aut cum aliorum offensione. *Suar. Tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 27. n. 2. & alij apud Bonacin. disp. 1. quæst. 3. pun. 6. num. 1. & 2.*

5 Diuidi nunc Rubricas in tres partes, quas prosequar in proximis & distinctis Sectionibus. Aliæ spectat ad totum integrum Officium; quod est vel Duplex, vel Semiduplex, vel Simplex, vel Dominicale, vel Feriale, vel

de Vigilia, vel de Octaua, vel de Oficio S. Mariæ in Sabbato, vel pro Oficio Commemorationem habet, vel concurrit cum alio, vel occurrit, ita ut alterius accidat Translatio: de quibus agitur in Breuiario primis vndeclim Titulis seu Capitibus. Aliæ continent titus proprios maiorum partium, hoc est Horarum, Officij, de quibus à Titulo 13. usque ad 18. inclusuè, Matutini scilicet, Laudum, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperarum & Completorij. Aliæ denique versantur circa partium partes, ex quibus ipsamet Horæ componuntur, nempe Oratio Dominica, Salutatio Angelica, Symbolum Apostolorum, initium Horarum, Inuitatorium, Hymni, Antiphonæ, Psalmi, Cantica, Versus, Absolutiones, Benedictiones, Lectiones, Responsoria, Capitula, Orationes, Hymnus *Te Deum*, Symbolum Athanasij, Preces, Suffragia Sanctorum, Antiphonæ beatæ Mariae finales, de quibus in Rubricis Breuiarij à Titulo 19. ad Titulum 36.

De Duplici Officio. CAP. II.

VArietas Officij & Festorum inde est, quia stella, secundum Apostolum, differt à stella in claritate; & quia, ex Dionysio Areopag. Ecclesiastica Hierarchia representat aliqualiter in suis actionibus cælestem Hierarchiam, in qua Sancti secundum meritum diuersitatem disponuntur; ideo ad hoc representandum varietas Officiorum diuersorum in Ecclesia reperitur. *Hæc Durand. in Ration. lib. 7. cap. 1.*

2 Hæc vox *Duplex* apud Durand. *Ioco cit.* habetur, apud antiquiores non habetur; & ex eodem Durando significat,

ficat, Antiphonas in Officio duplicari, hoc est, integras recitari ante & post Psalmos.

3 Diuidit *ibidem* Durandus in Duplex in totum, & in Duplex simpliciter; illud maius, hoc minus *ibidem* appellat: quod nos hodie dicimus Duplex prima & secundæ classis ex una parte, & Duplex per annum ex altera parte. Sed in Recognitione Clemencina Breuiarij, ad maiorem distinctionem, instituta sunt quatuor genera Duplicium Festorum; primum, quod dicitur Primæ classis; alterum, Secundæ classis; tertium, quod appellatur Maius per annum; quartum, Minus per annum.

4 Primæ classis sunt, Natiuitas Domini, Epiphania, Pascha Resurrectionis cum tribus precedentibus & duobus sequentibus diebus. quod & habet Durand. lib. 7. cap. 1. & de triduo quidem precedente Pascha rationem reddit Ruperti lib. 5. de Diuinis Officijs cap. 24. ob exequias solemnies Christi demortui. Ascensio Domini, Durand. lib. 7. cap. 1. Pentecostes cum duobus sequentibus, Durand. *ibidem*. Festum Corporis Christi, ex Decreto Urbani IV. Natiuitas sancti Ioannis Baptista, Festum Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, Assumptio beatæ Virginis, Festum Omnium Sanctorum, de quibus dicemus in Proprio Sanctorum. Dedicatio propriæ Ecclesiæ, Durand. loco citato. Patroni Festum, vel Tituli Ecclesiæ. quod innuant Micrologus cap. 43. & Randolph. Propos. 17. Sunt igitur Festa in Ecclesia vniuersali numero 18. primæ classis Duplicia.

5 Secundæ classis sunt, Circumcisio Domini, Festum sanctæ Trinitatis, Purificatio, Annuntiatio, Natiuitas

beatæ Virginis, Natalitia duodecim Apostolorum, hoc est de numero duodecim, Festa Euangelistarum, Inuentio sanctæ Crucis (quod fuit additum huic classi à Clemente VIII.) Festum sancti Laurentij, Dedicatio S. Michaëlis Archangeli, de quibus in Proprio Sanctorum. quibus adde Festa SS. Stephani & Innocentum, quæ infra suo loco probabimus. Hæc igitur Festa numero 22.

6 Duplicia maiora per annum, quæ, ut dicemus, integras habent Vespertas in concursu cum alijs Duplicibus minoribus, sunt hæc, Transfiguratio Domini, Exaltatio sanctæ Crucis, Festum Niuis, Visitatio, Præsentatio, Concepcionis beatæ Mariæ, Apparitio sancti Michaëlis, Cathedra sancti Petri utraque, Festum eiusdem ad Vincula, Conuersio sancti Pauli, Festum sancti Ioannis ante portam Latinam, sancti Barnabæ Apostoli, dies Octava Epiphaniae, dies item Octava Corporis Christi & Ascensionis eiusdem; item Patroni locorum minus principales, nisi sint in Calendario Romano altioris classis. Sunt autem Festa hæc numero 16. in vniuersali Ecclesia.

7 Reliqua duplia sunt minora, quibus in Calendario apponitur hæc vox *Duplex*, & præterea dies Octauæ Festorum Octauam habentium, quarum suprà non meminimus; sunt autem illa numero 31. hæc vero sunt numero 9. in Breuiario: ergo Duplicia numero 98. in Breuiario celebrantur.

8 Neque distinguis adhuc, ut Festa Beatificatorum tantum minora sint Festis minoribus Canonizatorum, ita ut habeant hæc integras virasque Vespertas (quod est priuilegium Festorum maiorum per annum, de Concurr.

22 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. III. Cap. III.

Off. num. 2.) quia in eo tantum differunt, quod Canonizati vbique coli possunt, non autem Beatificati.

9 De Priviliegij Festorum Duplum respectu aliorum, & inter se, dicemus, cum de Concurrentia & Ocurrentia Officij, de Matutino, Precibus, & Suffragijs.

10 De Sancto, cuius insignis habetur Reliquia, si concedatur Officium, fit Duplex minus per annum, sacra Rituum Congregatio 23. Novemb. 1602. vt supra diximus *Sect. I. cap. 5. tit. 2. num. 8.*

De Semiduplici. CAP. III.

Hæc vox *Semiduplex* apud *Durandum lib. 7. cap. 1.* habetur. Dicebatur antea nouem Lectionum, apud *Radulph. Propos. 17.* Alij vocauerunt solemne, ut in Breuiar. *Venetij edito an. 1550.* Alij, non Duplex, ut legi in antiquioribus Breuiarijs. Idem sonant, eò quod in Officio nouem Lectiones leguntur, ut à Simplici distinguitur; non duplicantur Antiphonæ, ut differat à Duplicitate.

2 Semiduplici ritu gaudent Dominicæ per annum, & ea Sanctorum Festa quibus in Calendario apposita est vox *Semiduplex*, numero hodie ultra 40, item dies infra Octauas, quæ iure merito minores sunt die Festo, & die Octaua; sunt autem & hi numero ultra quadraginta: quare Semiduplicia cum Dominicis excedunt numerum 130.

3 De Sancto, cuius Reliquia non insignis habetur, si concedatur Officium, debet esse Semiduplex, ad differentiam insignis Reliquiæ.

4 De Sanctis locorum consuevit

sancta Sedes Apostolica in ijs locis, vbi neque nati neque mortui sunt, neque Reliquiæ insignes extant, concedere Officium Semiduplex, ne Dominicæ Officium, quod est Domini, impediatur ab Officio Semiduplici, quod notat expreßè Clemens VIII. 19. Junij 1601. quando concedit uniuersæ Congregationi Eremitarum sancti Augustini Officium Semiduplex de B. Ioanne à S. Facundo Hispano; cuius Bullæ tenorem refert *Castellanus in Compendio Bullarum in tercia editione Venetijs 1605.* Inuentiones, Translationes hac eadem lege colenda forent, ad differeatiam Festorum principalium. quod obseruat Ecclesia in Inventione S. Stephani Protomartyris, in qua hæc scribimus.

5 De Sancto, cuius habetur Ecclesia Abbatialis, Parochialis, vel Regulare, vel Monialium, hoc solo titulo, fiebat ante annos tres Semiduplex in multis locis; at nescio quo iure: nam Officium feriale ferè totum omittebatur cum Officio beatæ Virginis in Choro, & Defunditorum, &c, quod magis dolebam, Feriarum Quadragesimalium, à quibus antiqui remouebant Festa Sanctorum, & à quibus in recognitione Breuiarij Octauæ sunt exclusæ; contra quos acerrimè inuehit *Radulphus Propos. 17.* ea potissimum ratione, quod tollitur continuatio & recitatio totius Psalterij; & feriale Officium, inquit, Domini Officium est, quod à quocumque seruo non debet obrui. Videant Episcopi, ne pluralitate Festorum fiat iniuria Officio feriali Domini Dei nostri. Sed ecce, Deo dante, sublatuſ est abusus à sacra Rituum Congregatione Decreto edito die quo supra *Sect. I. cap. 5. tit. 2. num. 9.* in hæc verba: *Velut & prohibe-*

prohibuit celebrari per totam ciuitatem, vel diocesim, etiam de cuiusque Ordinarij licetia, Missam, vel Festum cum Officio de Sancto, eò quod in loco adsit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, aut aliqua Reliquia; sed tantum in ipsis Sancti Ecclesie Titulari, seu ubi assertur insignis Reliquia, & non aliis. Quæ verò sit insignis Reliquia, eadem sacra Congregatio declaravit statim, & nos descripsimus in primo Tomo par. 1. titulo i. circa finem. addit pœnam eadem sacra Congregatio ibidem, nimirum, quodd aliter non fit satis muneri recitandi diuini Officij; & consequenter infligitur pœna non faciendi à Clero fructus sios beneficiorum, præter lethale peccatum quod committitur. Eadem sacra Congregatio declaravit, comprehendi in dicto Decreto Ecclesiæ Abbatiales, die 28. Septembris 1628.

6 De priuilegijs Festi, seu Officij Semiduplicis, agemus infra in pluribus locis.

De Simplici. C A P. IV.

DVRANDUS loco citato usurpat hanc vocem Simplex. Antea vocabant Officiū trium lectionum, *Microl. cap. 44.* & *Radulph. Propos. 17.*

2 Festa verò Simplicia, quibus in Calendario nihil apponitur, superant hodie centenarium numerum. de quibus agemus singillatim in Proprio Sanctorum.

3 Qui numerus centenarius quam recte congruat, accipe ex sancto Bernardo, & Radulpho. Numerositas Festiuitatum, inquit *Bernardus ad Canon. Lugdun.* ciues decet, non exiles. *Radulphus autem Propos. cit. addit.* sumendam esse nimirum proportionem

à Christo, qui duodecim elegit Apostolos, quos posuit in superiori gradu; in inferiori verò posuit septuaginta duos Discipulos, hoc est, sexies duodecim. Vnus est Christus, cui datur Officium Dominicæ; Apostoli duodecim sunt: ergo & Festa Sanctorum solemnia in minori numero esse debent quam numerus Dominicarum. Simplicia plura esse debent (cum quibus stat recitatio Psalterij) sicuti à Christo multiplicantur Discipuli. Duplicia Sanctorum (non loquor de Duplicibus Christi Festis) in Calendario Romano sunt numero sexaginta quatuor; Sanctorum Semiduplicia ad quadraginta: conuenit ergo, ut Simplicia excedant, vti fit, numerum centesimum.

4 Incipit à Vesperis quidem, sed ferialibus, & terminatur Officium Simplex ad Nonam, *Microl. cap. 44.* & *Radulph. Propos. 18.*

De Dominica. C A P. V.

DE Officio Dominicæ *Microl. cap. 62.* hæc habet memoranda. In omni Dominicæ Ecclesiastico conuentui cum Officio Dominicæ satisfacimus, nisi aliqua multum celebris (*nota*) festiuitas occurrat. Addo ego, ratione Dominicæ quædam Officia festiuiora fieri, vt videre est in Feste Innocentum, & in Vigilia Nativitatis Domini, quibus datur *alleluia, Te Deum,* respectuè cum consequentibus.

2 De Dominicis Aduentus, & à Septuagesima usque ad Octauam Paschæ, quæ sunt maioris reuerentiae & cultus, testatur *Radulph. Propos. 15.* eas numquam omitti. quod & hodie obseruamus.

3 Dominicæ infra Octauas Nativitatis,

24 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. III. Cap. V.

tatis, ex *Microl. cap. 37.* Epiphaniæ, ex eodem cap. 41. Ascensionis Domini, ex eodem cap. 37. & Corporis Christi, ex *Vrbano IV.* sunt priuilegiatae, ita ut Officium non sit Dominicale, sed de Octaua, & de Domino tamen. Ratio est, ex *Microl.* vt Officium instanti celebritati concordet, hoc est, summae celebritati Domini: nam in Dominicis alijs infra Octauas Sanctorum non est æquum, ut Officium Dominicale, quod Domini est, cedat Officio Sancti, cuius dies infra Octauam celebratur. Addi potest alia ratio pro Dominicis infra Octauas Nativitatis, & Epiphaniæ; quia scilicet ut plurimum illa Nativitatis celebratur extra diem Dominicum, & hæc Epiphaniæ celebratur aliquando in Sabato. Extra vero diem ipsum Dominicum, non dicuntur congruè Psalmi de Dominica eidem diei præcisè assignati.

4 Quæritur: Cur à Nativitate Domini usque ad Epiphaniam inclusuè dantur Dominicæ, in quibus nulla prorsus contingit fieri de iisdem commemoratione, vnde & in Calendarijs dicuntur Vacantes? Ratio dubitandi est, quia sicut occurrente Festo sancti Silvestri in Dominicæ, fit de Festo cum commemoratione Dominicæ; ita in Festo (puta sancti Ioannis) occurrente in Dominicæ poterat idem fieri. Verum incongruum erat, si occurreret Festum Nativitatis, vel Circumcisionis, vel Epiphaniæ in Dominicæ, quod vñ simul cum Festo Domini fieret commemoratio eodem die de Festo eiusdem Domini, quod est Dominicæ: in gratiam autem Nativitatis Domini & Circumcisionis fuit ordinatum, quod nec in tribus Festis & Octauis diebus S. Stephani, S. Ioannis,

& SS. Innocentum haberetur ratio Dominicæ occurrentis; de qua tamen infra Octauam, tamquam de Dominicæ impedita, fit Officium post Festum S. Thomæ, vel in Festo S. Thomæ, hoc eodem translatò in Feriam sequentem. & ita congruit Euangelium, quod legitur ratione Dominicæ, legi post natum Christum, non eodem veluti nascente per quamdam representationem. Eadem ratio militat in Vigilia Epiphaniæ, & in Epiphania; in quibus si occurrit Dominicæ, ea vacat, neque habet Euangelium quod tempori conueniat, neque consequenter commemorationem; imò neque ex textu Euangelico decerpere potuit, quod legeretur conuenienter in Dominicis occurribus intra hæc Festa, ut ritè consideranti patet (Euangelium autem est caput totius Officij, ait *Ruperti. lib. 1. cap. 37.*) & ea quæ leguntur in Dominicæ infra Octauam Nativitatis, & in Vigilia Epiphaniæ, anticipatè leguntur, cùm ea contigerint post Purificationem beatæ Virginis, ut patet in textu Euangelico S. Lucæ, & sancti Matthæi.

5 Dominicis post Epiphaniam additum est à Pio V. Officium Dominicæ sextæ. Antiquitus autem, si Dominicæ sexta occurseret, in ea repetebar Officium Dominicæ præcedentis, teste *Duran. lib. 6. cap. 23.* quæ nunc supersunt, vel in Sabbato præcedenti, vel inter Dominicæ post Pentecosten celebrantur, ita ut non omittatur Dominicæ vlla (vide cultum diei Dominicæ) quin de ea saltem commemoratio fiat, si minus Officium fieri queat. Explicat *Radulph. Propos. 15.* in hanc rem illud Psalm. 117. quod in Officio Primæ diei Dominicæ legitur: *Constituite diem solemnum in frequentationibus,*

nibus (vt legit Psalter. Romanum, & Ambrosianum) id est, vt frequenter Dominicis diebus seruetur Officium Dominicale, nisi magna festivitas occurrat: usque ad cornu Altaris, hoc est, etiam Officium Missæ Dominicale obseruando. Hæc ille.

6 Dominicarum post Pentecosten Officia sunt vigintiquatuor: quod si Berno de quibusdam ad Missam spect. cap. 6. numeret tantummodo viginti tres Dominicæ, id est, quia quintam superaddit Aduentui, quod in idem recidit; ut nimirum præter Aduentum, & à Septuagesima ad Festum Trinitatis, Dominicæ per annum non excedant numerum trigesimum, ut ritè numeranti pater.

7 Quæ igitur non possunt celebrari ante Septuagesimam, transferuntur post 23. Dominicam Pentecostes, ut nulla vacet. Post Pentecosten verò ad summum erunt Dominicæ vigintiocto. de quo numero Berno loco citato ait: Septenario quater ducto in hanc perfectionis summam excrescit; & nulli dubium est, quin septem ad Spiritum sanctum, quatuor verò pertineant ad Euangelium: quia per septiformem gratiam Spiritus sancti (in Pentecoste effusam) prædicatum est Euangelium per quatuor mundi plaga-

gas. Hæc ille.

8 Ultimo loco semper ponitur quæ vocatur vigesima quarta, *Microl. c. 26.* ut ultimum, inquit, Officium in proxima tantum hebdomada ante Aduentum Domini cantetur. est enim præparatio Dominicæ Aduentus. Atque, ut notauit *Azorius lib. 10. cap. 15.* finiuntur Ecclesiastica Officia in commemoratione extremi futuri iudicij, sicut etiam similiter inchoantur, ut patet legenti Euangelia Dominicæ 24. &

Dominicæ primæ Aduentus. Addo, id est Dominicam 24. de iudicio futuro semper esse ultimam anni Ecclesiastici, qui incipit in Aduentu; quia Ecclesia in toto anni curriculo repræsentare studet Christi actiones a primo aduentu in carne, usque ad secundum in fine mundi aduentum.

9 Si quæ supersit Dominicæ, ita ut propriè in die Dominicæ locum non habeat (quod accidere potest in Officio secundæ Dominicæ, de qua ramen habetur propria Rubrica *Sezt. 6. cap. 8.* vel sequentium post Epiphaniam, & in Officio Dominicæ 23. post Pentecosten) tunc fit de Dominicæ exclusa in Sabbato præcedenti non impedito Festo nouem Lectionum, alioquin in alia immediatè præcedenti Feria, seu Festo Simplici, in qua, seu quo Officium fiat de Feria, & legantur tres Lectiones de Homilia Dominicæ, & in Laudibus dicatur Antiphona ad *Benedictus*, & Oratio de Dominicæ carente proprio loco cum commemo- ratione Festi Simplicis. Et nota, præcedentem Feriam non esse ad libitum, sed Sabbato solùm impedito nouem Lectionum; & illud verbum fiat, quod habetur in Rubr. *de Domin. num. 4.* est coniungendum cum verbo legantur, ita ut ambo sint impe- rantia. Quod si tota hebdomada sit impedita Officijs nouem Lectionum, etiam translatis (quod in postrema Breuiarij recognitione additum est) tunc in Sabbato legatur nona Lectio de Homilia illius Dominicæ, & de eadem fiat commemoratio in Laudibus tantum, cum Antiphona, & Oratione propria. Hæc in Rubricis *de Dominicis tit. 4. num. 4. & 5.* Ratio est, ne Officium ullius Dominicæ omittatur; tum ne admirationi populo sit,

D

quod

26 Comm. in Rubr. Breuiarij. Sect. III. Cap. V. & VI.

quod ante Clementem VIII. fiebat, dum, translato Semiduplici Festo, fiebat Officium de Dominica extra suum diem, & propriam sedem, quæ ob anni angustiam deerat; quod populum facile lateret; qui tamen erga Festum de Sancto Semiduplex deuotiùs moueri solet:

10 Ex quo etiam patet, quod, impedito Sabbato ut suprà, aut Feria sexta, aut quinta à Festo Simplici, non erit anticipandum Officium prædictarum Dominicarum Feria quarta aut tertia, in qua nullum fortasse occurrit Festum: nam neque Simplex Officium B. Virginis in Sabbato, neque Festum Simplex in eodem occurrentis impedit, quod minus in Sabbato fiat Officium de Dominica quæ supersit, sed tantum Officium nouem Lectionum impedit Officium Dominicæ; & curandum est, quoad eius fieri potest, ut propius ad Sabbathum fiat de ea Dominicæ Officium.

11 Excellunt hæ Dominicæ, quibus cedunt etiam Patroni, neque vim quam omittuntur, Primæ classis idcirco cognominatae; nimirum Prima Adventus & Quadragesima, Dominicæ Passionis, Palmarum, in Albis, in quibus decet populum moueri ad mysteria maiora in ijsdem celebrata Redemptoris nostræ tum Officio, tum colore paramentorum. Aliæ minores, idèò dictæ Secundæ classis, cedunt quidem Festis Patroni loci, Tituli Ecclesiæ, & eiusdem Dedicationis, quæ ad afficiendum populum maximè valent; alijs autem minimè cedunt Sanctorum Festis, nimirum secunda, tertia, quarta Adventus & Quadragesimæ, Dominicæ Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ; quarum ritum in Proprio de Tempore inuestigabimus.

12 Dominica prima mensium habet rationem potissimum in Breuiario, quia in eo solent ponи initia sacrorum Librorum cum suis Responsorijs. Ea igitur prima esse dicitur, quæ venit in Calendis mensis, vel est proximior (siue ante, siue post) ipsis Calendis; quod nisi fieret in mense Nouembri, deficeret tempus necessarium ad legendos sacros Libros eidem mensi assignatos, adueniente Dominica prima Aduentus ante finem Nouembris, ut notatum est in Breuiarijs M. S. antiquissimis.

13 Dominica vero prima Aduentus est ea, quæ proximior est Festo S. Andreæ, vel quæ venerit in ipso Festo, Dur.lib.6.cap.2. seu, ut cum Radulpho loquar Propos.16. post crastinum sanctæ Catharinae: neque enim ante crastinum, neque in crastino eiusdem Virginis contingit initium Aduentus. De Officio Dominicali dicemus, cùm de Matutino, & alijs.

De Feria. C A P. VI.

Feria à fando, inquit Rabanus 2. de Instit. Cler. cap.46. quæ vox apud Ecclesiasticos antiquior est Siluestro, ex eodem ibid. de ea apud Tertull. aduers. Psychicos cap.8. & cap.14. ubi ait: Nobis omnis dies, etiam vulgata, consecratione celebratur. Cùm enim horrent fidèles nominare dies à dijs gentium, vel Iudaico more à Sabbatho, primam, secundam Sabbathi, &c. idèò ac si Dominica prima Feria diceretur, appellauerit reliquos dies Feriam secundam, tertiam, &c. retento tantum nomine Sabbathi. Vacante itaque die ab alijs Christi vel Sanctorum Festis, fit de Feria; quod Officium Domini est; ut quicque

quisque intelligat, se Deo deditum vni Deo vacare debere. Appellabant antiqui Officium Feriale, trium Responsiorum Officium.

2 Feriarum genus duplex; maius alterum dicitur, eò quod de Feria maiori semper fit in Officio saltem commemoratio, nempe de Feria qualibet Aduentus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, & secunda Rogationum: quæ distinctio maiorum & minorum in recognitione Breuiarij Clementina inuenta est, occasione Tabellarum de occurrentia & concurrentia in fine Rubricarum editarum, ad faciliorem Tabellarum usum, Auctore huius Operis ipsas Tabellas reformante iussu Maiorum.

3 Occurrit autem per annum Officium feriale ferè quadragies, nisi occupentur dies à Festis mobilibus, seu Dominicis, vel diebus infra Octauas particularium Ecclesiarum, seu à sancta Maria in Sabbato, seu à Festis locorum proprijs. Vide ergo, an expediat minui adhuc hunc Feriarum numerum.

4 De feriali Officio, & partibus eius, agemus infra, cùm de singulis partibus Officij.

De Vigilia. C A P . V I I .

Quædam Vigiliae cum ieui-
nio celebrantur, & pleræ-
que; paucissimæ sine ieui-
nio, videlicet Vigilia Epiphaniæ &
Ascensionis Domini; de quarum ieui-
nio lex nulla est, ob lætitiam Natalis
Domini, & eiusdem Resurrectionis.
Quam ob causam, seu causas, neque
ieunatur pridie S. Ioannis Apostoli &
Euangelistæ, neque sanctorum Phi-
lippi & Iacobi, tempore Paschali, ex
Innoc. III. de Observ. ieunn. tit. 46.

cap. 2. Vigiliae cum ieui-
nio in Breuia-
rio Romano sunt quatuordecim.

2 Vigilia occurrens in Dominica transfertur in Sabbatum præcedens; exceptis Vigilijs Nativitatis Domini & Epiphaniæ, de quibus fit Officium eo die quo occurunt, Radulph. Pro-
pos. 19. Primo quidem ne ieunemus in Dominica, quod prohibetur Dif. 76.
cap. Vtinam. & in Const. Apost. lib. 5.

cap. 21. Deinde, vt cum ieui-
nio bona sit oratio & Officium ad præparatio-
nem Festi. Ieunium ab Hæbræis fieri solitum pridie Sabbati, numquam in
Sabbato, testatur Moyses Ægyptius de
Temp. cap. de Sabbato, & cap. de Ieu-
nio. Vigiliae verò Nativitatis Offi-
cium, vti festuum, separatur eo casu à
ieunio quod fit in Sabbato; sicut etiam
Vigiliae Epiphaniæ Officium festuum
est, non feriale, & ieunio carerit.

3 Vigilia occurrens in Festo primæ classis in Officio nullum habet lo-
cum, neque etiam commemora-
tionem, ne solemnitas imminuatur: imò
expidiret, auctoritate Maiorum, eo ca-
su anticipari ieunium ante illud Fe-
stum primæ classis, eo modo quo te-
statur Nauar. in Man. cap. 21. nn. 11.
Leonem X. statuisse, vt eo anno, quo
Vigilia S. Ioannis Baptiste incidit in
Festum Corporis Christi, pridie eius-
dem Festi ieunetur, quarta scilicet Fe-
ria. Caietanus etiam docet in v. Ieu-
nium. cum Tabiena, & alijs, posse Epi-
scopum in Festo solemnii Patroni loci,
si in eo occurrat Vigilia, transferre ieui-
num in pridianum diem. Alicubi ob
Festum S. Christinae Patronæ ieuna-
tur pridie eius Festi, ratione Vigiliae
S. Iacobi Apostoli. Officium autem
Vigiliae in his casibus non est antici-
pandum. separari namque possunt Of-
ficium Vigiliae & ieunium eiusdem.

D 2 quod

28 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. III. Cap. VIII.

quod patet in Vigilia Nativitatis Domini, cùm occurrit in Dominica.

4 Vigilia occurrens in Ferijs maioribus omittitur in Officio, ita vt nec de ea commemoratione fiat: quia Feriæ maiores sunt Feriæ Domini, & Vigiliae sunt Feriæ seruorum Domini, quæ vti minores cedere debent, cùm de vtrisque non possit Officium fieri, neque pro commemoratione alterius legi Homilia congruenter post Homiliam alterius in Officio trium Lectiōnum; quæ eo casu sunt, vel de Scriptura ordinaria, vt in Aduentu; vel de Homilia, vt in Quadragesima.

5 Officio Vigiliae, quod totum erat de Feria, addidit Pius V. Homiliam in Euangelium quod in Missa legebatur, *Azor.lib.10.cap.16.quest.5.*

6 De partibus Officij Vigiliae dicimus infra, & terminatur ad Nonam.

De Octaua. C A P . ' V I I I .

I **C**H R I S T O Domino constitutæ sunt Octauæ quinque, Nativitatis, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, & Corporis Christi; Spiritui sancto, Pentecostes; beatae Virginis duæ, Nativitatis, & Assumptionis; Nativitati S. Ioannis Baptista, Martyrio SS. Apostolorum Petri & Pauli, Festo Omnitum Sanctorum, sanctis Stephano, Ioanni Euangeliæ, Innocentibus, & Laurentio, Dedicationi propriæ Ecclesiæ, Patrono principali loci, & Titulari, in eorum principali Festo. De quarum origine vide quæ scripsimus in *Præfatione ad Octauarium Romanum*, vbi & causas explicauimus Octauarum. De Patrono loci Microl. subobscure tradit *cap.43.* quare non excedunt numerum septendecim. Consueuerunt cum Octauis

solemniter celebrari Festa Sanctorum apud quasdam Ecclesias, Congregationes & Religiones, qua in Rubr. de Octauis num. 1. non abrogantur; sed post editum à Pio V. Breuiarij nulla potest induci Octaua ultra prædictas, sine Sedis Apostolicæ auctoritate. Ex quo qui addidit recentior, fieri Festum cum Octaua tum Canonizationis tum Beatificationis Sanctorum, aperte fallitur, si loquatur, præclusa licentia sanctæ Sedis Apostolicæ.

2 Inter has Octauas est differentia, quæ renocari potest ad quatuor gradus. In primo gradu sunt Octauæ Paschatis & Pentecostes, in quibus non fit de Festo aliquo, nec etiam de Patrone loci, Titulove, seu Dedicatione Ecclesiæ. In secundo gradu Octaua Epiphaniæ admittit tantum Festum de Patrone, vel Titulari Ecclesiæ, & Dedicationis propriæ Ecclesiæ; non tamen in die Octaua, in qua celebratur Baptismus Christi; & dicitur à Durand. lib. 6. cap. 17. Octaua suppletionis, quia eo die supplemus, quod in Festo Epiphaniæ recolimus minus aperte, id est Baptismum Christi, cui cedere debet Patroni Festum, vt serui Domino. In tertio gradu Octaua Corporis Christi admittit tantum Festa Duplicia, non tamen translata, vt decretum est in recognitione postrema Breuiarij; nisi translata sint altioris ordinis, vt de Festo S. Ioannis Baptista dicimus. Non admittit Semiduplicia, ex Decretō Ioannis XXII. quod habetur in Breuiarij. M. S. Biblioth. S. Isidori de Urbe. In quarto gradu Octauæ reliquæ Nativitatis Domini, Ascensionis, & aliorum Sanctorum admittunt quæcumque Festa, etiam Semiduplicia. Neque mireris, quod in Octaua Nativitatis

Natiuitatis admittantur Semiduplicia, quia schola Natiuitatis Christi est officina humilitatis, ex S. Augustino; Ascensionis item, respectu Ecclesiae militantis, est Octaua mixta mero-re, ob discessum Christi.

3 Rubrica de Octauis num. 3. ad-dit, etiam translata. quod verbum ve-rificatur in Duplicibus, quia verè cele-brantur quocumque die infra dictas Octauas; at in Semiduplicibus non videtur verificari: nam Festum Sancti Leonis 28. Junij, si occurrit in Dominica, transfertur post Octauam Apostolorum, vt dicitur in propria Rubrica; ergo idem fieri de alijs Semiduplicibus. Verum Rubrica satis verificatur in duobus casibus; Primò, quando Semiduplex occurrit in Do-minica; Secundò, quando in Festo Ascensionis Domini: in quibus casibus transfertur Semiduplex in diem proximè sequentem, si non est impe-dita; & sic infra Octauam fit de Se-miduplici translato. In Ecclesijs par-ticularibus contingit saepius Semidu-plex occurrere in Festo maiori, quod habet Octauam; & de eo fit in secun-da die infra Octauam. Rubrica verò hæc non loquitur de Semiduplicibus occurribus ante Octauam, quæ sine dubio transferri debent post Octauam; sed de occurribus in Festo, seu in Dominica infra Octauam, & de translatione in diem proximè se-quentem, non impeditum alio Festo. Hæc dixi iuxta sensum Rubricæ anti-quam: sed hodie cessat secundus casus de Festo Ascensionis, seu maiore ha-bente Octauam, in recognitione po-strema Breuiarij. Vide infra cap. 10. num. 4.

4 Adhuc accidit alia differentia in-ter Octauas trium graduum poste-

riorum, quod occurrente Festo in ijsdem admisso, vt supra, semper tam-en de Octaua Epiphaniæ, Corporis Christi & Natiuitatis eiusdè fit com-memoratio, ob earumdem dignita-tem. Infra alias Octauas, Ascensio-nis, & aliorum Festorum, occurribus Festis maioribus, accidit, vt neque de ijs Octauis fiat commemoratio, vt dicetur, cum de Commemorationi-bus: fortasse, quia tria illa Festa nostra sunt; Festum verò Ascensionis Ange-lorum potius quam nostrum. Aliorū denique Sanctorum, quia sunt Festa non æqualia tribus primis, idè quoque nulla fit commemoratio.

5 Omnes dies Octauæ pro vna fe-stiuitate computantur, ait Radulph. Propos. 25. qui etiam Propos. 19. ap-pellat Octauam prorogationem Festi, ex quo sequitur, quod cō nobilior est Octaua, quod minus interrupta est à Festis aliorum.

6 At vndenari major Octauæ di-gnitas attendi debet, præsertim si dua occurrant simul celebrandæ? Certe penes classem Festorum; nam prima classis dignior est secunda: in eadem verò classe attende personas hoc ordi-ne, Christum, B. Virginem, Angelos, S. Ioannem Baptistam, Apostolos, & alios, iuxta ordinem Litaniarum, & Rubricam de Concurrentia Officij n. 2. & ceteris patibus dignior est ea Octaua quam celebrat vniuersalis Ecclesia.

7 Dubitari potest de Dedicacionis Octaua, an sit major quam Octaua Patroni loci, seu Tituli Ecclesiae. S. Thom. lect. 5. in cap. 10. 10. docet, maius esse Festum Dedicacionis Ecclesiae quam alicuius Sancti; quia in illo recoluntur beneficia toti Ecclesiae collata, quæ superant beneficia cuius-Sancto donata, quæ in eiusdem Festo

D 3 cele-

30 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. III. Cap. VIII.

celebrantur: ergo erit Octaua Dedicationis Ecclesiæ dignior quam Octaua Patroni loci: & eadem ratione dignior erit Octaua Assumptionis beatæ Virginis quam Octaua Dedicationis, quia maiora beneficia contulit Deus vni Deiparae in eius Assumptione, quam contulerit toti militanti Ecclesiæ; cùm præsertim Theologi doceant, collectiū in Deipara Virgine esse omnia gratiæ & gloriæ dona, quæ Angelis & hominibus singillatim distributa fuerunt. Confirmatur hæc doctrina ex Rubr. Breuiarij tit. *de Duplice num.* 1. vbi prius recensetur Dedicatio propriæ Ecclesiæ quam Patronus loci, seu Titularis Ecclesiæ; & tit. *de Octauis* nu. 1. vbi prius nominatur Dedicationis Octaua quam principalis Patroni, veluti dignior & nobilior, ceteris paribus. Et in fine Breuiarij additæ sunt Lectio[n]es propriæ pro tota Octaua Dedicationis, non item pro alijs omnibus Patronis locorum, quibus postremo prouisum est cum Octauario Romano à nobis edito, & à sacra Rituum Congregatione approbato.

8 In postrema recognitione Breuiarij actum est de excludendis Octauis ab Aduetu, sicuti à Quadragesima; sed illud saltem congruere vñsum est, eas excludi à die 17. Decembris usque ad Epiphaniam: & ante Natiuitatem quidem ea ratione, quam numero sequenti dicemus; post Natiuitatem vero, quia dies omnes & singuli proprium Officium habent nullo modo omittendum. Fieri vero de Octaua, quæ non habetur in Breuiario, per solam commemorationem, vñsum est modicum quid; quod congruentius omitti potest in gratiam infantiae Christi, & Octaurum non sine mysterio comitantium Natiuitatem Christi, ex S. Bern.

9 Accidit etiam, inchoatas non compleri Octauas Festorum de Sanctis, & præsertim in tribus casibus. Primus est, quando aduenit dies 17. Decembris, in qua ponuntur Antiphonæ propriae; quod in postrema Breuiarij recognitione meritò decreatum est, ne omittantur quotannis Antiphonæ præuilegiatae, quas recitabant antiqui in Festis occurrentibus, additis ideo Laudibus ferialibus. Quare, si occurrat dies Octaua Festi habentis Octauam in die 17. Decembris, in pridianis Vesperis nihil fiat, neque commemoratio de Octaua, cùm in sequenti die nihil item sit de ea faciendum: nam argumento à simili mox infra num. 13. probabimus, non conuenire, vt habeat in primis Vesperis aliquid illud Festum, seu Officium illud, quod nihil omnino debet habere in Laudibus & Vesperis secundis. Alter casus est, quando aduenit Feria quarta Cinerum, pridie cuius eodem modo, quo nunc dictum est, abrumpenda est Octaua Festi habentis Octauam. Tertiarius est, adueniente Vigilia Pentecostes, quæ loco citato eiusdem est præuilegium ad Octauas mutilandas cum prædictis Ferijs. Certè ante Microl. c. 48. non celerabantur Festa in Quadragesima, & hodie paucissima; ergo conuenit, vt abstineamus in Quadragesima à prorogatione Festorum, hoc est Octaua. Natalis Domini, sicuti Pascha, debet habere quasi Octauam ante & post, licet non æqualem: & conuenit etiam in Vigilia Pentecostes cessare Octauam, quæ omne Festum, etiam Patroni, excludit.

10 Dierum infra Octauam Officium est Semiduplex, exceptis primis duobus post Pascha & Pentecosten; quorum Officium Duplex est. Dicí vero

verò Octauæ duo sunt priuilegia: alteram est, quod numquam transferatur; alterum est, quod Duplici ritu celebratur; quia est repetitio Festi. quod à Radulph. Propos. 19, in maioribus Octauis significatur. Microl. cap. 41. scribit, quod diei infra Octauam minorem, id est Sanctorum, Officium erat feriale trium lectionum. & c. 44, quod neque mentio per medios dies agebatur, quia extremi tantum dies colebantur: nihilominus hodiernum ritu in Breuiarijs M.S. ante annos 300. ego reperi, licet Radulphus Propos. 19. eiusdem ætatis dicat eadem quæ Micrologus. Per idem (puto) tempus mutatus fuit ritus in hodiernum, ut esset communis omnibus Octauis.

11 Festum habens Octauam si transferatur post octo dies à die Festi, non celebratur eo anno cum Octaua. Non enim numeratur Octaua à Festo, sed à die quo ille Sanctus obiit, vel obiisse creditur, cui fit Festum, nisi aliud ex priuilegio concedatur, de Translatione Fest. num. 1.

12 Dies Octaua, quia non transfertur, excludit, & transferri facit Festum Duplex in ea occurrentis per annum, siue sit maius siue minus, vt dicitur de Translatione Festorum num. 2. & in Tabella de Occurrentia, in qua Duplex per annum comprehendit maius & minus: qua de re dubitarunt aliqui, eò quia, inquit, in concursu Duplicis maioris cum die Octaua, illud habet integras Vespertas; sed est ratio dispar in cursu, quæ communis est Duplici maiori & minori per annum, ne scilicet omittatur Officium diei Octauæ in proprio die. cedit autem solemnibus Festis primæ & secundæ classis, ita ut de die Octaua non nisi fiat commemoratio; vti quant-

do in die Octaua Corporis Christi occurrit Festum S. Ioannis Baptiste: de quo fit Officium cum commemoratione Octauæ, ex Decreto Ioannis XXII. suprà citato, in quo meminit non modò Festi sancti Ioannis, sed etiam alterius Festi ex maioribus.

Excipe Octauam diem Nativitatis, quæ est secundæ classis, & Epiphaniæ, quæ est priuilegiata, vt diximus, ob Baptismum Christi. haec namque excludunt alia Festa. Cedit item dies Octaua Dominicis quæ excludunt Festa Duplicia per annum, puta Septuagesimæ, Sexagesimæ, & similibus, vt dicitur de Translatione Festorum numero 1. in quibus fit tantum commemoratione de die Octaua.

13 Sed quid agendum erit in primis Vesperris communib[us] diei Octauæ, & Dominicæ priuilegiata? Recitatib[us] Vespertas cum Psalmis Sabbati, à Capitulo de Dominicæ priuilegiata, & in fine addes commemorationem diei Octauæ, vt in primis Vesperris Festi. ita decreuit, me petente, sacra Rituum Congregatio die 9. Novembris 1622. & ratio desumitur à simili, ex Rubr. de Concurrentia num. 10. vbi, cùm ageretur de Simplici Festo occurrente in Feria quarta Cinerum, in qua de Festo fit tantum commemoratione, eadem tantum commemoratione Festi discernitur in primis eiusdem Vesperris: *Quia*, inquit, cùm in sequenti die Festum non habeat Officium, nec etiam conuenit habere primas Vespertas in precedenti die. Voluisse alij, primas Vespertas diei Octauæ integras ritu Duplici recitari: sed absurdum visum est inchoare cum omni solemnitate diem Octauam, quæ sequenti die Officium non habet. Alij, dimidiatas Vespertas usque ad Capitulum ritu Semiduplici.

32 Comment.in Rubr.Breuiarij. Sect. III. Cap. VIII.

plici de Octaua, Capitulum deinde de Dominica; at hoc modo non erant primæ Vesperæ de die Octaua, ut patet, cum ita Semiduplici; neque erant secundæ Vesperæ de die infra Octauam, quæ terminatur in Nona Sabbati. Et in Psalmo quinto erat difficultas, an dicendus ille, qui in primis aut in secundis Vesperis Festi: & pro commemoratione diei Octauæ Antiphona ad *Magnificat*, ut in primis Vesperis Festi, incongruè dicebatur, ratione diei infra Octauam. Maleissent alij, abrumpi Octauam in Sabbato ad Vesperras, & nihil de ea fieri amplius, ut suprà diximus num. 8. sed visa est ratio longè dispar in Dominicis priuilegiatis extra Quadragesimam, Natalitium tempus, & Pentecostes. Quare sola commemoratione contéti de die Octaua, tam in primis eiusdem Vesperis quam in Laudibus & secundis Vesperis, omisssisq; precibus ad Primam & Completorium, & Suffragijs communib; decreuerunt Eminentissimi Pates & Sapientissimi, ut prædictimus, nempe in gratiam diei Octauæ, & Dominicæ occurritis priuilegiatae: quibus & obsequendum erit.

14 In secundis etiam Vesperis diei Octauæ occurrit in Dominica priuilegiata, eadem Dominica conseruat sedem sibi acquisitam, ita ut de die Octaua fiat tantum commemoratione, ut in secundis Vesperis Festi. Quod si Dominica ipsa concurrat cum sequenti Festo duplice, adhuc commemoratione diei Octauæ post Dominicæ commemorationem fiet; non autem, si concurrat cum Semiduplici: quia tunc Vesperæ erunt de Dominica cum commemoratione diei Octauæ, ut in secundis Vesperis Festi; & deinde Semiduplicis, ut in primis eiusdem Vespe-

ris: quia in pari gradu commemorationis nobilior est diei Octauæ quam Festi Semiduplicis commemoratione.

15 Ceterum ordinariè dies Octaua si concurrat cum alia die Octaua, à Capitulo fit de sequenti cum commemoratione præcedentis, excepta Octaua Corporis Christi concurrente cum Octaua sancti Ioannis Baptiste, de qua fit tantum commemoratione; & quando in Breuiario aliter notatur, ut in Octauis SS. Stephani & Ioannis Evangeliste, &c. in Rubric. de Concurrentia Officii num. 7.

16 Dies eadem Octaua si concurrat cum sequenti Duplice minori etiam translato, à Capitulo fit de sequenti cum commemoratione Octauæ; si cum maiori, fit totum de sequenti, commemoratione de præcedenti, ut in die Octaua S. Ioannis Baptiste. Excipe dies Octauæ Epiphaniae, Paschæ, Ascensionis, & Corporis Christi, in quibus, ob earum dignitatem, secundæ Vesperæ, etiam in concursu cum Duplice maiori per annum, & multò magis primæ Vesperæ Octauarum Ascensionis & Corporis Christi, ut in postrema Breuiarij recognitione decretum est, debent esse integræ. Et quidem de secundis Vesperis Octauæ Corporis Christi est lex conuenientissima, noua tamen post Ioannem XXII. qui in Decreto suprà citato iussérat fieri à Capitulo de sequenti: eadem autem est ratio in Octaua Ascensionis.

17 Si concurrat cum Festo primæ classis, in huius primis Vesperis nulla fit de die Octaua commemoratione, ut declaratum est in postrema recognitione de Commemorat. tit. 9. num. 4. Si vero concurrat cum Festo secundæ classis, etiam translato, ut est Annuntiatio beatæ Virginis, vel sancti Marci Festum

Festum post Dominicam in Albis; totum Officium erit de sequenti cum commemoratione praecedentis diei Octauæ, ut apertè dicitur *de Concurr. num. 7.* & est Rubrica generalis modò in postrema recognitione Breuiarij, additis verbis ijs, *in secundo ordine*; ut virique ordini Festorum sit prouisum.

18 Accidit alias concursus Festi Duplicis vel Semiduplicis cum die infra Octauam: & Duplex quidem totum habet Vesperarum Officium cum commemoratione diei infra Octauam; Semiduplex autem regulariter usque ad Capitulum, quod erit de die infra Octauam, *in Rubrica de Concurr. num. 34.* sed fallit illud primum de Duplici in duabus casibus, hoc est, quando Duplex est primæ classis, quia tunc nulla fit de sequenti die infra Octauam commemorationis; & quando Duplex est secundæ classis, sed in die sequenti non fit Officium de die infra Octauam: tunc enim in secundis Vesperis Festi Duplicis nulla fit commemorationis diei sequentis infra Octauam. Alterum item de Semiduplici fallit in secundis Vesperis SS. Ioannis & Pauli, quæ sunt integræ cum commemoratione tantum die infra Octauam S. Ioannis, ita *in Rubric de Concurr. num. 3. & 4.* causam dabimus in Proprio de Tempore.

19 Dies etiam infra Octauam cedit Dominicæ praecedenti, in cuius secundis Vesperis non nisi fit commemorationis de die sequenti infra Octauam, *loco citato num. 5.*

20 Eadem dies infra Octauam cedit Festo Duplici, in cuius secundis Vesperis sola gaudet commemoratione; quæ etiam deperditur, si Duplex sequens sit primæ vel secundæ classis, *ibidem num. 4.*

21 Non cedit sequenti Dominicæ, vel Semiduplici, nisi usque ad Capitulum, quod erit de Dominicæ, vel de Semiduplici; multoque minus cedit Simplici, de quo fit tantum commemorationis in secundis Vesperis diei infra Octauam, *ibidem num. 6.*

22 Quæres: An detur casus, quo dies Octaua, quæ est Duplex, cedat in concursu Festo Semiduplici. Respondeo, Posito Decreto sacræ Congregationis, de quo supra num. 13. sequitur apertè, quod si occurrat Festum Semiduplex in Sabbato ante Dominicam priuilegiatam, quæ est simul dies Octaua Festi habentis Octauam; eo casu in Vesperis Sabbati, Antiphonæ & Psalmi erunt de Festo Semiduplici, Capitulum de Dominicæ priuilegiata, commemorationis primum de Semiduplici, quod habet dimidium Vesperarum, & deinde diei Octauæ, quæ in toto die sequenti Dominico nihil habet nisi meram commemorationem.

23 Volunt aliqui diem Octauam principalis Patroni loci posse dici Festum Duplex maius per annum, eo fine, ut habeat integras Vespertas; sed defendi non potest, tum quia *de Concurr. Officij num. 7.* expresse iubetur, Vespertas diuidi in concursu diei Octauæ cum Duplici Feste; tum quia dies Octaua Omnim Sanctorum non habet secundas Vespertas integras; tum quia est priuilegium Octuarum Christi Domini; tum quia Rubricæ sensus *in loco citato num. 7.* est de die Octaua Patroni, seu Tituli Ecclesiæ, quibus extra Breuiarium conceditur Octaua. Neque dicas, in Octaua sancti Ioannis Evangelistæ secundæ Vespertæ sunt integræ de eodem; quia singularis est casus in concursu cum Octaua Innocentum longè inferioris ordinis.

E Optaf-

34 Comm. in Rubr. Breuiarij.

Optasse & ego cum alijs , diem Octauam Festi B. Virginis habentis Octauam , esse Duplex maius , sicuti sunt eiusdem minora Festa per annum: at eadem ferè ratio militaret in Angelis & Apostolis, ut patet. Rubrica vero non distinguit inter diem Octauam,& diem Octauam, nisi in Festis Domini: vnde neque nos distinguere debemus, vrgerque rursus exemplum diei Octauae Omnia Sanctorum , quod est præcipue B. Virginis , ex Martyrologio, & non habet integras Vesperas. Octaua quoque S. Ioannis Euangeliæ minùs vrget , quæ in Rubricis excepta fuit , *de Concurrentia Officij num. 7. ijs verbis : Et quando aliter in proprijs locis notatur :* nulla igitur alia dies Octaua Sanctorum est Duplex maius . .

24 Denique dies Octaua Corporis Christi licet sit dignissima, si tamen ea die occurrat Festu Nativitatis S. Ioannis , vel Apostolorum Petri & Pauli , sola gaudet commemoratione, ob singularia merita sanctorum Principum Ecclesiæ Christianæ toto orbe venerandorum ; & eadem ratione fit Officium de Patrono loci , si occurrat in dicta die Octauæ Corporis Christi , cum eiusdem commemoratione tantum , quia est primæ classis in loco ubi est Patronus: idem dico de Titulo Ecclesiæ ; & multò magis affirmarem de Dedicatione Ecclesiæ , si in eam diem Octauam incideret, ob rationem à fortiori sumptuosa à sancto Thoma, de qua suprà hoc cap. num. 7. Festa vero secundæ classis cedere debent prædictæ diei Octauæ ; sicut à tota Octaua arcentur Semiduplicia Festa . & de facto cedit commemorationi sancti Pauli extra propriam Ecclesiam, ut in propria Rubrica dicitur ; quamquam non est pro-

Sect. III. Cap. VIII. & IX.

priè secundæ classis, vt ibi dicemus.

25 De Lectionibus infra Octauas infra agemus ; de Precibus , Suffragijs , in proprijs Titulis & Capitibus, Sectione quinta.

De Concurrentia Officij.

C A P. I X.

I **D** Antur in Officio diuino Concurrentia & Occurrentia, quæ habent pro diuersa ratione proprias leges. Nam Concurrentia est duorum pridie & postridie celebrandorum , & attenditur ordinariè in secundis Vesperis vnius , & in primis alterius Festi; Occurrentia vero est duorum in codem die.

2 Sequar autem ordinem Titularum præcedentium Capitum ; & primò de Duplici : nam Festum Duplex concurrere potest cum alio Duplici, vel die Octaua Festi habentis Octauam. si ergo sunt æqualia, regulariter à Capitulo fit de sequenti cum commemoratione præcedentis. Dixi, si sint aquælia; quia si Duplex maius sit, totum fit de Duplici cum commemoratione diei Octauæ, vt in secundis Vesperis Exaltationis S. Crucis. Dixi regulariter, quia in tribus Festis Nativitatis Domini fallit hæc regula , vt eo loco patet . est autem diuisio Vesperarum à Capitulo in partes ferè æquales. Si sunt inæqualia, illud Festum, quod maius est , habet integras Vesperas cum commemoratione minoris, quando & hæc fieri debeat, vt dicemus ex Microl. c. 35. Quod enim magis vel minùs Festum habet de Vesperis , & præsertim de primis Vesperis, quæ ex Amalario sunt nobiliores secundis , eò etiam sollempne magis & minùs est Festum.

3 Inæqualitas attenditur ex hoc ordine:

dine : Festa Domini præferuntur omnibus alijs , & habent utrasque Vesperas integras , Festa beatæ Mariæ Festis aliorum Sanctorum , Festa Angelorum & Apostolorum ceteris alijs ; si alijs , ergo etiam Euangelistis (quod bene nota;) Festa Sanctorum , qui in proprijs locis vel Ecclesijs solemniter celebrantur , alijs in Calendario descriptis . Hinc appellantur prædicta Festa vel primæ , vel secundæ classis , vel Duplicita maiora , quæ in concurso cum minoribus habent integras primas & secundas Vespertas . Errant ergo ijs , qui in Ecclesia B. Rochi propria de eodem , vt Patrono , recitant primas Vespertas cum commemoratione Assumptionis B. Virginis , cui debentur integræ secundæ Vesperæ ex hac Rubrica : nam utrumque Festum est quidem primæ classis , sed dignior beata Virgo B. Rocho . Neque valet exemplum quo se tinentur , quia in primis Vesperis Commemorationis S. Pauli in propria Ecclesia Vesperæ sunt integræ de sancto Paulo ; tum quia concursus est inter æquales ; tum quia est specialis Rubrica , cui alluditur in Rubrica generali de Concurrentia Officij num. 2. ijs verbis : *Nisi* , inquit , *aliter in proprijs locis annotetur* . Quod autem dictum est , Festa solemnia locorum præferri alijs in Calendario descriptis , intellige de concursu , & , vt diximus suprà *Sect. 2. cap. 2. numero 29. pagina 17.* ceteris paribus , habita ratione personarum iuxta prædictos gradus , & majoritatis ritus , de qua ibidem Rubricæ loquantur .

4 Duplex item concurrere potest cum Semiduplici , Dominica , die infra Octauam , Simplici , & Officio sanctæ Mariæ in Sabbato ; & tunc omnia in secundis Vesperis de Duplici erunt

cum commemoratione illorum , nisi Duplex esset primæ classis , quod admitteret commemorationem tamen de Semiduplici , & de Dominica , non de alijs prædictis ; vel secundæ classis esset , quod admitteret præterea commemorationem de die infra Octauam , si in sequenti fieri debet Officium , & de Simplici , & de S. Maria in Sabbato . cum Feria vero non concurrit , neque cum Vigilia .

5 Semiduplex potest concurrere cum Duplici , & omnia de Duplici fiunt cum commemoratione Semiduplicis , nisi Duplex sequens fuerit ex ijs solemnibus , quæ excludunt etiam commemorationē Semiduplicis . Item potest concurrere cum Semiduplici , Dominica , die infra Octauam ; & tunc dividuntur Vesperæ à Capitulo de sequenti . Item potest Semiduplex concurrere cum Simplici , & sancta Maria in Sabbato , & eo casu omnia de Semiduplici cum commemoratione sequentis .

6 Dominica concursum habere potest cum sequenti Duplici , & omnia erunt de Duplici ; & commemoratione de Dominica , nisi sit Duplex primæ vel secundæ classis , quod excludit Dominicæ commemorationem . Item cum Semiduplici potest concurrere , vel cum Festo Simplici , & in his casibus omnia de Dominica cum commemoratione sequentis . quod habet etiam *Radulph. Propos. 15.*

7 Quæres , cur Dominica habeat integras secundas Vespertas , dum concurrit cum Semiduplici sequenti , & non habeat integras primas Vespertas concurrens cum Semiduplici præcedenti , vt num. 5. diximus ; & eo maior est ratio dubitandi , quia diximus nobiliores esse primas Vespertas

E 2 seun-

36 Comm. in Rubr. Breuiarij. Sect. III. Cap. IX. & X.

secundis. Dicerem, vel ob concursum populi ad secundas Vespertas, quas amar, Dominicales, non ad primas; vel forte, quia Psalmi Sabbatini minus habent festivitatis, plus ferialitatis; & incongrui visi sunt inter Festum Semiduplex, & Festum Dominicæ: quo factum est, ut Psalmi essent Festi de Semiduplici, & Capitulum de Dominicæ.

8 Simplex non potest concurrere cum sequenti, quia non habet secundas Vespertas. Si sequatur aliud Simplex, de eo fit à Capitulo post Psalmos de Feria, sine commemoratione præcedentis. Si sequatur Officium nouem Lectionum, Vesperæ integræ erunt de hoc sine illa similiter commemoratione Simplicis præcedentis. Si nullum Festum sequatur, Officium erit de Feria totum.

9 Feria item non concurrit cum sequenti, quia incipit & definit, vbi definit & incipit quodcumque aliud Officium. Si diuersæ sint Feria proximæ, unaquæque suo die, non ultra diem, locum habet, ut fusiùs dicitur in Rubric. de Concurrent. num. 9. De Octauæ concursu actiuo & passiuo cum alijs in hoc capite omisimus dicere, cùm plenè Cap. 8. iam dixerimus à num. 15.

De Occurrentia Officij diuini, seu de Translatione Festerum.

C A P. X.

1 **D**plex Festum potest occurrere in Dominicis Aduentus, & à Septuagesimâ usque ad Dominicam in Albis inclusuè, in Vigilia Nativitatis Domini, in Circumiacione, in tota Octaua Epiphaniæ, in Feria quarta Cinerum, in

tota maiori Hebdomada, infra Octauam Paschæ, Ascensione Domini, in diebus à Vigilia inclusuè Pentecostes usque ad Festum Trinitatis inclusuè, in Festo Corporis Christi, & eius die Octaua, in Assumptione B. Virginis & in Festo Omnitum Sanctorum, quæ dito ultima Festa addita sunt in postrema recognitione: & tunc Duplex transfertur in primam diem Festo nouem Lectionum non impeditam, Radolph. meminit Propos. 15. Microl. etiam cap. 42. tradit, occurrentibus duobus Festis, minus nobile differri.

2 Si vero est Duplex primæ classis, de eo fit in Dominicis secunda, tertia, quarta Aduentus, & Quadragesimæ, in Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ, & infra Octauam Epiphaniæ; quia ratio Festi, & praesertim Patroni loci, seu Titularis Ecclesiæ, vel Dedicationis eiusdem, præualer penes populum eius loci: neque hæ Dominicanæ pares sunt primis Dominicis, in quibus mysteria Religionis nostræ inchoantur.

3 Si contingat, ut duo Festa Duplex occurrant eodem die infra Octauam, hoc est, in Ecclesia aliqua particuliari, quæ forte celebret Octauam Patroni loci, infra quam potest occurrere Duplex ex Festis mobilibus una cum Duplici per annum in Calendario Romano; eo casu debet transferri Duplex minus in primam diem similiter non impeditam. & hic est sensus Rubricæ de Translatione Festerum num. 3, quam putant aliqui esse superfluam: sed idem sancta fuit ad differentiam Semiduplicis, cuius translatio aliquando fit extra Octauam. Et hæc de Duplice.

4 Semiduplex potest occurrere in diebus prædictis num. 1. & 2. & præterea

terea infra Octauam Corporis Christi, & alijs Dominicis per annum, in quibus omnibus casibus transfertur in primam diem non impeditam simili Officio, hoc est nouem Lectionum, quale item est dies infra Octauam, quod in postrema Breuiarij recognitione dictum est. Quod si occurrat in Dominica infra Octauam, quae adimit Semiduplex Festum, tunc in sequentem Feriam secundam transfertur; & si est impedita, ultra Octauam, numero dierum nimis minuatur. Eadem de causa Semiduplex occurrentis infra Octauam Corporis Christi, si proxime sequantur Octauæ S. Ioannis, & SS. Petri & Pauli, transfertur post omnes Octauas. & hoc est quod addit Rubrica in fine num. 5. *Ita ut, inquit, Festum Semiduplex infra Octauam non transferatur, nisi in proximè sequentem diem.* id est, si sequens erit impedita, transfertur Semiduplex ultra omne Officium 9. Lectionum. Ratio est, quia amissio iure vicinitatis ad proprium diem, non est maior ratio cur ciuitas celebretur.

5. Occurrentibus pluribus Festis nouem Lectionum, transferatur illud quod est minus nobile; vel ratione ritus, puta, quia Semiduplex; vel ratione personæ quæ sit inferioris ordinis, si in ritu sint æquales. Hic est sensus Rubricæ num. 6.

6. Translati pluribus Festis Duplicibus & Semiduplicibus, fiat Officium prius de digniori quoad ritum; quod si æqualis sit ritus, fiat de eo prius, quod erat prius in Calendario celebrandum. ita, licet obscurius, in Rubr. num. 7.

7. Si vero occurrat in Dominica in Albis, vel Trinitatis, aliquod Festum,

quod ex predictis debet transferri (nulla ratione habita, quod habeat ius ad eam Dominicam) fiat in Feria secunda non impedita de Festo prius translato, ordine seruato dignitatis & Calendarij, prout verè sonant verba dictæ Rubricæ de Translatione Festorum num. 7. examinata in postrema recognitione Breuiarij, & in hunc sensum communiter accepta: quia verè & illud ipsum est à suo die translatum.

8. Festum Simplex non transfertur, sed vel Officium, vel commemoratio fit de eo; aut vero etiam omittitur, si occurrat in Festo primæ classis. Aliubi potest accidere, vt numquam de eo fiat, neque commemoraio; vt in Ecclesijs sancto Augustino, sancto Iacobbo dicatis, & alijs sanctis Patronis locorum, seu Titularibus Ecclesiarum, numquam fit de sanctis Hermete, Christophoro, & similibus.

9. Translato fortasse Festo nouem Lectionum, quo cum facienda est commemoratio Festi Simplicis, non transfertur Festum Simplex, de quo fit semper proprio die, nisi impeditat à Festo solemniori; & eodem modo, translati in præcedens Sabbathum aliqua Vigilia, quæ occurrit cum Festo Simplici in Dominica, non tamē transfertur Festum Simplex, sed de eo fit in Dominica, & proprio die: quia illud tantum est transferendum, quod proprio die impeditur à maiori Officio.

10. Aduerte præterea, quod si Translatio alicuius Festi fiat à tempore Paschali ad tempus non Paschale, recitandum erit Officium temporis non Paschaloris, quod accidit in Translatione sanctorum Martyrum mensis Maij, & aliquorum mensis Iunij.

11. Attinent ad hoc caput ex Rubricæ quæ habentur extra Titulos alia-

rum Rubricarum generalium, nempe inter duas Tabellas de occurrentia & concurrentia Officij: & primò, si occurant duo Festi eodem die sub una ratione Festi in Calendario Romani Breuiarij, quorum tamen alterum est Patroni, seu Tituli Ecclesie; Festum verbi gratia S. Sebastiani, cui cum sancto Fabiano fit ordinariè Festum, eo casu fit de Patrono seu Titulari tantum, hoc est de S. Sebastiano solo, vti Festo primæ classis, non autem de socio eo die. Aliqui putarunt, hanc Rubricam loqui de occurrentia duorum Festorum, quorum alterum est in Calendario Romano, alterum in Calendario loci proprio, sed falluntur, ex ijs verbis, *Descriptus sit eodem die in Calendario; non ait Calendarijs.* & loquitur de Calendario Romano, me teste, in recognitione Clementina: nam de occurrentia duorum Calendariorum agitur in Rubrica *de Translat. Fest. nu. 6.*

12 Qui vero hac de causa in eorum proprio die omittuntur, vel sunt in Calendario Romano sub ritu Duplici, seu Semiduplici; & tunc prima die similiter, id est simili Officio, si Octauam habet, non impedita, fit Officium de omissis sub ritu Semiduplici; puta in exemplo allato, fit de sancto Fabiano ritu Semiduplici post Octauam S. Sebastiani: vel sunt sub ritu Simplici, & tunc in ea Ecclesia nihil fit de socijs omissis. Exempli gratia, in Ecclesia SS. Marcellino & Petro dicata, sanctus Erasmus nihil habet vñquam, neque commemorationem, *die 2. Iunij.* Ratio vero, cur in hac diuisione fit alteram Festum ritu Semiduplici, est, quia non transfertur Festum, nisi sit saltem Semiduplex; & diuisio ritus Duplicis Festi plurimum Sanctorum visa est fieri satis congrue, si socij gaudeant

ritu saltem Semiduplici, nisi sint, vt mox dicemus, altioris ordinis.

13 Quod si ij qui dividuntur sunt altioris ordinis & classis, vt in Ecclesia S. Philippi Apostoli, de quo solo fit idecirco Festum primæ classis; eo casu in prima die non impedita fiet Officium de translato S. Iacobo sub ritu Duplici secundæ classis, quia est de duodecim Apostolis, & die 4. Maij in Laudibus tantum fiet commemoratio cum nona Lectione S. Monicæ.

14 Porro, prædicta separatione facta Patroni seu Titularis a socijs, quos illi habent in Calendario Romano, curandum erit, vt Oratio, Lectiones & Euangeliū cum Homilia congruant Festo, ita vt pro uno, non pro pluribus Officium fiat; & deficientibus proprijs erit ad Commune Sanctorum recurrendum, reseruata Patrono potius quam socijs Oratione propria, & in numero singulare accommodata: pro socijs autem sumatur de Communione, vt sit varietas; nisi forte contingat de socijs Officium fieri extra Octauam Patroni, seu Tituli, quo casu variandi necessitas minus virgeret.

15 Quæsumus est aliquando, quid agendum esset in Ecclesia Regularium, in qua occurrabant duo Festi eodem die, Patroni principalis loci, & Titularis Ecclesiæ illorum Regularium. Et posito, quod suprà docuimus, teneri Regulares ad Officium de Patrono, infertur manifeste, quod de Patrono loci, tamquam de digniori, recitandum sit Officium, translato Titulari, qui est minùs dignus, *de Transl. Fest. tit. 10. num. 6.* tum quia in Rubrica semper præponitur Patronus Titulari; tum quia ille totius loci est Protector, hic vnius templi particularis; tum quia æquius est, vt populus vbiique co die

die audiat Missam de suo Patrono. Quod si quotannis hic accidat occursum, assignanda erit dies sequens in perpetuum Titulari illius Ecclesie, nisi ex priuilegio aliter fieri debeat. A fortiori cedet Patrono loci aliud quodcumque Festum Regularium inferioris classis, puta Conceptionis beatæ Virginis, si occurrat in Festo Patroni loci: quod eo magis patet, quia Festum Conceptionis cedit Dominicæ secundæ Aduentus, cui non cedit Patronus loci, *de Transl. Fef. num. 1.*

16. Officia concessa ad libitum in pari gradu cedunt alijs de præcepto, vel ex vi Rubricarum recitandis.

De Commemorationibus.

C A P. X I.

1 **Q**uartus prescribuntur in Breuiario in tit. de Commemorationibus: & Primo, quibus diebus, & de quibus Festis seu Officijs facienda sit commemorationis. Secundo, quo loco, in qua parte dñini Officij. Tertio, quo modo, quâve ratione. Quartò, quo ordine, quando multæ sunt simul facienda. & de his singillatim dicemus.

2 De Feria maiori, de Simplici, de sancta Maria in Sabbato, de die infra Octauam, de Semiduplici, de Dominica, de die Octaua, de Duplii omnium classium contingit fieri commemorationem in Officio, ut ex sequentibus hoc eodem ordine patebit.

3 Nam de Feria maiori sit commemorationis, quando Festum nouem Lctionum in ea occurrit, neque umquam omittitur de ea commemorationis, exceptis Vigilijs quæ occurrunt in alia Feria maiori, puta Aduentus, aut Quadragesimæ; vel occurrunt in Fe-

sto Duplii primæ classis, quia tunc nihil fit de Vigilia, excepta Vigilia Epiphaniae.

4 De Simplici fit commemorationis, quando occurrit in Feria maiori, Vigilia, sancta Maria in Sabbato, die infra Octauam, Semiduplici, Dominica, die Octaua, & in Duplii per annum, tam in primis Vesperis quam in Laudibus, in Duplii Festo secundæ classis tantum in Laudibus: item in eiusdem Festi Simplicis primis Vesperis, quando cum eo pridie concurrit Semiduplex, Dominica, dies Octaua, Duplex per annum, Duplex secundæ classis; non autem quando Duplex primæ classis concurrit cum Simplici.

5 De sancta Maria in Sabbato fit commemorationis, quando cum ea pridie concurrit dies Octaua, Semiduplex, Duplex per annum (modò non fit Festum beatæ Virginis, ne de eadem fit Festum & commemorationis) Duplex secundæ classis, non primæ.

6 De die infra Octauam fit commemorationis, quando in ea occurrit dies Octaua alterius Octauæ, vel dies infra aliam Octauam dignorem, vel Duplex per annum, vel Dominica; non autem, quando Duplex primæ vel secundæ classis occurrit, exceptis Octauis SS. Stephani, Ioannis & Innocentij, de quibus fit commemorationis in Festo secundæ classis, eo modo, quo in Festo S. Ioannis Evangelistæ fit de die infra Octauam S. Stephani, & in Festo Innocentij de diebus infra Octauam S. Stephani & S. Ioannis, ex priuilegio speciali. Item quando concurrit cum sequenti die Octaua alterius Octauæ, Duplex per annum, & Dominica quacumque, non cum alijs.

7 De Semiduplici fit commemorationis, quando concurrit cum sequenti die infra

40 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. III. Cap. XI.

infra Octauam, die Octaua, cum alio Semiduplici, cum Duplici per annum, & Dominica, non cum alijs.

8 De Dominica, quando in ea occurrit Duplex primæ aut secundæ classis, aut Duplex per annum, aut dies Octaua. Item quando ea concurrit cum sequenti Duplici per annum, aut cum die Octaua, non cum alijs.

9 De die Octaua fit commemorationis, quando in ea occurrit alia dies Octaua dignior, aut Duplex primæ vel secundæ classis, aut Dominica primæ vel secundæ classis. Item, quando concurrit cum sequenti alia die Octaua, Duplici per annum minore, & maiore, & cum Duplici secundæ classis, non cum alijs.

10 De Duplici minore per annum fit commemorationis, quando concurrit aut cum sequenti alio Duplici minore, aut cum die Octaua, aut cum Duplici maiore, aut cum Duplici secundæ classis, non cum alijs.

11 De Duplici maiore per annum fit commemorationis, quando concurrit cum alio Duplici maiore, digniore, per annum, aut cum Duplici secundæ classis.

12 De Duplici secundæ classis fit commemorationis, quando concurrit cum Duplici primæ classis, vel cum Duplici secundæ classis digniore.

13 De Duplici primæ classis fit commemorationis, quando concurrit cum alio digniore Duplici primæ classis. Hæc sunt quæ patiuntur commemorationem sui ipsorum in Officio diuino.

14 Ex dictis pater vice versa, quod Duplex primæ classis admittit in primis Vesperis commemorationem de Duplici primæ classis minus digno, de Duplici secundæ classis, de Dominica primæ vel secundæ classis, & item de

Dominica per annum, si illud Festum occurrat in Dominica, de Feria maiori, non de alijs. In Laudibus admittit commemorationem Dominicæ secundæ classis, & per annum, diei Octauæ, & Feriæ maioris, non tamen Vigiliae. In secundis Vesperis admittit commemorationem Dominicæ cuiuscumque, Duplicis primæ classis minus digni, Duplicis secundæ classis, & per annum, diei Octauæ, Feriæ maioris, non aliorum.

15 Duplex secundæ classis admittit in Vesperis primis commemorationem Dominicæ primæ vel secundæ classis, & Dominicæ per annum, si illud occurrat in Dominica, Duplicis secundæ classis minus digni, Duplicis per annum, diei Octauæ, Feriæ maioris, non aliorum. In Laudibus admittit commemorationem Dominicæ cuiuscumque, diei Octauæ, Festi Simplicis, & Feriæ maioris. At cur non dici infra Octauam? hæc enim maior est Simplici Festo. Sed ratio dispar est; quia de Octaua sèpius, de Simplici semel fit, quo die occurrit. In secundis Vesperis admittit commemorationem Dominicæ cuiuscumque, Duplicis secundæ classis minus digni, Duplicis per annum, Semiduplicis, Simplicis, diei Octauæ, diei infra Octauam, si de ea sequenti die fiat Officium, sanctæ Mariæ in Sabbato (nisi Festum sit beatæ Mariæ) & Feriæ maioris. Si sequatur aliud Festum secundæ classis minoris solemnitatis, de quo idcirco in dictis Vesperis fiat tantum commemorationis, & in eodem Festo sequenti occurrit Festum Simplex, tunc in secundis Vesperis integris praecedentis Festi nihil adhuc fit de Simplici; quia Festum sequens licet non habeat Vesperas, habet tamen ius in

in suis primis Vesperis excludendi commemorationem Festi Simplicis casus accidit, & ita respondi.

16 Duplex per annum maius in primis Vesperis admittit commemorationem Dominicæ cuiuscumque, tum Duplicis minoris per annum, Semiduplicis, Simplicis, diei infra Octauam, diei Octauæ, cum qua concurrit, & Feriæ maioris. In Laudibus admittit commemorationes Dominicæ, Festi Simplicis, diei infra Octauam, & Feriæ maioris. In secundis Vesperis admittit commemorationem Dominicæ cuiuscumque, Duplicis minoris per annum, Semiduplicis, Simplicis, diei infra Octauam, diei Octauæ, Feriæ maioris, & B. Mariæ in Sabbato.

17 Duplex per annum minus in primis Vesperis admittit commemorationem Dominicæ cuiuscumque, Semiduplicis, Simplicis, diei infra Octauam, & Feriæ maioris. In Laudibus admittit commemorationem Dominicæ per annum, Festi Simplicis, diei infra Octauam, & Feriæ maioris. In secundis Vesperis admittit commemorationem Dominicæ, Semiduplicis, Simplicis, diei infra Octauam, Feriæ maioris, & beatae Mariæ in Sabbato.

18 Dies Octaua admittit commemorationes, quas Duplex per annum minus. sed dies Octaua Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, & Corporis Christi sunt Duplicia maiora, quæ habent integras Vesperas, & admittunt eas tantum commemorationes, quas concessimus Festo Duplici maiori per annum, si accidere possint.

19 Dies infra Octauam admittit in primis Vesperis commemorationem Semiduplicis, cum quo diuidit Ve-

speras, Simplicis, & Feriæ maioris. In Laudibus & secundis Vesperis admittit commemorationem Simplicis, & Feriæ maioris in omnibus, & alterius diei infra Octauam minus dignam.

20 Seniduplex admittit in primis Vesperis commemorationem Semiduplicis, & diei infra Octauam, cum quibus Vesperas diuidit, Simplicis, & Feriæ maioris. In Laudibus commemorationem diei infra Octauam, Simplicis, & Feriæ maioris. In secundis Vesperis commemorationem alterius Semiduplicis, Simplicis, B. Mariæ in Sabbato, & Feriæ maioris.

21 Dominicæ in primis Vesperis admittit commemorationem Semiduplicis, & diei infra Octauam, cum quibus diuidit Vesperas, & Festi Simplicis. In Laudibus commemorationem diei infra Octauam, & Simplicis. In secundis Vesperis commemorationem Semiduplicis, diei infra Octauam, & Simplicis.

22 Simplex in primis Vesperis & Laudibus admittit commemorationem tantum alterius Simplicis; alijs Officium cedit.

23 Sancta Maria in Sabbato admittit commemorationem in primis Vesperis, & Laudibus Festi Simplicis tantum; cedit Officium alijs.

24 De tribus Octauis fit commemoratione in vtrisq; Vesperis, & Laudibus, quocumque Festo infra eas adueniente, nimirum Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, & Corporis Christi.

25 Ratio vero prædictorum desumitur ex maiori vel minori qualitate Festi: quo enim est nobilius, magis etiam habet de Officio, & minus de aliorum commemoratione. Dicamus nunc de loco facienda commemorationis, in qua parte Officij fiat.

42 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. III. Cap. XI.

26 Fit commemoration in Vesperis & Laudibus post Orationem Festi, de quo fit Officiū; & si habeatur Lectio, vltimo loco legitur in tercio Nocturno ante Hymnum *Te Deum*. Modum commemorationis fusius explicò.

27 Fit hoc modo commemoration. In Vesperis sumuntur Antiphona, quæ est assignata Canticō *Magnificat*, cui additur Vers. qui dicitur post Hymnum Vesperatum, tum Oratio eius de quo fit commemoration. sumuntur autem vel de Proprio, vel de Communione. Eodem modo fit in Laudibus cum Antiphona Cantico *Benedictus* assignata, & Versu, qui habetur post Hymnum ad Laudes.

28 Si ex eodem Communi sumuntur commemoration, vnde sumptum est Officium, variantur Antiphona & Versus, ita, vt in Vesperis sumatur commemoration ex Laudibus, & econtra, nisi aliter signetur, inquit Rubrica de Commemoratione num. 8. quia in Festo sancti Hilarij in secundis Vesperis aliter res se habet, vt videre est in eo loco. Quod de Antiphona & Versu dicitur, intellige quoque de Versu tantum, vt varietur, si est opus, & similiter de Oratione. Neque refert, si pro commemoratione eiusdem contingat dici eundem Versum in primis Vesperis & Laudibus, vt in Festo S. Donati, in quo fit aliquando de translata Inventione S. Stephani; & pro commemoratione S. Donati dicitur & in Vesperis & in Laudibus idem Versus, *Iustus ut palma*, &c. quia in Laudibus nulla est necessitas variandi Versum de Laudibus proprium, vt patet.

29 Dubitauere quidam, An Antiphona ad *Benedictus* in Communi Pontificum & non Pontificum Con-

fessorum sint diuersæ, vt altera pro Officio, altera pro commemoratione in Laudibus deferire queant, quibus ego respondi, Initio esse vnam, in fine apparere diuersas: & hoc sufficit ad varietatem. quod etiam fit in praxi communiori. Habes nunc exemplum in Breuiario in Festo sancti Bonaventurae, & sancti Henrici.

30 Quæres adhuc: Quid agendum, quando in Officio de uno Martyre fit commemoration de Martyre altero, & inter Suffragia fit commemoration de Patrono item Martyre per Antiphonas de Comuni, quinam Versus dicendus erit pro Patrono? Habes exemplum in secundis Vesperris sancti Hilarij, vbi tres concurrunt Confessores. vtere ergo vltimo loco Versu vltimo secundi vel tertij Nocturni: & idem fiat, si quatuor occurant, adhibita Antiphona, quæ prima est Nocturni primi, & Versu Nocturnorum, qui non est dictus in commemorationibus.

31 Ratio verò, cur pro commemoratione sumantur Antiphona ad *Magnificat* & *Benedictus*, ea esse potest; quia sunt nobiliores Antiphona, tam ratione Cantorum Evangelicorum, tum vicinioris aditus ad Orationem, seu Collectam, quæ dicitur pro commemoratione.

32 Commemoration de Dominica, vel de Feria maiori, vel de die Octaua SS. Petri & Pauli (si in ea occurrit nobilius Festum) qua habet Homiliam cum suo Euangeliō, addit preterea Lectionem eiusdem Homilia in fine tertij Nocturni pro nona Lectione, id est, vel primam tantum de Homilia, vel tres in una simul Lectione coniunctas. Sicut enim in Missa pro commemoratione Dominicæ,

nica,

nicæ, vel dictæ Feriæ, vel diei Octauæ, populo legitur Euangelium in fine Missæ, ne sit Euangelium aliquod in Missali, quod non aliquando legatur populo; ita conuenit, ut in Choro exponatur illud idem Euangelium per Homiliam in fine Officij Marutini, in quo paulò ante per aliam Homiliam declaratum est Euangelium principale Festi, & Officij.

33 De Sanctis autem, qui propriam Lectionem habent de vita & gestis ipsorum, conuenit etiam ut legatur ad instructionem Cleri, quæ erit nona, si una est, vel de duabus fiat vna; quam congruentissimè sequitur laus diuina per Hymnum *Te Deum*. Quod si Hymnus hic non sit dicendus, omittitur eo casu Lectio de Sancto; quia Responsorium nonum, quod vice Hymni *Te Deum* dicitur, non benè quadrat Lectioni de Sancto, sed benè Lectioni Homiliae; & ideo nona Lectio est de præcedenti eadem Homilia.

34 Dixi, qui propriam Lectionem habent, non appropriatam de Communione, ut in Festis SS. Naboris & Felicis, S. Margaritæ, & aliorum. Et adest exemplum in Festo S. Augustini, cuius nona Lectio non est de sancto Hermete, quia propriam non habet laudem, si de Communione sumatur. Imò etiam in Rubrica de *Translat. Festorum nn. 9.* expressè habetur; *Si propriam, inquit, de vita Sancti habuerit Lectionem.*

35 Si vero duæ commemorationes occurrant in eodem Officio, scilicet Dominicæ, vel Feria maioris, quæ habet Homiliam, & Simplicis Festi, quod habet propriam Lectionem, tunc omittatur Lectio de Sancto, & legatur Homilia; quia Domi-

nica & Feria maior digniores sunt Festo Simplici: imò & omititur, quando in feriali Officio Feria maioris tres tantum leguntur Lectiones, quia non dicitur Hymnus *Te Deum*, sed tertium Responsorium, quod non responderet Festo Simplici; vel certè ideo fit infra Octauas Paschæ & Pentecostes, quando in ijs occurrit Festum Simplex, quia párum legitur de solemniori Festo, quod non videatur minuendum, dempta illius tertia Lectione pro Lectione de Sanctis.

36 De die infra Octauam non legitur nona Lectio, licet habeat in Breuiario & Octauario Homiliam qualibet die; quia Euangelium lectum est in die Festo, & repetitur infra Octauam sàpè; neque legitur in fine Missæ, licet de ea fiat in Missa commemratio: imò, neque si habeat Euangelium diuersum ab Euangeliō Festi, quod accidit infra Octauam Apostolorum Petri & Pauli, & conceditur in Octauario Romano *Notat. 4.*

37 Accidit alicubi, quod Octaua Apostolorum Petri & Pauli occurrat in Dominicæ, in qua fit de Titulari Ecclesiæ cum commemorationibus Octauæ, quæ habet proprium Euangelium, & Dominicæ: quare, quodnam Euangelium cum sua Homilia legetur pro nona Lectione, Octauæ, an Dominicæ? illa enim, quæ Duplex est, dignior est Dominicæ. Nitilominus ego legerem potius Euangelium Dominicæ: neque enim vacare permittitur aliqua Dominicæ per annum, quin de ea, saltem in Sabbato præcedenti, fiat commemratio, ut dictum est supra cap. 5. & hoc ratione fit Euangelij, ut legantur populo per annum in Missa omnia Evangelia Dominicalia; si vero

44 Comment. in R̄ubr. Breuiarij. Sect. III. Cap. XI.

in Missa est legendum, ergo & in Officio. Reliquum est, vt significemus ordinem commemorationum.

38 Quando contingit fieri plures commemorationes, seruetur hic ordo. De Duplici fiat ante Dominicam, de Dominica ante Festum Semiduplex, de Semiduplici ante diem infra Octauam, de Octaua ante Ferias maiores, & de his ante Festum Simplex. Hęc Rubrica *de commem. nū. 11.*

39 Latet hęc quod pauci norunt. Cur enim de Semiduplici ante diem infra Octauam, cùm in concurrentia Semiduplicis cum die infra Octauam dixerimus suprà, fieri à Capitulo de die infra Octauam cum commémoratione Semiduplicis? ergo inde sequitur, quòd ordo commémoratio-num erit, de die infra Octauam ante Semiduplex. At vide disparitatem. Nam in ratione Officij diuiduntur Vesperæ, ita vt ad præcedens Festum prima pars spectet, ad sequens altera à Capitulo; sed in ratione simplicis commémorationis, puta quando Se-miduplex concurrat cum Duplici infra Octauam Festi habentis Octauam, quia Semiduplex Festum est nobilius per se loquendo (quia Festum est) quā dies infra Octauam, quæ est continuatio Festi, vt diximus suprà cap. 8. num. 4. idcirco fit commémoratio Semiduplicis ante diem infra Octauam. Casum habes in terminis in secundis Vesperis sancti Thomæ Cantuariensis, quando concurrit cum Festo sancti Siluestri, in quibus integræ Vesperæ sunt de Duplici cum commémoratione sancti Thomæ Semiduplicis, & deinde Octaurarum.

40 De sancta Maria in Sabbato, si in Feria sexta fiat Festum nouem Lectionum, fit commémoratio ante Fe-

stum Simplex, quod celebratur in Sabbato.

41 De Festo Simplici fit commémoratio ante suffragia Sanctorum, seu communes commemorationes, de Cruce, sancta Maria, &c. & ante commemorationem cuiusque Tituli vel Patroni Ecclesiæ, quæ forte omnibus suffragijs præponeretur pro sui dignitate, veluti sanctissimæ Trinitatis, Corporis Christi, &c. quia, cùm hęc commémorationes dicantur, & sint communes, cedunt simplicibus, quæ eo die locum proprium & festuum habere debent, ita seruos suos honorante ipsomet Deo, & quasi locum cedente in eorum Festo.

42 Denique fit commémoratio tantum Festi Simplicis in Vesperis de Feria, quando postridie de eodem facienda est tantum commémoratio ob occurrentem Feriam quartam Cinerum, seu Feriam quartam aut sextam Temporum, aut Vigiliam; quia non habet Officium, ergo neque primas Vesperas: sicut etiam omittitur & ipsa commémoratio in Feria quarta maioris Hebdomadæ, cùm in sequenti Feria nihil fiat de Festo Simplici.

43 Ratio prædicti ordinis patet. congruit enim qualitati Festorum & Officiorum; & eo ordine, quo Festa prædictorum fierent, eodem facienda sunt solemnes, non communibus comparatae, commémorationes.

*De Patrono loci, & Titulo
Ecclesiæ.*

CAP. XII.

Patroni Festum fieri congrue docuimus suprà cap. 2. ex Micro. cap. 43. & Radulphi Propos. 17. & fieri sub ritu Duplici prime

primæ classis ibidem ex Rubricis generalibus num. 4. Quæritur, quomodo differant Patronus & Titulus Ecclesiæ. Respondeo, Patronum esse, quem Episcopus cum populo sibi Patronum eligit, eò vel quia primus eo loci Episcopus fuit, vel quia ibi humatus, vel quia ciuis eiusdem loci, vel quia iuuit aliquando mirabiliter in eiusdem populi necessitatibus, vel ob alias similes causas. Datür autem Titulus Ecclesiæ, qui non ita latè patet ut Patronus loci, puta, quia Ecclesia dedicata est sub invocatione sanctissimæ Trinitatis, Corporis Christi, sanctæ Crucis, beatæ Mariæ, Sanctorum, &c. Cur verò dicatur Titulus, dicam Sectione 8. cap. 5.

2 Nonnulli vocant Patronos eos, erga quos solo deuotionis affectu mouentur, non communi toti ciuitati, seu loco; at de ijs non loquitur Rubrica, quæ locum accipit pro multitudine Cleri & populi, ex communi modo loquendi. In posterum decernendi erunt Patroni iuxta Decretum quod sequitur.

Decretum super electione Sanctorum in Patronos, à sacra Rituum Congregatione de ordine S. D. N. Vrbani Papa V I I I. emanatum die 23. Martij 1630.

Sacra Rituum Congregatio, anno nuenienti sanctissimo D. N. in electione Patronorum mandauit infra scripta in posterum seruari debere, declarans, quod aliter facta electio nulla sit ipso iure.

Primo, quod eligi possint in Patronos iij solūm, qui ab Ecclesia universalis titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati dumtaxat.

Secundò, quod de Patrono ciuitatis electio fieri debeat per secreta suffragia à populo, mediante Consilio generali illius ciuitatis, vel loci, non autem ab Officialibus solūm; & quod accedere debeat consensus Episcopi & Cleri illius loci.

Idemque seruari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat per secreta suffragia à populo singularum ciuitatum Provinciæ.

Et quod repræsentantibus Regnum, ciuitatem, Provinciam, nulla competit facultas eligendi Patronos, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, & ulterius interueniat consensus Episcopi & Cleri dictarum ciuitatum.

Et Tertiò, quod causæ electionis nouorum Patronorum debeant in sacra Congregatione deduci, & ab ea examinari, ac demum causa cognita, ab eadem Congregatione approbari, & confirmari.

Etne præmissorum ignorantia villosumquam tempore possit allegari, eadem sacra Rituum Congregatio supradictum Decretum imprimi & publicari mandauit.

Io. Bapt. Card. Detus.

Loco + Sigilli.

T. Tegrimius Sec.

Ratio Decreti est. & primæ quidem conditionis est, quia Beatificati non possunt esse Titulares Ecclesiæ, quarum ædificatio conceditur in honorem Canonizatorum tantum in Bulla Canonizationis; non ergo Patroni esse debent, quorum gradus est nobilior quam Titularium. Neque Beatificatis dari solet à sacra Congregatione Rituum aliud Offi-

F 3 cium

cium quām Duplex maius per annum, Patronis autem Duplex primā classis. Decretum tamen comprehendit etiam Patronos minus principales, quos decet esse Sanctos vniuersales.

Alterius conditionis ratio est: quia primō populus debet eligere ob beneficia à Sancto accepta; deinde Clerus debet consentire, ut postea collatur cum Officio debito & Missa.

Tertiæ conditionis est ratio: quia sæpenumerò sine causa, arbitrio Principum, vel arte aliorum, minus legitima extorquentur vota Consiliariorum & Episcoporum; Romæ verò censura est liberior, & ob auctoritatem Sedis Apostolicæ securior, & sanctior.

3 Dantur Patroni vnius ciuitatis, & Patroni vnius Provinciæ, ut Mediolanensis Provinciæ, decreto Provinciali Patronus est Sanctus Ambrosius. Dantur etiam plures Patroni loci, ex Rubric. de Officio Duplici numero 1. vbi habentur hæc verba: *In Festo Patroni vnius vel plurium aliorum loci.* è quibus unus esse debet principalis, ex Rubric. de Octau. nu. 1. alij minus principales. Titulus autem Ecclesiæ vnius materialis solet esse unicus; sed tamen potest etiam esse plurimum Sanctorum, vt apud nos Romæ Ecclesia SS. Blasij & Caroli, in qua duo Festæ celebrantur; vel plurimum sub eodem Festo, vt SS. Colmae & Damiani, & similia.

4 Tam de Patrono principali quām de Titulari Ecclesiæ fit Officium, vt de Duplici primæ classis, vt in Rubrica de Commemoration. num. 3. Item fit Octaua de vtroque, in Rubrica de Octauis num. 1. & quæcumque supra dedimus Duplici primæ classi, &

Octauis, eadem concedenda sunt Patrono principali loci in loco suo, & Titulari in Ecclesia sua. Eadem enim est ratio solemnitatis in utrisque.

5 At quinam tenentur ad Festum & Officium de principali loci Patrono? Sacra Rituum Congregatio decrevit sæpius, Regulares etiam teneri ad Festum de Patrono loci, & Officium solempne, iuxta Bullam Gregorij X I I. die 30. Decembri 1573. non tamen teneri ad Octauam eiusdem: quod nouo Decreto firmatum est à S. Rituum Congregatione die 27. Martij 1628. & illud quidem decretum est, ut populus, qui in eo Festo ad Regularium Ecclesiæ accedit, Missas & Officia diuina auditurus, ad pietatem erga Patronum suum non minus accendatur, quām si ad Ecclesiæ confluat Cathedram. Octaua verò satis est, si fiat à Clero seculari illius loci: neque cogendi sunt Regulares, occupati etiam proprijs Religionis Officijs, ad omnia Cleri secularis Officia recitanda.

6 Si Patroni plures seu Titulares conceduntur, ut lvprà numero 2. eritie eorumdem æquale Festum, hoc est primæ classis cum Octaua? Officium quidem singulorum Duplex erit, vt dicitur in Rubrica de Officio Duplici numero 1. sed Octaua non conceditur, ex Rubricis Breuiarij de Octauis numero 1. nisi Festo principalis Patroni, & principalis item Titularis Ecclesiæ, imò neque primæ classis Festum erit, nisi sit solempne principale Festum principalis Patroni, aut Titulari Ecclesiæ, vt aperte in Rubrica de Commemorat. num. 3. & 4. quale non est Patroni Translatio, nec Festa similia.

7. Neque

7 Neque de his Patronis minùs principalibus tenentur Regulares Officium recitare, si non sunt in Calendario Romano, quos nulla lex obligat: laudabile tamen est, si recitent in gratiam populorum, ut paulò suprà diximus; & eò magis, si populus agat Festum sine opere seruili. Officium autem erit Duplex maius per annum, ex Rubrica de *Contra. num. 2. in fine.* quod addidimus ante Tabellas in postrema recognitio-ne Breuiarij.

8 Quid, si accidat, quod in Cathedrali fiat de Patrono loci absque Octaua, veluti Mediolani de S. Ambrosio, cuius Festum ritu Ambrosiano non habet Octauam; an subditi Archiepiscopo Mediolanensi, secundum ritum Romanum Horas Canonicas recitatuī, teneantur ad Octauam sancti Ambrosij celebrandam? Negant aliqui, quia satis est, ut membra à capite non discordent. Affirmant alii, quia tenentur ad seruandas Breuiarij Romani Rubricas; quibus ego magis assentior in gratiam Rubricarum Romanarum. Nostrī Ordinis Patres celebrant ibidem sancti Ambrosij Octauam, etiam ex vi nostratum Constitutionum, quæ l. 2. cap. 5. id præcipiunt ubique fieri in Feste Patroni loci.

9 Ceterū Patroni seu Tituli Festum licet excludatur, si incidat infra Octauas Paschæ & Pentecostes, & in Hebdomada maiori; locum tamen habet infra Octauas Epiphaniæ, quæ Duplicita alia Festa excludit.

10 In die Octaua Epiphaniæ, si incidat Patronus vel Titularis Ecclesiæ in eam diem, transfertur Festum Patroni; & eodem modo si in Dominica prima Aduentus & Qua-

dragesimæ, Dominica Passionis, Palmarum, Paschæ, in Albis, Pentecostes & Trinitatis: in quibus mysteria Redemptionis nostræ à populo quoque sunt magis celebranda, licet quædam ex prædictis Festis sint classis secundæ. Idem fiat, si incidat in Vigiliam Nativitatis Domini & Pentecostes, in die Circumcisio-nis, in Feria quarta Cinerum, ut scilicet transferatur.

11 Tanta est solemnitas Patroni principalis loci, ut, si incidat in Vigiliam, quæ sit in Calendario cum ieiunio de præcepto, nihil in Officio fiat de Vigilia, quæ mœstiam infert; in mensa tamen ieiunandam erit, nisi transferatur in præcedentem diem ieiunium ipsum auctoritate Maiorum. de qua suprà *cap. 7. num. 5. pag. 28.*

12 Habet integras vtrasque Vespertas, nisi concurrat cum Festis Christi primæ classis, aut B. Virginis assumptæ, aut Dedicationis propriæ Ecclesiæ, ex ijs quæ diximus suprà *cap. 8. num. 7. & cap. 9. num. 3. ad eō,* ut eidem cedant in concursu tum secundæ Vesperæ diei Octauæ Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, & Corporis Christi; tum primæ Vesperæ diei Octauæ Ascensionis & Corporis Christi, ut in *Notis dicitur Tabella 2. de Concurrentia.*

13 Debentur eidem Lectiones in primo Nocturno, quæ habentur in Communi, non autem de Scriptura occurrente, ad maiorem celebritatem, ut dicitur in Rubricis *cap. de Lectionibus num. 9.*

14 Lectiones secundi & tertij Nocturni, si non adhuc propriæ in Breuiario, neque extra Breuiarium approbatæ à sancta Sede Apostoli-

ca

ca, sumantur de Communi, & de Octauario Romano in hanc præcipue causam edito. nam in Officio nihil legendum est, quod ab eadem Sede Apostolica non sit approbatum, vt fusè probat ex *Gelasio Papa Radulphus Propos. 11. & Sixtus V. Cōst. 74.* concedens varias facultates S. Rituum Congregationi, Officia SS. Patronorum noluit approbari posse, inconsulto ipsomet Summo Pontifice. Approbata verò pro tertio loco negavit sacerdos S. Congregatio, extendi posse ad alia loca non consulta eadem Congregatione; quæ iustis de causis alicui loco concedit, alicui negat.

15 Quæritur de Titulo Altaris, seu Capellæ, quo ritu sit celebrandus. constat ex Rubrica de *Commemoratiōnibus num. 3.* non esse celebrandum vt Duplex primæ classis; reliquum est igitur, vt celebretur prout in Calendario Romano describitur: in quo si neque nominatur, ad illud Altare celebrari poterunt Missæ Festiuæ, cum Hymno Angelico, vt alibi diximus; sed Officium nullatenus fiat sine licentia Majorum, ad quos attinet Officia mutare. qua de re diximus *Sect. 1. cap. 5. tit. 2. num. 9. pag. 7.*

16 Si Altare titulus est beneficij, Beneficiatus adhuc non debet Officium recitare de eo vt de Festo primæ classis, neque alio ritu quam in Calendario sit descriptus; &c., eo ibidem non descripto, non video, qua ratione propria auctoritate possit de eo recitare Officium.

17 Si verò Titulus est Ecclesiæ diutæ ad illud Altare translata; ille, qui emolumenta prædictæ Ecclesiæ percipit, æquum est, vt recitet Officium de eo in eius Festo, ne depereat cultus illius Titularis Ecclesiæ; &

ritus erit Semiduplex, nisi dignitas eiusdem aliud exposcat. exemplo sumpto à Vaticana Collegiata S. Petri, quæ celebrat Festum sancti Blasij Semiduplex, ob Ecclesiam eiusdem Sancti cum emolumentis vnitam Collegio Canonicorum S. Petri: sed in his casibus consulatur sacra Rituum Congregatio. Vide quæ diximus *Sect. 2. c. 2. num. 26. pag. 16.*

18 Ceterum Beneficiatus quilibet habens Ecclesiam, quæ est Titulus beneficij, licet apud eam non residat, debet tamen Festum eiusdem colere vt primæ classis, & cum Octaua celebrare; quia Festum Tituli est Ecclesiæ.

19 Sed vtrum cultus Titularis aliquius Ecclesiæ possit & debeat extendi ad alios de Clero extra propriam Ecclesiam, ita vt debeat omnes, tam in ciuitate quam in Diœcesi, celebrare Festum particularis Ecclesiæ ritu Semiduplici, negauimus suprà *cap. 3. num. 5. pag. 22.*

20 Dies Octaua Patroni loci accedit alicubi in Festo Duplici, quod ibi est in præcepto, vnde populus magis optat audire Missas de Festo quam de die Octaua, vt in vrbe Regij ditionis Estensis, in qua Octaua dies S. Prospere occurrit in Festo Visitationis B. Virginis, quod ibi est de præcepto: quid ergo erit agendum? Sacra Rituum Congregatio approbans Officia pro Clero Regiensi, decreuit fieri Officium de Festo cum commemorat Octauæ; alias transferre Festum, vt de Octauis diximus *cap. 8. num. 12. pag. 31.* Si neget alij, potest Episcopus transferre Festum de præcepto in sequentem diem, si ab eo penderet.

21 An verò possit dies Octaua Patroni loci appellari maius Duplex, vt habeat

habeat integras Vespertas ; negauimus
suprà cap. 8. num. 23. pag. 33.

22 Quomodo separandus sit Patronus à socijs quos habet in Calendario ; & quo ritu sit de socijs Officium faciendum, ostendimus suprà cap. 10.
num. 11. & seqq. pag. 37.

23 In Vigilia Patroni, quæ habet Officium in Calendario, erit ea die omittenda commemoratione de Patrono, quæ solet fieri inter Suffragia , ne de eodem fiat Officium & commemoratione : quæ est indubitate regula in Officio diuino. Vide infrà Secl. 5. cap. 18.

24 Quæ diximus de Patrono principali loci, eadem conueniunt Fundatori & Patrono Ordinis in toto Ordoine post solemnem Canonizationem eiusdem.

25 Negamus autem illud , quod non-nemo scripsit, nimirum, quod infra Octauam Patroni , seu Tituli , seu Dedicationis propriæ Ecclesiæ , debeat fieri commemoratione de Octaua , quo cumque adueniente Festo : quia gratis dicitur , & est priuilegium Octavarum Nativitatis , Epiphaniæ & Corporis Christi tantum.

S E C T I O Q V A R T A.

De proprio ritu singularum Horarum Canonicarum.

Post Regulas generales totius Officij, veniendum est ad Regulas singularum Officij partium, hoc est Horarum, quo ritu quæque sit recitanda.

SECTIONIS QVARTÆ CAPITA SEX.

1 *De Matutino.*

2 *De Laudibus.*

3 *De Prima.*

4 *De Horis, Tertia, Sexta, & Nona.*

5 *De Vesperis.*

6 *De Completorio.*

De Matutino.

C A P . I.

Matutinum est vox antiqua, in Conc. Cabilon. II. Deducitur à Matuta , id est aurora. Sunt autem apud Auctores hæc synonyma pro eodem , Nocturni , Vigiliæ nocturnæ & Matuti-

num , de quo hæc loquimur , ut est à Laudibus distinctum ; nam alioquin suprà diximus Secl. 1. cap. 3. pag. 2. constituere unam horam cum Laudibus. S. Isidorus 6. *Etymol. cap. vlt.* deducit Matutinum à stella matutina lucifero , quæ oritur inchoante manè inter noctem & diem ; ut hinc edicas, si media nocte cum antiquioribus il-

G lud

50 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. IV. Cap. I.

Iud non recites, in aurora saltem recites. Sed de tempore Matutini recitandi vide supra Sect. I. cap. 5. tit. 6. pag. 9. A dijs manibus, qui restituunt lucem, dici Matutinum, scripsit *Auctor Gemma anima lib. 2. cap. 31.* sed quid luci ad tenebras? omittamus profana.

2 Primus vsus Matutini Officij in Bethlehem fuit, ex Cassiano cit. à S. Isid. lib. 1. de Eccles. Off. cap. 23. nisi de Officio Primæ sit ille explicandus, vt putat verius *Francol. 1. par. cap. 14.* congrueret autem, si illud verum esset, vt à loco Nativitatis Christi exordium sumisset Ecclesia laudum Dei. ibi enim Angeli cecinere Deo, & Pastores laudantes benedixerunt Dominum.

3 Ordo Matutini per se patet in Rubrica de Matutino cap. 13. de cuius partibus, ex quibus componitur, dicemus Sectione sequenti.

4 Forma ipsa Matutini vestigium habet non obscurum apud Apostolum 1. Cor. 4. vt notat Baronius anno 57. ait enim: *Cum conuenitis, unusquisque vestrum Psalmum habet, doctrinam, Apocalypsim, linguam, interpretationem.* Et verè in Matutino habemus Psalmos, Lectiones pro doctrina, Responsoria pro Apocalypsi, id est reuelatione, Euangelium pro lingua, Homiliam pro interpretatione: illi voce hæc habebant, voce primorum discipulorum, nos scripto sacerorum Auctorum, & SS. Patrum. Addit ibidem Paulus: *Spiritus Prophetarum subiectus fit Prophetis.* quo quid aliud significatur quam ritus ille Matutini, quo Lector petit benedictionem à maiore, cui se subiicit, antequam legit? *Hec Baronius.*

5 Nouem Psalmi in Duplicibus &

Semiduplicibus dicuntur, ex Amal. lib. 4. cap. 35. in Dominicis decem & octo, ex eodem cap. 9. vbi & distinguit primos duodecim inter quaternos, vt hodie fit; & dicebantur cum Gloria Patri in fine singulorum, non apud omnes, vt hodie, Dur. in Rat. lib. 5. cap. 3. In Ferijs & Festis Simplicibus Nocturnum dicitur duodecim Psalmorum. Gregorius VII. de Consecr. Dist. 5. In die. iubet ex antiquo more duodecim Psalmos & Lectiones tres quotidie dici, exceptis Festis.

6 Antiphonæ in Festis dicuntur novem; in Ferijs & Simplicibus sex; tempore Paschali in Festis tres, una pro quolibet nocturno; in Ferijs una, communis duodecim Psalmis.

7 Absolutiones, Benedictiones, Lectiones, Responsoria, plura in Festis, pauciora in Ferijs, & Hymnus Te Deum, in Sectione sequenti suis locis enodabuntur. Mystica nunc dicamus.

8 Initio sumpto ab Oratione Dominica, à Salutatione B. Mariæ Angelica, & à professione fidei ab Apostolis tradita, clara voce petitur apertio labiorum & diuinum adiutorium cum signo Crucis aptissimo ante omnem actum, & cum Gloria sanctissimæ Trinitatis & unitatis laude per Alleluia, Dur. loc. cit. Inuitantur omnes ad diuinas laudes; quarum prima cum ubi per Hymnum canitur, ad fugandum noctis torporem, ait Hugo lib. 2. de Off. cap. 8.

9 Adduntur nocturni tres in Festis ad ratam primarum trium noctis vigilarum, quas antiqui obserabant, ex Hieron. Epist. 22. ad Eustochium, ijs verbis, noctibus bis terte surgendum: quidquid neget Azor. cap. 2. quest. 2. non reperi, quod antiquitus

tus distinctis horis noctis Nocturni cantarentur; & affirmant tamen multi ab eodem citati, Amalarius de Ord. Antiphonarij, & Isid. lib. 1. de Off. Eccles. cap. 19. Laudes autem quartæ Vigiliae reseruabantur. Hodie non dividuntur Nocturni, stante consuetudine vim legis habente: & significatur una Ecclesia iustorum omnium, eorum qui ante legem, sub lege, post legem, ex Amal. lib. 4. cap. 9. ideoque in tertio Nocturno legitur Euangelium tempori gratiae congruum, inquit Gemma lib. 2. cap. 14.

10 Nouem autem Psalmis gratias agimus Deo de descensu eiusdem propter nos, & ad nos sub nouem Choris Angelorum, in Festis nimirum Domini: at in Festis Sanctorum, eò quod digni facti sunt illi ascendere usque ad altitudinem cœli, in quo habitant ijdem Chori Angelici. Hec Amal. fusè de Ordine Antiph. Vel ter tria cantamus cum Angelis, ait Dur. loco cit.

11 Decem & octo Psalmi Dominicales ita distribuuntur, ut primi duodecim per quaternos diuisi significant Patriarchatum duodecim & Apostolorum totidem cultum erga S. Trinitatem, per quatuor virtutes Cardinales, Amal. loco cit. Reliqui tres in secundo & tertio Nocturno significant electos sub lege, & sub gratia, cum eodem cultu S. Trinitatis, idem ibidem.

12 Duodecim vero Psalmi feriales ea ratione sunt constituti, quia duodecim sunt horæ noctis, & cuilibet horæ Psalmus respondet, Amal. cap. 11. qui dicuntur bipi ad charitatem excitandam, ex Hugon. Vict. Spec. Eccles. cap. 3.

13 Verius, quo vertimur ad Deum, renouat intentionem debitam in Of-

ficio, Amal. loco cit. Oratioque Dominica dicitur, ut postulemus à Deo sapientiam & intellectum doctrinæ, ut docuit ex Iacobo cap. 1. Dur. lib. 5. c. 2. altè recitato Versu, Et ne nos, &c. & communiter (reliquum secretū, & singillatim) propter Sanctorum Communionem, inquit Hugo Spec. cap. 3. & eadem de causa fit Absolutio, ut sumus capaciores doctrinæ salutaris.

14 Lectiones namque doctrinam continent: quæ ternæ sunt, in honorem Trinitatis, à qua docemur, Hugo 2. de Offic. cap. 9. in Festis nouem eæ sunt, quæ ex Amal. loco cit. coniungunt nos doctrinæ & conuersationi nouem ordinum Angelorum; sicut & gaudijs ipsorum coniungunt nos nouem quæ sequuntur Responsoria, idem. Vel Responsoria post doctrinam excitant nos ad opera, vnde ad ea sumimus, idem de Ord. Antiph. c. 1. & 4.

15 Et quia tempore gratiae lætitiae locus est magis quam in alijs statibus ante legem, & sub lege, ideo in fine tertij Nocturni, si dicendus est, cantatur Hymnus Te Deum. Fusiùs Hugo Victorin. Spec. Eccles. loco citato. & singillatim hæc habes infra Sectione seq.

De Laudibus.

C A P . I I .

LAudes dictæ sunt, ex Hug. lib. 2. de Off. cap. 10. eò quod laudem apertè sonant diuinam. quod repetit in Spec. Eccles. c. 3. Matutinale Officium appellantur ab Amalar. lib. 4. cap. 10. Matutinum quoque dicuntur in Rubrica de Precibis num. 5. quia sunt pars Matutini Officij, & ideo non finitur Matutinum separatum à Laudibus cum

G 2 Oratione,

52 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. IV. Cap. II.

Oratione, neque cum *Benedicamus Domino*, vt notauit Hugo lib. 2. de Off. cap. 2. & 9. Amalar. autem in Prologo de Ord. *Antiph.* testatur de consuetudine Romana, quod Laudes Matutino statim iungantur.

2 Obijcies, initium sumi à *Deus in adiutorium*, quod est initium Horarum singularum; ergo est Hora à Nocturnis distincta. Respondeo, nihil obesse; sed initium illud datum esse, vt possit ex causa diuidi Matutinum à Laudibus.

3 Quæritur inter Auctores de Rribus, an *Hymnus Te Deum laudamus* sit finis Nocturnorum, an verò initium Laudum. Innoc. I II. de Celebrat. *Miss. cap. Consilium*, videtur sentire, quod ad Laudes spectet Matutinas. Opinio communior, Microl. cap. 34. & Hug. Spec. Eccl. cap. 3. & ex praxi in nocte Natalis Domini, *Hymnum Te Deum* esse finem Matutini. Innocentius autem pro Laudibus Matutinis intelligit totum Matutinum ex Nocturnis & Laudibus conflatum, vt ait Nau. de Orat. cap. 3. num. 64. Quare, si diuidas à Nocturnis Laudes, hic erit ritus, vt termines Nocturnos cum Oratione post *Te Deum*, & cum *Benedicamus Domino*, absque commemorationibus, & submissa voce Orationem addas Dominicam; incipias deinde Laudes à *Deus in adiutorium*. ita Francolinus par. 1. cap. 27. num. 18. cum Nauar. loco cit. & ita fit in Natali Domini.

4 Quærunt item, An diuidenti Laudes à Nocturnis, præmittendum sit ante Laudes *Pater noster* cum *Ave Maria*. Affirmat Nauar. loco citato, quia putat esse octo Horas, & Laudes esse distinctam horam. Francolinus cap. 28. num. 2. licet sentiat, esse tan-

tum septem Horas; consentit tamen Nauarro ob eam Rubricam Breuiarij, qua iubentur ea dici ante omnes Horas, præterquam ad Completorium. Sed hæc ratio est contra ipsum Francolinum, qui non distinguit Laudes vt horam ab alijs; non ergo necesse. Et in nocte Nativitatis Domini nihil dicere iubemur, sed absolutè Laudes incipimus, vt indicatur in Breuiario in proprio loco. Posset tamen responderi adhuc, quod hæc Laudes vniuntur Missæ; & idèo libenter sequor Auctores prædictos.

5 Ordo Laudum patet in sua Rubrica: sunt enim pares Vesperis, ex Concil. Bracaren. *Dif. 12. cap. ultimo*, & Agathen. de *Consec. Dif. 5. Conuenit. in utrisq; Psalmi quinque, Capi- tulum, Hymnus, Canticum Euangeli- cum, Oratio, Commemor.* Differunt ab alijs Horis minoribus in pluralitate precum; quia manè & Vespere holocaustum offerebatur à Iudeis; cui successere apud nos holocausta Matutinarum Laudum & Vespertinarum, ex Ruper. lib. 1. cap. 6. & cùm aliæ minores Horæ septem quasi partibus constent, vt notauimus ex eodem Ruper. *Sect. 1. cap. 3. numero 6. Vesperæ & Laudes, addito Cantico, constant ex partibus octo, quæ ad beatitudinem spectant, idem loco cit.*

6 *Deus in adiutorium*, &c. meminit hoc loco Amal. in Prologo de Ord. *Antiph.* Psalmi quinque ex eodem sunt, ad munendos quinque corporis sensus, ait Hugo in *Specul. Eccl. c. 3.* qui norat prætereà, eos esse octo vere, ad significandos octo ordines electorum; sed dicuntur quinque, quia tertius & quartus sub una conclusione terminantur, ad denotandum, ex Amalar. de Ord. *Antiph. cap. 5. gemi- nam*

nam dilectionem, Dei & proximi; vel, ex eodem lib. 4. de Diu. Offic. cap. 10. vñionem Ecclesiæ ex Iudæis & Gentibus. tertius autem est in vsu matutino, ex Constit. Apost. lib. 2. cap. 63. sextus item, septimus & octauus vñnam habent conclusionem, ad signandum, ex Amalar. loco cit. cap. 2. Fidem, Spem & Charitatem vñitas & iunctas erga Deum (inquit cap. 5.) trinum & vnum; vel significant, ex eodem lib. 4. de Off. cap. 10. vñionem Ecclesiæ ex Asia, Africa & Europa ad diuinæ laudes; *omnis enim spiritus laudet Dominum*, dicitur in eorum fine. Vnde factum est, vt hi Psalmi quotidie dicantur in Laudibus, neque vñquam omittantur, ex eodem Amalar. cap. 12.

7 Dixi, *Psalmos esse quinque*: nam licet quartus sit propriè Canticum, abusuè Psalmus appellatur; & suo loco videbimus parum differre Canticum à Psalnio.

8 Dicuntur autem semper in Festis ijdem & in Ferijs Paschalibus, ex Micerol. cap. 54. quia resonant lætitiam & resurrectionem gloriosam in octonario eorum numero. In Festis quoque trium Lectionum eosdem dici, tradit Radulph. Propos. 10.

9 Duo ex his mutantur in Dominicis à Septuagesima vñque ad Dominicam Palmarum inclusiuè; vice quorum dicimus Psalmos *Miserere* & *Confitemini*, ad timorem & spem cōtempore excitandam; timorem, ob peccata in primo; spem, ex bonitate Dei in altero. Hæc Amal. lib. 4. de Off. cap. 18. & quia non est tempus lætitiae, quam exprimunt ij duo Psalmi, *Dominus regnabit & Iubilate*. Sed dices: Cur deinde dicitur alter eorum in Prima? Respondeo, Ne in tota

Hebdomada feriali omittatur Psalmus vñllus de Psalterio: alter autem locum habet in Nocturno Sabbati. & hæc ad litteram.

10 In feriali Officio per annum primus Psalmus est poenitentialis, *Miserere*, quia dies feriales sunt poenitentiae, inquit Hugo 2. de Offic. c. 10. secundus variatur, vt expleatur Psalterium: sed in qualibet Feria reperties in secundo Psalmo mentionem fieri matutini temporis, vt videantur magis proprij ad rem; & ideo eo loco sunt positi, vt notat Amalarius de Ordine Antiphonarij capite 5. nam dicimus in Feria secunda, *Mane exaudies vocem meam*; Feria tercia, *Emitte lucem tuam*; Feria quarta, *Exitus Matutini*; Feria quinta, *Mane sicut herba*, & *Repleti sumus mane*, Feria sexta, *Audiam fac mihi mane*; Sabbato, *Ad annuntianendum mane misericordiam tuam*: sed præterea titulus huius Psalmi est, *In die Sabbati*.

11 Cantica vero fuere distributa per Hebdomadam, ita vt in Dominicis & Festis, *Trium puerorum*, quod est nobilius, cantaretur; in Sabbato Canticum Moysis in fine vitæ ab eodem compositum, & prope Terram promissionis, id est quietis, significatae in Sabbato, qua de re Beda lib. 2. tract in *Lucam*. Alia Cantica non sine mysterijs fuere alijs diebus assignata; satis tamen ad libitum ea, Durando explicante lib. 5. cap. 4. desumpta ad verbum explicatione ab Amalar. lib. 4. de Off. cap. 12. & seqq. Certè illud Feriæ textæ, vbi legitur, *Cornua in manibus eius*, de Cruce inteligitur, & quadrat Feriæ sextæ, ex Gemma lib. 2. cap. 53. Plura de Canticis Seccl. sequenti.

12 De Antiphonis Capitulo, Hymno, Versu, Antiph. Cantici, Cantico, & Orat. infra suis locis. Hymni non meminit Amalar. meminit Hugo in Spec. Ecclef. cap. 3. ad excitandam mentem pro intelligentia proximi Cantici Euangelici, inquit idem lib. 2. de Off. cap. 8. Versus dicitur ante Canticum, ut magis attenui simus ad verba Cantici, Amalar. lib. 4. cap. 45. vel, ut excitemur ad credendum ea quæ promittuntur in Cantico, Dur. lib. 5. cap. 4.

13 Cur autem primo loco Canticum *Benedictus* in Officio dicitur, cum non fuerit in Euangeliō Canticum primum? An quia à Vesperis inchoatur Officium, in quibus primum cantatur Canticum? An quia, ut ait Duran. *loco cit.* Zacharias loquitur cum Ioanne, qui est Aurora ante Christum Solem? & in aurora quidem Laudes dicuntur magis congruè. An quia de lumine fit mentio, *Illuminare his*, &c. quod est Matutinæ horæ proprium? De Oratione post Canticum omnes meminere Auctores. De Precibus, Suffragijs, Fine, Antiphonis finalibus in suis Capitibus Sectione sequenti cum reliquis agemus.

De Prima.

CAP. III.

Primæ vocabulum ad rem nostram usurpatum in Regula sancti Benedicti cap. 16. & in Conc. Cabilonensi II. Res ipsa est antiquior, tempore Cassiani expressè cœpta, de quaipse lib. 3. *Instit. monast.* cap. 4. cuius vestigium potius, quam res ipsa tota, videtur haberi apud Athanas. lib. de Virginit. Sol,

inquit, exoriens videat librum in manu tua, id est Psalterium; & loquitur de prece post Laudes, quæ ante Solis ortum complebantur. Volunt, S. Clementem loqui de Prima, cùm ait lib. 8. *Constit. cap. 34.* Precationes facite manè, Turrianus ibi, & Durand. l. 3. de Ritib. cap. 7. & Suar. lib. 4. de Horis Can. cap. 5. num. 8. Negant Radulph. *Proposit. 14.* qui expressè docet, Primam & Completorium non ante Cassianum fuisse, & Francolinus l. par. capite 14. num. 6.

2 Quidquid sit de origine, affines horæ sunt Prima & Completorium, sicuti Laudes & Vesperæ; nam v-trobiique Confessio. Quatuor Psalmi, Hymnus, Capitulum & Responsorium immobiliter dicuntur: Canticum quoque Simeonis est immobile, cui responderet Symbolum sancti Athanasij in Dominicis immobile. Quæ omnia apta sunt initio diei & noctis, ut armemur contra hostes diurnos & nocturnos, ex Radulph. *loco cit.* Praclarè Ambrosius Ser. 43. & in Hexaëm. lib. 5. cap. 12. de auibus loquens ait: *Quis sensum hominis gerens, non erubescat sine Psalmorum celebritate diem claudere & adoriri;* cùm etiam aues suavi modulatione & dulci carmine ortus dierum ac noctium prosequantur? Hæc de Prima & Completorio simul.

3 Post ortum Solis Prima congruentius recitatur; tum ex origine apud Cassianum expressè; tum ex Hymno, *Iam lucis orto fidere;* tum ex Auctoriibus pluribus citatis à Francol. cap. 15. num. 14. Primo, ut sicut oibus, quæ noctu custodiuntur in ouilibus inclusæ, manè ad pascha exeuntibus adeat opilio, qui eas dirigat, ducat, defendat à lupis; ita nobis primo diluculo

diluculo surgentibus, Sole oriente, adsit Dominus verus Pastor, Amalar. lib. 3. cap. 2. Deinde, ut ipso Solis ortu Solem iustitiae nobis orientem postulemus, Raban. 2. Instit. cap. 3. Denique ex Ruper. lib. 3. cap. 3. de Diuin. Offic. prima hora diei quærendum primùm est regnum Dei; & pri-
ma cogitationes Clericorum, tamquam quædam lucis primitiæ, Deo sunt offerendæ.

4 Ordo *Prima* pater in Rubricis. Apud Scriptores de diuinis Officijs sola mentio fit ante omnes Horas de Oratione Dominicæ, de qua etiam Breu. M. S. antiquiss. de Symbolo quoque Apostolorum apud Polyd. Virgil. de Inuent. rer. l. 6. cap. 2. Intitum à *Deus in adiutorium* habetur ex Amal. lib. 3. cap. 2. cum *Gloria Patri*. de Hymno Amalar. non meminit, sed Hugo meminit in Spec. Ecol. cap. 3. Antiphonam nemo notat nisi Radul. Prop. 14. qui vnam & solam Antiphonam singulis Horis tribuit.

5 Psalmi in Dominicis quatuor, Gemma an. lib. 2. cap. 58. in Ferijs totidem, ex Durando lib. 5. Rat. cap. 5. Additi sunt alij, qui secundo loco ponantur; qui idem dicebantur omnes ante Pium V. in Dominicis, ex Breu. M. S. & impressis: nunc distributi sunt per Ferias, tamquam Psalmi olim assignati *Prima*: tum verò etiam ne de Psalterio quidquam supersit. Et in Dominicæ quidem dicitur Psalmus *Confitemini*, quia in eo habetur Versus, qui est de Resurrectione Domini, quam significat dies Dominicæ: *Hac dies, quam fecit Dominus, &c.* Psalmus assignatus Feriæ 2. habet pro titulo, *Prima Sabbati*. quare & conuenit dici saltem prope Dominicæ. Fortè etiam Psalmus Feriæ 5. datus est, in

quo agitur de mensa, refectione, pa-
scuis; quia significant Eucharistiam Feria 5. institutam. Psalmus aurem Feriæ 6. totus est de Passione Domini. Cùm autem nullus supersit Psalmus qui assignari queat Sabbato, in quo etiam sèpiùs fit de B. Virgine, idèo Sabbato quatuor Psalmi numquam dicuntur. Quaternarius hic Psalmorum numerus denotat, quòd in quatuor mundi partibus doctrina quatuor Euangelistarum laudatur, Dur. loco cit. Vnde statim.

6 Subditur Symbolum S. Athana-
sij; quia doctrinæ Euangelicæ, quam
significant quatuor Psalmi, funda-
mentum est Fides, idem loco cit. qui &
addit, initio diei idèo recitari, quia Fi-
des est initium salutis. Plura de hoc
Symbolo in proprio capite.

7 Verum in Festis Psalmi tres di-
cuntur tantum, Radulph. Prop. 10. vi
etiam toto tempore Paschali, ob tem-
poris, inquit, iucunditatem, quæ la-
borem multa canendi excludit. Amal.
autem lib. 3. cap. 2. tress idèo dici pu-
tatur, quia pro tribus horis, à Prima
ad Tertiam, laudandus est Deus tri-
nus, & armandi sumus contra tres ho-
stes. Hugo in Spec. cap. 3. quinque-
narium numerum in tribus Psalmis
obseruat, ad munierdos quinque sen-
sus; Gemma lib. 2. cap. 58. ad quin-
quepartitam per Christi Vulnera pa-
ssionem initio diei recolendam. Expli-
cat Durandus Hugonem loco citato,
quòd diuiduntur duo Psalmi, *Beati*
immaculati, & *Reuiribue*, in quatuor
octonarios, qui sunt veluti quatuor
Psalmi; & in Hebreo textu apparet
hæc in quatuor partes distinctio. Pri-
mus Psalmus, *Deus in nomine tuo, &c.*
dicitur pro toto itinere & cursu diei
contra hostes aptissimus; & Psalmus,

Beati

Beati immaculati, plenus est morali instru^tione. Hæc fuisse Amalar. de Ordin. Antiph. cap. 6.

8 De Capitulo, quod Amalarus omittit scribere, scribit Hugo libro 2. cap. 1. & Lectioem vocat. De Responsorio brevi, de quo idem Hugo, nihil Amalarius: de Oratione, cuius Hugo meminit: de Precibus, quas Amalar. innuit: de Confessione, de qua Gemma lib. 2. cap. 64. de Martyrologio, de quo Gemma libro 2. cap. 58. de Pretiosa, cum reliquis usque ad finem, de quibus Hugo 2. de Offic. cap. 2. & Radulph. Propos. 14. distinctius & pleniū Sectione sequenti differemus.

9 Illud hoc loco notandum est, Orationem illam, *Sancta Maria, & omnes Sancti, &c.* esse antiquissimam, & in Ordine Romano legi: ter quoque dici, *Deus in adiutorium*, ut praesentia & præterita deleamus, & futura peccata caueamus, Hugo loco citato: vel, ut armemur contra diabolum, mundum & carnem in nomine Trinitatis, Durandus lib. 5. cap. 5. Nullum tamen ad hæc verba, *Deus in adiutorium*, formatur Crucis signum.

10 Absolutio item Capituli cum Lectio & Capitulo Nonæ sèpiùs concluditur; quia prædicta, quæ extra Primam existimantur esse, dicuntur à Regularibus in Capitulo, ex Gemma lib. 2. cap. 58. & ad Lectio nem communem post Horam Primam conueniebant Monachi, ex Amalar. de Ordine Antiph. cap. 7. Vice cuius legitur hodie (& hoc nomine vocatur in Breuiario) Lectio brevis. Idem Amalarius lib. 4. de Offic. cap. 3. putauit, additam fuisse in fine Lectioem hanc breuem pro Ca-

pitulo, quod post Psalmos Primæ non legebant antiqui.

11 Sed cur, quando Lectio brevis non habetur propria, sumenda est de Capitulo Nonæ? An, quia Capitulum Nonæ in Festis solet esse finis Epistolæ quæ legitur in Missa? ut scilicet finis Epistolæ finem imponat Primæ Horæ.

12 Denique Prima & Completorum non variantur, sicut aliae Horæ, in quibus Capitula, Responsoria, Versus, Oratio variantur; quia principium & finis operum nostrorum firmiter sunt tribuenda Deo, ait Hugo lib. 2. de Off. cap. 1.

De Horis, Tertia, Sexta, & Nona.

C A P . I V .

HÆ tres Horæ notissime fuerunt Apostolorum tempore, ad preces Deo fundendas, ut suprà docuimus Sect. 1. cap. 2. num. 1. pag. 2. insigniores erant in rebus humanis, ait Tertull. in lib. de Seuilio, & solemniores in orationibus diuinis. quod ibidem confirmat exemplo tum Danielis, qui ter orabat in die; tum Apostolorum, ut & nos loco citato diximus.

2 Præter eas, quas loco citato articulimus, rationes mysticas de his tribus Horis, possumus addere, quod hora Tertia datus fuit Spiritus sanctus, quem & nos petimus in Hymno ad Tertiam; lex noua data est Apostolis, de qua nos dicimus, *Legem pone mihi Domine, &c.* Hæc Duran. lib. 5. cap. 6. Hora Sexta Deus visus est Abraham in Valle Mambre; Joseph cum suis fratribus pransus est; Ruth Moabitis excepta est à Booz; cum Samaria

ritana

ritana Christus sermonem habuit. Hæc Anastasius Sinaita lib. Comm. in Hexaëm. 7. hora *Nona* Cornelius Angelum vidit, *Act. 10.*

3 Ordo trium Horarum minorum habetur in Rubricis, ille idem qui legitur apud Hugonem in *Spec. Eccles. cap. 3.* in quo ex Amalar. lib. 4. de *Off. cap. 3.* impletur illud Apostoli ad Ephesios: In Psalmis, Hymnis, & Canticis (quæ Cantica exponit ille esse Responsoria brevia) cantantes, &c. Psalmi verò tres, inquit idem, protegunt nos in tribus horis sequentibus: nam quælibet ex his tribus horis tres continent temporis horas, vt patet; imò, vt idem ait *cap. 1. ibidem*, in Prima, Tertia, Sexta & Nona duodecim canimus Psalmos (in Festis) pro numero duodecim Horarum diei, vt Deo præsentes sumus omnibus horis.

4 Addit Hugo *loco citato*, in Psalmis opera denotari, quia Psalterium manu sonatur; in Antiphona, quæ est reciproca, charitatem geminam: & coniungitur Psalmis, quia sine charitate nulla sunt & nullius meriti opera nostra: Capitulum autem esse exhortationem boni operis; Responsorium breve nouum opus bonum significare: in Versu ad Deum fructum boni operis contineri. & his positis, Oratione, seu Collecta in fine rectè concludit Horam.

De Vesperis.

C A P. V.

V *Espere* à sidere quod *Vesper* nominatur, & deciden- te Sole oritur, inquit Isidorus lib. 1. de *Offic. cap. 20.* Sed ex Iansenio in *Concordia cap. 57.* latius

pater vocabulum: significat enim tempus tum ante Solis occasum, vt Matth. 14. Vespere facta actum est de satiandis quinque milibus; tum post occasum Solis, vt *ibidem* additur: Vespere autem facta solus erat ibi. Lucernarium dicebatur à Hieron. in *Epist. ad Lætam*; & Lucernaris hora à Cassiano lib. 3. de *Can. cap. 3.* cō quod dum lucernæ accenderentur, preces vespertinæ persolui solebant, ait Azor. lib. 10. *cap. 2. quæst. 10.* Duodecimam appellat Concilium Turonense II. *can. 19.* quia ultima diei hora recitabantur. Durandus de *Rit. lib. 3. cap. 11.* afferit, Ecclesiam constituisse, vt post Nonam decantarentur, quod plures de populo adesse possebant. Puto ergo, quod tardiùs quam nunc cantaretur Nona.

2 Certè à primis Vesperis inchoatur Festum. quod forte à Dauide deduci potest: *Vespere*, inquit, manè & meridie narrabo, &c. *Psalm. 54.* docet Amalar. de *Ordine Antiph. cap 16.* deductum ab Hebraïs, quibus dictum est: *Festa vestra celebribitis à vespere usque ad vesperam.* Et verè magnitudo Festi exigit, vt prius incipiat, hoc est à Vesperis pridianis, & tardius terminetur, id est usque ad Completocium diei Festi, c. 2. de *Ferijs in princip.* Radulph. autem *Propos. 18.* assignat hunc ritum primarum Vesperarum Dominicis, & quibuscumq; Festis nouem Lectionum.

3 Primæ Vesperæ nobiliores sunt secundis, teste Amalar. *loco cit.* quod & hodie in Cappella Papali obseruantur, quæ non habet secundas Vespertas coram Papa, sed tantum primas, quia initium Festi reputantur esse.

4 Præter ea quæ dicta sunt de paritate Vesperarum cum Laudibus ca-

pite 2. num. 5. hæc addi possunt in laudem Vesperatum: nam in Vesperis commemoratur Aduentus Domini vergente mundi vespere , Hugo in Spec. cap. 3. tum in Vesperis offerebant Abraham & Patriarchæ Sacrificia , Gemma lib. 2. cap. 62. tum commendatur Sacrificium vespertinum à Davide Psal. 140.

5 Ordo in Rubricis nullam habet difficultatem. ad mysteria vocor. Nam quinque Psalmi Vulnera Christi recolenda monent ; quorum ultimum Vulnus hora vespertina fuit sacro latere illatum , & in vespere mundi , Gemma lib. 2. cap. 62. Item , quia sicuti quinque sensibus quotidiano affectu tendimus ad tenebras ; ita necesse est, ut initio noctis pro eis veniam prece-
mum, Amalar. lib. 4. de Offic. cap. 7. qui & addit ibidem , quod illis necesse est deplorare quinque carnales suos sensus , quibus occidit verus Sol ; ut in Matutino , id est in evasione peccatorum , quando Sol eis iterum inchoat oriri , possint letari. Tenemus etiam quinque hos Psalmos quasi lampades virginum quinque , ut veniente nocte Domino obuiam eamus , ait idem de Ord. Antiph. cap. 6.

6 In Festis Sanctorum ijdem ferè dicuntur Psalmi qui in Dominica : quia sicuti Dominica victoriam Christi resurgentis repræsentat ; ita Psalmi eiusdem victoriam per Christum resonant Electorum Domini , Amal. lib. 4. cap. 7.

7 De Capitulo , quod Lectionem vocat Amal. ibidem , & post Psalmos collocat : de Hymno , de quo Hugo post Capitulum in Spec. cap. 3. (non autem meminit Hymni Amal.) ut scilicet venienti Domino psallentes & iubilantes occurramus , ait Gemma

lib. 2. cap. 62. de Versu , quo conuersi ad Deum cum virginibus quasi ostium pulsamus , Gemma ibidem , dicemus fusiū in seq. Sectione.

8 Canticum *Magnificat* passim vocatur in Ordine Romano Euangelium , quia ita est *Luc. 1.* & cantatur in Vesperis ob multas causas. Primò , quia à Vesperis inchoatur festum , & hoc Canticum in Euangeliō est in ordine primum. Secundò , Vesperæ sunt nobiliores Laudibus & Completorio ; quibus idē debetur Canticum nobilius. Tertiò , quia sub vesperam beata Virgo peruenit in domum Elisabeth , quam salutavit , & Canticum statim hoc composuit , Benzonius in *Magn. libro 1. c. 20.* Quartò , Amalarius addit de *Ordine Antiphon.* cap. 6. ut Maria cum suo Cantico introducat virgines cum quinque lampadibus , hoc est Psalmis quinque , præparatis ad Christum. Quintò , ex eodem libro 4. de Offic. cap. 7. ut castigatis sensibus per quinque Psalmos , castigentur cogitationes cordis tumescientis cum humilitate , de qua in Canto B. Virginis agitur. Sextò , ut animos fidelium frequentior Dominicæ incarnationis memoria (quotidie namque dicitur) ad affectum deuotionis accendat ; & recognitata sœpius exempla Genitricis illius in virtutum soliditate nos confirment , & hoc præfertim in Vesperris ? ut incumbente quietis tempore mens inde fatigata ad unione te suæ considerationis colligat , idem ibidem. Septimò , & est Duran. lib. 5. cap. 9. ex Beda , *Magnificat* cantatur ad Vesperas , quia in ipsa vespere mundi suo assensu beata Virgo mundo succurrit perditō ; & ipsa est Vespera Stella maris. Octauò denique , in sexta

sexta laude ex Horis septem conuenit hoc Canticum cantari, in quo Dominus ille venisse dicitur, qui ad vesperam mundi venit ad nos in sexta mundi ætate.

9 De Oratione, Precibus, Suffragijs, & fine Vesperarum suis locis in Sectione sequenti.

De Completorio.

C A P . VI.

Vox Completorium reperitur primò in regula sancti Benedicti cap. 42. Completam vocat Isidor. lib. 1. de Off. cap. 21. Vel quia in ea compleetur quotidianus usus cibi, potus & locutionis apud Regulares, ex Amalar. lib. 4. de Offic. cap. 8. Vel quia in Completo-rio summa est perfectio diuinorum Officiorum, ex eodem de Ordine Antiph. cap. 7. Vel quia compleetur dies seruitutis nostræ, Gemma lib. 2. c. 64. Vel compleetur totum Officium diuinum, ait Beda in lib. Medit passion. Christi cap. 1. Vel quia ipsamet dies compleetur ea hora, Archid. in cap. Solent. de Consecr. Dist. 1.

2 Eius origo rei desumi potest cum Isidoro loco citato à Dauide, qui Psalmo 131. Si dedero somnum, ait, oculis meis, donec inueniam locum Domino; vel à sancto Basilio, qui in Reg. fusiū dis̄p. Interrog. 37. meminit Psalmi Qui habitat, licet Basilium aliter explicet Francolin. 1. par. cap. 19. initio, sed Durandus de Rit. lib. 3. cap. 12. quem sequuntur Azor. lib. 10. cap. 2. quæst. 11. & Suar. lib. 4. de Hor. Can. cap. 5. num. 9. explicat de Completorio. Colligit Suar. Completorium ex Ambro. 5. Hexaëm. cap. 12. & lib. 3. de Virginibus; imò ex Cypriano vide-

tur posse colligi lib. 1. de Oratione, vbi ait: Recedente Sole ac discedente necessariò rursus est orandum; vbi in primo verbo *recedente* Vesperas, in altero *discedente* notat Suar. Completorium. Verùm ijs primis temporibus rude fuit potius quam completum Completorium.

3 Additum fuisse Cassiani tempore simul cum Prima, certum est, vt docuimus supra cap. 3. huius Sectionis; vbi etiam cum Prima comparauiimus Completorium.

4 Sequitur ex dictis, illud esse recitandum congruentius hora duodecima, nimirum quando Christus sepulturæ fuit traditus, in fine diei Paracœues, Luc. 23. quod fusè probat Francolin. 1. par. cap. 18. sed ante diei finem (vt laici quoque interesse queant) statuisse Ecclesiam cantari posse, docet Durand. loco citato.

5 Hac autem Hora, inquit Turrecrēmata in Regula sancti Benedicti Tractatu 107. vt animalia à pastu reuerti solent; ita spiritus reuocandus est ab externis ad interiora. Item parandus est locus, in quo spiritus cum Deo quiescat; & contra fraudes dæmonum armandi sumus ante noctem, de quorum capite in Lectione breui dicitur: Quarens quem deuoret. Addit Hugo in Spec. cap. 3. Completorium significare gaudium Electorum, quod, completo eorum numero, complebit Deus in Sanctis suis in die generalis Resurrectionis in fine mundi; & ideo in fine diei recitatatur.

6 Ordo Completorij per se patet. Lectio breuis ortum habuit à Lectione, ad quam hora Completorij conueniebant, præsertim Monachi, sicut ad eamdem diximus post Primam, ex Regula sancti Benedicti cit. quod

H 2

notat

60 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. IV. Cap. VI.

notat etiam Amalar. lib. 4 cap. 8. & de Ord. Antiphon. cap. 7. qui & addit, Lectionem ideo præponi, quia, finito Completorio per Preces, dormitum statim ibant. Confessio aptè fit, ut quidquid in die commisimus diluamus, Gemma lib. 2. cap. 64. & alterna confessione mundemur, ait Hugo in Specul. cap. 3. agens De Completorio. De initio proprio Completorij, de quo Hugo, dicemus Sect. sequenti, vbi etiam de Hymno, & alijs singillatim, citra mysticam expositionem, quam affero hoc loco.

7 Nam Psalmis quatuor, ait Amalar. *loco citato*, quatuor elementa corporis nostri Domino commendamus. Et quidem in primo Psalmo, qui recitatitur in Matutino Sabbati sancti, cum Christo quietem poscimus: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam*. In secundo, ad ea verba quæ protulit Christus in extremo vitæ, *In manus tuas, &c.* optamus mori cum eo. In tertio & quarto contra tentationes nocturnas armamur. fusiùs hæc Amalarius.

8 Hymnus ante Capitulum præter morem dicitur; quia illi, in quibus completa sunt significata præcedentium Laudum, id est electi, præueniunt exhortationem, quam denotat sequens Capitulum, Hugo in Specul. cap. 3. Eodem quoque Hymno petimus victoriam de nocturnis illusionibus, Gemma *loco cit.* Capitulum ergo, ex Hugone, exhortationem sonat, qua semper egemus. Responso-rio breui quali signaculo diuinæ custodiæ nos sigillamus, ut pupillam oculi, Gemma *loco citato*.

9 Et quia Completorium est com-

mendatio animæ quasi migrantis è corpore per somnum, ideo Canticum Simeonis additur, quod maximè congruit, Amalar. *suprà*: quo pacem, & lucem optamus à Deo, Gemma *loco cit.* Precibus complemus, ad humilitatem in fine diei; cum Oratione Dominica & Symbolo fidei, ad munimentum ab hostibus nocturnis, Hugo *ibidem*.

10 Concluditur cum benedictione Prælati: *Benedicat, &c.* quæ valet contra hostes, ait Turrecrem, *loco citato*. & solemini religione imploratur auxilium B. Virginis contra eosdem nocturnos hostes, idem Turrecrem. Adhuc in fine dicuntur Oratio Dominica, Salutatio Angelica, & Symbolum Apostolorum secretò; tum quia ijsdem ritibus finiendum est totum Officium quibus est inceptum; tum quia in fine mundi tempore Antichristi ora fidelium claudentur, & secretò Deum orabunt, Durand. lib. 4. cap. 25. Radulph. notat Propos. 14. Completorium esse ferè semper idem, nisi propter tempus aliqua demandant, hoc est Preces, in Duplicibus, &c. causam autem attrui mus *suprà* cap. 3. de Prima in fine pag. 56.

11 Quæres, Quando Completorium dicitur separatim à Vesperis, an præmittenda sit Oratio Dominica cum Salutatione Angelica? Videtur affirmandum, ea ratione qua dicuntur ante Laudes separatas à Matutino, & ante omnes alias Horas. At contraria est praxis in Quadragesima, ut nihil præponatur Lectioni breui; & verè satis est post eam dici Orationem Dominicam.

SE-

SECTIO QVINTA.

De partium, hoc est Horarum partibus.



Orarum partes multæ sunt, & variæ, quæ proprios habent ritus, & variam eruditionem, de quibus nunc singillatim, ordine seruato quo sunt in Horarum vſu; paucis exceptis, ob alias causas, cum affiniori coniunctis.

SECTIONIS QVINTÆ CAPITA XXII.

- | | |
|--|---|
| 1 <i>De Oratione Dominica.</i>
2 <i>De Salutatione Angelica.</i>
3 <i>De Symbolo Apostolorum.</i>
4 <i>De initio Horarum.</i>
5 <i>De Inuitatorio.</i>
6 <i>De Hymnis.</i>
7 <i>De Antiphonis.</i>
8 <i>De Psalmis.</i>
9 <i>De Canticis.</i>
10 <i>De Versibus.</i>
11 <i>De Absolutionibus & Benedictionibus.</i>
12 <i>De Lectionibus.</i> | 13 <i>De Responsorijs.</i>
14 <i>De Responsorijs brevibus Horarum.</i>
15 <i>De Capitulis.</i>
16 <i>De Oratione.</i>
17 <i>De Preciis, & Confessione.</i>
18 <i>De Commemorationibus, & Suffragijs Sanctorum communibus.</i>
19 <i>De Hymno Te Deum.</i>
20 <i>De Symbolo S. Athanasij.</i>
21 <i>De Martyrologio.</i>
22 <i>De Fine Officy, & Antiphonis finalibus B. Marie.</i> |
|--|---|

De Oratione Dominica.

CAP. I.

AB Oratione Dominica sumitur initium Officij diuinij, tum ex antiquis Breuiarijs, teste Francolino 1. par. cap. 28. numero 11. tum ex Duran. in Ration. lib. 5. cap. 3. vbi ait, ter dici ad Matutinum, & semel ante quamlibet Horam; tum ex Concilio Tolezano IV. capit. 9. quo statuitur, vt

2 An vero initio Laudum, quando separantur à Nocturnis, sit dicenda, vide supra Sect. 4. cap. 2. num. 4. pag. 52.
 3 In fine Matutini, si dividatur à Laudibus, dicenda est probabilius, ex Concilio Gerundensi de Consecrat. Distinct. 5. cap. Id semper. Nauarr. de Orat. cap. 3. num. 64. & Francolin. loco cit. num. 1.

H 3. 4. In

4 In fine Laudum, Primæ, Tertiæ, Sextæ & Nonæ, si separatim singulæ recitentur, ea item dicenda est; vel certè in fine vltimæ Horæ, quando plures simul dicuntur. Nauarr. cap. 10. num. 61 citat Hugutium Doctorem, qui hoc affirmat de singulis Horis, quod Gerundense de Matutinis & Vesperis iussit.

5 In fine ergo Vesperarum dici debet, ex dicto Concilio Gerundensi; sed an dici debeat subsequentे statim Completorio? Nauarr. affirmat in *Miscell.* 73. de iure communi, & antequam dicatur *Iube Domne*. Negat Francolin. num. 5. loco cit. & docet fusè, sufficere Orationem Dominicam quæ dicitur post Lectionem breuem: cui verè fauet Rubrica Breuiarij in posteris verbis cap. 32. num. 1. in fine: *Dicto Fidelium anime, incipitur ¶. Iube Domne*. De Completorio separato à Vespertis diximus *præced.* Se^t. cap. 6. num. 11. In fine Completorij ea dicitur. de quo ritu antiquiores Durando non meminere.

6 Illud est notandum, quod, quando in fine Horæ additur Antiphona finalis B. Mariæ, sufficit Oratio Dominica quæ ante ipsam Antiphonam dicitur; neque post eamdem Antiphonam dicenda est iterum, vt fit in Completorio. qua in re deceptum fuisse Nauarrum arguentem Vrbis Ecclesiæ, quod in hac re peccent omnes, notat & corrigit Francolinus num. 3. & 4. à quo idem Nauarr. in *Miscell.* 73. num. 74. se defendit, nihil mutatus à sententia propria. sed praxis Ecclesiæ vniuersalis contraria est Nauarro.

7 Aliud item est notandum cum Nauar. in *Miscell.* 73. in fine, quod in fine Horæ, subsequentے alia Hora

eiudem diei, sufficit, semel dici Orationem Dominicam pro fine præcedentis & initio sequentis Horæ. & habetur in Rubricis cap. 32. num. 1. post medium. Dixi, *eiudem diei*, quia si post Completorium recitare velis Matutinum diei sequentis, bis Orationem Dominicam cum Salutatione Angelica & Symbolo reclabis, Francolin. num. 17. & Rubrica *citat.* cap. fauet cum alijs Rubricis de *Matutino*, & *Completorio*.

8 Initio Horarum dicitur ad animorum præparationem, vt morientes mulcæ abigantur, & mens oratione serenetur, vt dignè in Officio cum Deo loquatur, Durand. lib. 5. cap. 2. in fine verò, ne diabolus de corde Sacerdotis rapiat, si quid boni seminatum est in Horis Canonici, Duran. ibidem. Vnde Nauarrus dolet quād maximè de *Orat.* cap. 10. numero 63. quod hæc formula, quam ipse commendat cap. 19. num. 11. vii perfectissimam, Deo gratissimam, nobis vtilem, vt nihil magis, & contra hostes efficacissimam, minus attentè & reuerenter usurpetur, & maiori cum incuria, animi laxitate, & euagatione maiore, vnà cum Salutatione Angelica eiudem ferè momenti, pronuntiatur quād ipsæ Horæ Canonice.

9 Recitatut autem in Officio tribus modis, initio, in fine, & in medio, id est ad Preces. Item totum secretò, totum clara voce, torum partim secretò, partim clara voce. Et initio quidem, aliquando in medio, & in fine Officij totum secretò, addito *Amen* in fine: in medio verò reliquis duobus modis, & omissa semper *Amen*, vt videre est in toto Breuiario. Dicitur clara voce in Precibus

De Oratione Dominica, & Salutatione Angelica. 6;

cibus Laudum & Vesperatum ; in alijs Precibus partim secretò , partim clara voce : vt omnibus modis orandum esse Deum intelligamus. Rarò clara voce , nempe in diebus ieiuniorum , & præterea in Aduentu , vt cum ieiunio elata voce magis audiamur ; vnuisque Hebdomadarius , qui vicem Christi gerit , omnium nomine orat , vt in Breuiario edito 1550. de quo ritu neminem legi. Sæpius autem totum secretò dicitur , quia Deus de corde clamantes audit. Non rarò , clara voce & secretò simul , primis ijs verbis intuitando alios , *Pater noster* , postremis requirendo eosdem ad consensum , Duran. lib. 5. cap. 5. quod fit propter Sanctorum communio- nem , inquit Hugo in Specul. cap. 3. quod autem dicatur in medio Horarum , id sit ad humilitatem & deuotionem , & vt ad interiora reuersi , mente capiamus quæ dicimus ; & vt oratio ipsa Horarum efficaciam habeat maiorem , Duran. loco citato. De excellentia Orationis Dominicæ , & de eiusdem partibus non est huius loci plura congerere.

10 Quid , quando Missa sequatur post Horam (quod accidit quotidie in Choro) eritne omittenda Oratione Dominicæ in fine Horæ ? si omittitur v. *Fidelium* , consequenter etiam Ora-
tio Dominicæ . quæ de re infra
cap. 22.

De Salutatione Angelica.

C A P. II.

D E primis auctoribus Ange- licae Salutationis non est quod quæram , Gabriele vi- delicet & Elisabetha ; quorum alter ea verba protulit , *Ave grata plena* ,

Dominus tecum , Benedic tu in mulieribus ; altera reperens ultima verba Archangeli addidit alia , *Et benedictus fructus ventris tui , Luc. 1.* Quæro potius , quando reliqua usq; ad finem fuere addita ab Ecclesia ? certum autem est , in Concilio Ephesino hec quæ sequuntur prouintiata fuisse , *Sancta Maria , Mater Dei , ora pro nobis peccatoribus , Amen* , vt ait Baron. ann. 431. quæ verba addita Salutationi Angelicae perdurauere usque ad Breuiarium Cardinalis S. Crucis , vt initio habetur eiusdem. Postremis ergo temporibus , ex consuetudine Romana à Pio V. in Breuiario approbata , additum est quod sequitur , *nunc , & in hora mortis nostræ . Verbum Iesu in medio dici ex antiquiore vsu ego puto*.

2 Iure communi numquam fuit statutum , eam esse recitandam in Officio diuino , Nau. de Orat. cap. 10. numero 62. Ante Plium V. in solo Breuiario Cardinalis S. Crucis legebatur , non in antiquioribus. Pij V. ergo ius- su , iure nouo cum Oratione Domini- nica dicitur , & dici debet initio Horarum omnium , excepto Completorio , ex Nauar. cap. 19. num. 129. prout in Breuiario nunc legitur , neque uno verbo dempto. Ante annum 1550. non dicebatur in Officio.

3 Qui volunt Orationem dici Do- minicam ante Laudes à Nocturnis separatas , volunt etiam cum ea Salu- tationem Angelicam . quæ de re sup.
pag. 52. num. 4.

4 Fortè inde data est comes Ora- tioni Dominicæ in Officio , quia ex Durando lib. 5 cap. 2. dicebatur *Ave Maria* in principio & in fine Horarum beatæ Virginis : quæ Horæ , vt dicemus , quotidie recitabantur cum Officio diuino ; & quia nunc emit- tuntur ,

tuntur, præsertim extra Chorum, saltem retenta est Salutatio Angelica, ob cultum beatæ Virginis, cuius ope singularis horis indigemus.

5 In fine Horarum non dicitur, nisi in fine Completorij, ut finis Officij concordet cum principio eiusdem Officij. De eiusdem excellentia lege Natur. de Orat. c. 19. Concl. 12. expositionem verò accuratissimam edidit inter alios Rutilius Benzonius ann. 1612.

De Symbolo Apostolorum.

CAP. III.

Symbolum, ait Ruffinus in Expositione Symboli, est Gracè, indicium, & collatio, hoc est, quod in vnum confertur. Dicitur Apostolorum, quia singuli Apostoli in vnum contulere quod quisque, dictante Deo, sensit ante ipsorum divisionem, lege Augustin. Serm. 115. de Tempore, si illius est. Petrus dixit, Credo in Deum, Patrem omnipotentem. Ioannes dixit, Creatorem celi & terre. Jacobus dixit, Credo & in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum. Andreas dixit, Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine. Philippus ait, Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Thomas ait, Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis. Bartholomæus dixit, Ascendit ad celos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Matthæus dixit, Inde venturus est indicare viuos & mortuos. Iacobus Alphæi, Credo & in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam. Simon Zelotes, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum. Iudas Iacobi, Carnis resurrectionem. Mathias complevit, Vi-

tam eternam. Amen. Hæc Augustinus. ex quibus patet, editum fuisse Symbolum ante necem Iacobi majoris, quæ contigit anno Domini 44. Dixi suprà, dictante Deo, teste Tertulliano de Prescript. adu. heret. cap. 14. quod idè à Romana Ecclesia integrè custoditum fuit, adeò ut Romanum Symbolum fuerit à Vigilio Papa appellatum, lib. 4. Contra Eutychen. ubi ait, Romanum Symbolum antiquius esse Nicæno, id est Apostolicum, exponente Duran. de Rit. lib. 2. cap. 24. imò Ruffinus assertit, in diuersis Ecclesijs factas illi fuisse additiones, Romæ verò minimè; eò quod nulla hæresis Roma habuerit exordium. Plura de hoc Symbolo Dominicus Grauina in Cathol. præscriptionibus lib. 4.

2 Decreaserat Damasus, ad omnes Horas recitari hoc Symbolum, ut in Suppl. Chron. in eius Vita, & idem haber Polyd. Virgil. lib. 6. de Invent. cap. 2. Durandus quoque l. 4. cap. 25. innuit, suo tempore fuisse in vsu hunc ritum; sed vsu abrogatus est, exceptis Matutino & Prima ante easdem Horas, & Completorio in fine. Ambrosius de Velan. Virgibus de Symbolo ait: Quotidie antelucanis horis recensendum est. Augustinus lib. 1. de Symbolo ad Catech. cap. 1. Quotidie dicite, antequam dormiatis. & Hom. 52. inter 50. Quotidie dicite, quando surgitis, quando vos collocatis ad somnum. Ergo hora Matutina & post Completorium aptissimè dicitur ante horam Primam, quæ diei est initium, æquè aptè dicitur. Amal. lib. 4. c. 2. Gem. lib. 2. c. 59. Hugo Vict. in Spec. cap. 3. mentionem huius Symboli faciunt in Prima, Completorio, & ad Preces tantum.

3 Quare

3 Quare nouo iure quinques horae recitatur in Officio, si dicantur Preces in Prima, & Completorio. Initio quidem Matutini & Primæ ad professionem fidei, quæ est virtutum omnium fundamentum: & dicitur secretò, quia in primitiua Ecclesia sub silentio plerique fideles erant, metu persecutionum, Dur. lib. 4. cap. 25. In fine quoque Completorij secretò dicitur; quia in fine mundi plures in corde referuabant fidem, non ore palam prædicabunt, idem *ibidem*. In medio ad Preces Primæ, & Completorij; quia in primitiua Ecclesia, & in fine mundi in electis solidior fides, vnde & bis in his duabus Horis dici solet.

4 Sed cur in medio, ad Preces, partim clara voce, partim secretò dicitur? Quia corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, *Roman. 10. Dur. lib. 5. cap. 5.* sed numquam totum clara voce, sicut in Missa, quia, inquit S. Thom. 2.2. *quæst. 1. art. 9. ad 6.* initio diei, in primitiua scilicet Ecclesia, prædicabatur fides potius occultè; & idem in fine diei, Antichristi tempore, fiet; nunc vero temporis, quod hora Missæ repræsentat, manifestata fide, Symbolum Patrum, quo declaratur Symbolum Apostolorum, euulgatur liberè, & absque metu cantatur. De Symbolo satis.

De initio Horarum.

C A P. I V.

Tribus modis inchoatur Horæ: Matutinum per *Domine labia mea*, &c. Completorium per *Conuerte nos*, &c. reliqua Horæ per *Deus in adiutorium*. De Matutini principio prædicto me-

minit Amal. lib. 4. cap. 9. & alij post eum. Signum Crucis ad os fieri, scribit Gemma an. lib. 2. cap. 1. De initio Completorij prædicto, Hugo in *Spec. cap. 3.* De initio reliquarum Horarum, quod diximus, Nau. *de Orat. cap. 3. num. 64.* & auctorem facit Damasum suasu Hieronymi. Gregorio tribuit Polyd. Virgil. lib. 6. *de Invent. cap. 2.* Amalar. autem in Matut. lib. 4. c. 9. non meminit huius Versus, *Deus in adiutorium*. Erat autem hic Versus in ore Monachorum frequentissimus, Cassiano teste lib. 12. *Instit. c. 23. coll. 10. cap. 10.* Signum Crucis à fronte ad pectus ad ea verba fieri, tradidit Belet. *de Div. Offic. cap. 24.*

2 Contingit enim, ait Turrecrem. ad *Reg. sancti Benedicti*, tribus modis peccari, corde, ore, & opere. *Domine labia* dicitur contra peccatum oris; *Conuerte*, &c. contra peccatum cordis; *Deus in adiutorium*, contra peccatum operis. Et quia in peccato oris & cordis est aliquid operis, ideo, ait Dur. lib. 5. cap. 2. in Matutino quoque & Completorio additur Versus *Deus in adiutorium*, &c.

3 Aptius autem principio totius Officij præponitur *Domine labia*, &c. quia ore laudandus est Deus cum recitatione Officij. Et quia per diem vagamur à Deo, ideo sub noctem dicimus aptius, *Conuerte nos Deus*, &c. Per diem autem sæpius cum antiquis Monachis dicimus, *Deus in adiutorium*, &c.

4 Prosequimur cum *Gloria Patri*, & *Filio*, &c. auctoritate Damasi; & ad omnes Horas dici, scribunt Amal. lib. 4. cap. 9. & V Valafridus cap. 25. Damasus tamen non est auctor huius Versus, qui ante Damasum à Nicæna Synodo fuit compositus; imò ab

I Aposto-

66 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. V. Cap. IV.

Apostolis fluxisse, probat ex Basilio Baronius ann. 325. Nicenumque ad-didit, *Sicut erat in principio*, &c. vt idem Baron. ibidem ex Conc. Valesi can. 7. Plura infra cap. 8.

5 Completur initium Horarum per *Alleluia*. Vox est Hebræa, quæ significat, Laudate Deum, ex Aug. in *Psal.* 118. cum plenitudine tam gaudij, & exultationis, auctore san-
cto Thoma post *Glos.* in cap. 19. *Apoc.* Sanctus Germanus in *Theoria* ex-plicat hoc modo: Al, venit, el, Deus, uia, laudate: vel ex eodem, Pater, Fi-lius, Spiritus sanctus. quam expositio-nem S. Gregorio tribuit Dur. lib. 4. cap. 20. vbi alias tres affert, quæ mihi non satis placent. In aliam linguam transferri non debet propter sanctio-nem auctoritatem, ait Isidor. lib. 1. de *Diu. Offic.* cap. 13.

6 A sancto Hieronymo fuit hæc translata de Ierosolymitana Eccle-sia ad Romanam iussu Damasi, vt docet S. Gregor. lib. 7. Epist. 63. qui & eamdem vocem Romæ restituit, ex Rup. lib. 1. de *Diu. Offic.* cap. 35. non simpliciter, sed instituendo, vt diceretur etiam extra tempus Pa-schale, vt exponit Baronius, Augu-stinum citans in *Psal.* 106. dum scri-bit de *Damaso*, anno 384. Erat enim in vsu Ierosolymis ante Damasum, qui & Romæ eamdem vocem ordi-nauerat; sed deinde fuerat omissa us-que ad tempora sancti Gregorij, qui eamdem restituit.

7 Post Septuagesimam loco *Alle-luia* dicitur, *Laus tibi Domine*, &c. ex Decreto Alexandri II. vt ait au-tor Gemmæ an. libro 4. cap. 117. titulo de *Sancto Stephano*, in postremis verbis. Mutationis huius ratio est, ex Alcuin. cap. de *Septages.* quia conue-

nit humiliori tunc uti lingua, qualis est Latina comparata cum Hebræa.

De Inuitatorio.

C A P. V.

H Abetur *Inuitatorium* apud Amal. lib. 4. c. 9. in quo, in-quit, communis cœtus Fra-trum connovat omnes degentes vni-dique, vt excitentur & veniant ad confitendum Domino. De eodem Alcuinus ante Amalarium, dum causam reddit, cur *Inuitatorium* in die Epiphaniæ non dicatur.

2 Dicitur autem sexies integrè intra *Psalmum Venite*, & ter imper-fectè, id est pro medietate eiusdem; quia aliqui perfectè, aliqui imper-fectè in uitationem recipiunt. Sena-rius est perfectorum, qui constat uno, duobus, tribus. Imperfectorum nu-merus est illorum trium, qui Super-bia, Avaritia & Luxuria student, Dur. in Rat. lib. 5. cap. 3. Sexies item integrè, quia in sexætabus mundi in uitantur omnes ad Deum, Mich. Timot. in *Spec. ordin.* 4. par. trac. 6. cap. 16.

3 Variatur pro Officij qualitate, & in Ferijs variari tradit Radul. Prop. 15. quæ varietas concinnior est hodie quam ante Pium V. tum in Officio de Tempore, tum de Sanctis.

4 Dominico die, de creatione, *Qui fecit nos*; quæ facta est primo dierum omnium. in reliquis diebus concordat *Inuitatorium* cum antiquis.

5 In die Epiphaniæ non dicitur, ex Alcuino cap. de *Theophania*; quia, inquit, Herodes in uitauit, & congregauit Scibas, vt scirent de Christo ad eumdem occidendum. Vel quia Magi, inquit Hugo in *Spec. cap.* 3. à ne-mine in uitati venerunt ad Christum.

Vel

Vel quia Psalmus *Venite* dicitur eo die in Nocturnis; neque bis in eodem Officio dici Psalmus solet, Dur. lib. 6. cap. 16. & in tertio Nocturno Psalmus ille dicitur; quia tempore gratiae inuitantur omnes ad Deum, non ita communiter in lege, & ante legem. Vnde frequens est repetitio verborum, *Venite, adoremus eum.*

6 Non dicitur in triduo ante Pascha, ne inuitemur, sed potius per silentium detestemur pestiferum Iudæorum consilium & conuentum eorum contra Christum. Præterea Apostoli tunc dispersi erant, qui alios ad Dominum inuitare consueuerant, Durand. lib. 6. cap. 72.

7 Quando, & cur in Officio Defunctorum dicatur, vel taceatur, dicimus *ultima Sectione.*

De Hymnis.

C A P. VI.

Hymni Græcè, laudes Latinè. Sunt enim cantus laudem continentates Dei, Aug. *Psal.* 72. ita ut hæc tria constituant Hymnum, Laus, Dei Laus, & Cantus. Carmina quæcumque in laudem Dei, Hymni vocantur ab Isidor. lib. 1. de *Diu. Offic.* cap. 6.

2 Primus auctor David, ex Isid. *ibid.* inter Græcos è nostris primus Hierotheus, & Nepos, apud Eusebium lib. 7. *Hist. cap. 19.* Deinde Hilarius è Latinis librum edidit Hymnorum Ecclesiasticorum, teste Hieron. *de Script. Eccles.* quem imitatus Ambrosius, Hymnos populo componens, persecutionem Iustinæ Augustæ rerum nouitate leniuit, ut scribit Walafr. *de Reb. Eccl. cap. 25.* & tunc in Ecclesia quoque cantari cœperunt, quam-

quam & Apostolicum inuentum fuisse dicendum est, de quo Paul. *Coloff. 3. Ephes. 5.* imò à Christo deduci potest, qui, Hymno dicto, exiuit in montem Oliueti, *Matth. 26.*

3 Cantandos autem in Ecclesia Romana composuit quoque Gelasius Papa, ex *VValafr. loco cit.* vsumque eorumdem in Horis Canoniceis approbavit Conc. Turon. II. *can. 24.* Tolet. IV. *cap. 12.*

4 Significant Hymni fortitudinem & maiestatem Dei, & eiusdem vel beneficia, vel facta miranda, ait Hieron. citatus ab Amal. lib. 4. cap. 3. Vnde & stando eos cantamus, ob reuerentiam; & vt ostendamus, nos sūrum habere quoque ad Deum corda nostra, Duran. lib. 5. cap. 2.

5 Multos enumerat Hymnos Radul. *Propos. 13.* qui erant tunc in vsu; è quibus nos habemus eos qui sequuntur; quorum Autores hoc loco addimus, prout alij nobis tradiderunt non contemnendi Scriptores.

1 *Ad canam Agni prouidi.* Non-dum noui auctorem.

1 *Æterna celi gloria.* Ambrosij est, ex *Mich. Timotheo.*

1 *Æterna Christi munera.* Apostolorum, & Martyrum. Ambrosiani sunt, ex *Dion. Carthus.* & *Clemonæ.* Sed alterum pro Martyribus tribuit Gregorio Timotheus, *in quadam editione, non in omnibus.*

1 *Æterne rerum Conditor.* Ambrosianus est, ex *Radulph. loco citato,* & ex *Timoth.*

1 *Ales diei nuntius.* Prudentij, ex *Clemonæ.* & *Timoth.*

4 *Angularis fundamentum.* Pars est Hymni, *Urbs Ierusalem beata.* de quo infra.

3 *Antra deserti teneris sub annis.*

I 2 Pauli

68 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. V. Cap. VI.

Pauli Diaconi, ex Clitou. Carthus.
Timoth.

1 A solis ortus cardine. Sedulij, ex Cornel. Schult. tom. 1. par. 2. cap. 6. Bibliot. Alphabeticus est, quia primi versus ab A. alij à B. C. D. &c. quod notauit Timoth.

1 Audi benigne Coditor. Ambrosij, ex Cornel. loco citato. Prudentij, ex Timoth. Gregorij, ut in eiusdem Operibus tom. 5. Roma 1593. in calce Sacramentary.

5 Ave maris stella S. Bernardo tribuitur à Franc. Costero.

2 Aurea luce, & decore roseo. Elpis vxoris Boëtij, quæ vixit circa an. 522. in Ligno vita, de Anicia familia.

1 Aurora iam spargit polum. Ambrosij, ex Timoth. si nota marginalis est Timothei. non enim ita in omnibus eiusdem libris habetur.

1 Aurora lucis rutilat. Ambrosij, ex Cornelio.

1 Beata nobis gaudia. Hilarij, ex Cornelio.

1 Celi Deus sanctissime. Ambrosij dicitur esse in quibusdam Breuiarijs.

1 Christe redemptor omnium. in Natali. Ambrosianus est, ex Timoth.

3 Christe Sanctorum decus Angelorum. Desideratur auctor.

1 Conditor alme siderum. Ambrosij, ex Timoth.

1 Consors paterni luminis. Ambrosij, ex Cornelio.

1 Deus tuorum militum. Ambrosij, ex Radul. Gregorij, ex Timoth.

3 Ecce iam noctis tenuatur umbra. Gregorij, ex Clitou. & Timoth. in calce Sacram. Gregorij habetur.

1 Ex more docti mystico. Ambrosij, ex Timoth.

1 Exultet celum landibus. Ignoratur auctor.

1 Hostis Herodes impie. Sedulij, ex Timoth.

1 Jam Christe Sol iustitiae. Ambrosij, in quibusdam Bren. & ex Io. Baptista Rubeo.

1 Iam Christus astra ascenderat. Ambrosij, ex Radul. Greg. ex Cornelio.

1 Iam lucis orto sidere. Ambrosij, ex Clitou. Carthus. Timoth.

1 Iesu corona celsior. Ambrosij, ex Radulpho.

1 Iesu corona Virginum. Ambrosij, ex Radul. Gregorij, ex Timoth.

1 Iesu nostra redemptio. Ambrosij, ex Cornelio.

1 Iesu redemptor omnium. Desidero auctorem.

1 Immense celi Conditor. Ambrosij, ex Timoth.

3 Iste Confessor Domini sacratus. Nondum scitur auctor.

1 Lucis Creator optime. Gregorius est, ex Timoth. & habetur in calce Sacram. Gregoriani.

4 Lustris sex qui iam peractis. Ambrosij, ex Iacobo de Valentia in Psalmum 95. apud Timoth. sed videtur auctor qui scriptit Pange lingua: unde ut unus Hymnus habetur in Missa Fer. 6. in Parasceue.

1 Lux ecce surgit aurea. Prudentij, ex Io. Baptista de Rubeis in Psalmer.

1 Magna Deus potentiae. Ambrosij, in quibusd. Bren.

1 Martyr Dei, qui unicum. Auctor nescitur.

3 Nocte surgentes vigilemus omnes. Gregorij, ex Clitou. & Timotheo. & legitur in calce Sacram. Gregor.

1 Nox atra rerum contegit. Ambrosij, ex Timoth.

1 Nox, & tenebrae, & nubila. Prudentij, ex Clitou. & Timoth.

1 Nunc

1 Nunc sancte nobis Spiritus. Ambrosij, ex Clitou. Carthus. Timoth.

1 O gloriofa Domina. Fortunati, ex Cornelio. Ambrosij, ex Rubeo.

1 O lux beata Trinitas. Alcuini, ex Cornelio. Gregorij, ex Timoth.

3 O nimis felix, merisque celsi. Pauli Diaconi, ex Clitou. Carthus. Timoth.

4 Pange lingua gloriofi Pralium certaminis. Fortunati, ex Baron. an. 566. & Timoth.

1 Plasmator hominis Deus. Ambrosij, in quibusdam Breu. Gregorij, in alijs Breu.

1 Primo dierum omnium. Gregorij, ex Clitou. Timoth. & habetur in calce Sacram. Greg.

1 Quem terra, pontus, aethera. Fortunati, ex Cornel. Gregorij, ex Timoth.

1 Rector potens verax Deus. Ambrosij, ex Clitou. Carthus. Timoth.

1 Rerum Creator optime. Ambrosij, ex ysdem.

1 Rerum Deus tenax vigor. Ambrosij, ex ysdem.

1 Rex gloriose Martyrum. Gregorij, ex Timoth.

1 Rex sempiterne Domine. Quis mihi det auctorem?

6 Sanctorum meritis inclita gaudia. Neque auctorem noui.

1 Somno refectis artibus. Ambrosij, ex Cornel. & Timoth.

1 Splendor paternæ glorie. Ambrosij, ex Radul. & Timoth.

1 Summa Deus clementiae. Ambrosij, ex Carth. & Timoth.

1 Te lucis ante terminum. Ambrosij, ex Cornel. & Timoth.

1 Telluristengens Cöditor. Ambrosij, in quibusdam Breu.

4 Tibi Christe splendor Patris. Quis auctor?

1 Tu Trinitatis unitas. Ambrosij, ex Cornelio.

1 Veni creator Spiritus. Ambrosij, ex Cornelio.

1 Verbum supernum prodiens A Patre. Gregorij, in quibusdam Breu. S. Thom. Aquin. ex Timoth. quem forte fecellit alterius Hymni simile principium.

1 Vexilla Regis prodant. Theodulphi, seu Theoduli, ex Benzonio in Magnificat lib. 1. cap. 6. Fortunati, ex Baron. an. 566. Sedulij, ex alijs, vel Ambrosij, apud Timoth.

3 Virginis proles, opifexque matris. De auctore nemo.

1 Vox clara ecce intonat. Ambrosij, ex Cornelio.

4 Vrbs Ierusalem beata. Auctor Ambrosius, ex Rubeo.

3 Ut queant laxis resonare fibris. Pauli Diaconi. Henc putant aliqui in prima strophe collegisse sex notas musicales, Ut, re, mi, fa, sol, la, sed errant: nam haec note cœptæ sunt adhiberi tamquam musicales à Guidone Abbatte, qui Græcos imitatus musicos syllabis vlos ad musicam docendum, adinuenit & ipse has syllabas Latinas de prædicta Hymni strophe desumptas, ut scribit Arnoldus auctor Ligni vitæ libro 5. Obiit autem Guido ann. 1020. longè post Paulum Diaconum, qui flouruit anno 770.

6 Radulph. loco citato significat alios Hymnos fuisse tunc in vlo in Hymnis Romanis, & fortasse non paucos de sequentibus, quos ille non indicat: & habentur in Breuatio Pij V.

1 Aeterne Rex altissime. Gregorij, in quibusdam Breu. habetur etiam in Breu. M.S. ante annos 300.

I 3 I Ater-

70 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. V. Cap. VI.

1 *Aeterne Patris uice.* Non ante annum 1550. auctorem desidero.

1 *Amor Iesu dulcissime.* Bernardo tril uit *Timoth.* in *Breuiar.* non ante ann. 1550. fuit in vfa.

1 *Audit tyrannus anxius.* Prudentij, ex *Timoth.* post ann. 1550. est in *Breuiar.*

1 *Christe Redemptor omnium.* de Omnibus Sanctis. Ambrosij, ex *Timoth.* habetur in *præd. Breu. M. S.*

1 *Claro Paschali gandio.* Habetur in *præd. M. S. Breuiar.* Auctor idem qui Hymni, *Tristes erant Apostoli.* vnu enim erat Hymnus, qui nunc diuisus est.

6 *Custodes hominum psallimus Angelos.* An. 1608. auctoritate Pauli V.

2 *Doct̄or egregie Paule.* Elpis dicitur esse à Cornelio *suprà.* habetur in *præd. M. S. Breu.*

1 *Fortem virili pectore.* Syluij Card. Antonian. in *Recognit. Breu. à Clem. VIII.*

3 *Huius obtentus Deus alme nostris.* Pars Hymni, *Virginis Proles.* de quo infrā.

2 *Iam bone Pastor Petre.* Elpis. Habetur in *præd. Breu. M. S.*

1 *Iesu Salvator seculi.* In *præd. Breuiar. M. S.* sed auctorem nescio.

1 *Memento salutis auctor.* Pars est Hymni Natalis Domini: *Christe Redemptor omnium.*

1 *Nardo Maria pistico Pars Hymni in benedictione palmarum,* in *Ordoine Romano.* mutatus est in *Breuiarij recognitione* sub Clemente VIII. & est S. Gregorij, ex *Rubeo.*

1 *Orbis patrator optime.* An. 1608. iussu Pauli V.

1 *O sola magnarum urbium.* Prudentij, ex *Timoth.* non ante annum 1550. in *Breuiario* est.

4 *Pange lingua glorioſi Corporis.* S. Thomæ Aquin. in *Opusc. 57.*

1 *Pater superni luminis.* Roberti Card Bellarm. in *Recognit. Breuiary.*

2 *Petrus beatus catenarum laqueos.* Dicitur Elpis. in *prædicto Breu. M. S.* ante 300. annos habetur.

1 *Quicunque Christum queritis.* Prudentij, ex *Timoth.* sed nota marginalis in alia editione tribuit Bernardo. non ante ann. 1550. habetur in *Breuiario.*

2 *Quodcumque vincis super terram.* Elpis. habetur in *prædicto Breuiario. M. S.*

6 *Sacris solemnis iuncta sint gaudia.* S. Thomæ, *Opusc. 57.*

1 *Saluete flores martyrum.* Prudentij, ex *Timoth.* non ante annum 1550. in *Breuiario* habetur.

1 *Tristes erant Apostoli.* habetur in *Breuiario. M. S. prædicto.* auctorem facit Ambrosium Rubeus.

1 *Verbum supernum prodicens.* Nec Paris. S. Thomæ, *Opusc. 57.*

Omn̄es ergo sunt numero xcvi.

7 Si rationem metri cuiusque scire cupis, breuiter addam: nam ad sex species ij reducuntur & formas. In prima sunt Hymni Iambici Dimetri, à Iambō pede, & à duabus mensuris ita dicti: & ij sunt, quos à capite notauimus hac nota 1. hoc est primæ speciei.

In secunda continentur Iambici Trimetri, à Latinis ternarij vel senarij appellati, qui constant sex pedibus, locis imparibus: ij verò sunt, quos notauimus à capite hac nota 2. hoc est secundæ speciei.

Tertia forma continet Sappicos cū Adonico in fine, notatos hac nota 3.

Ad quartam spectant Trochaici Dimetri, hac nota 4.

Quintæ

Quintæ formæ , nempe Trochaei , & à Seruio Ithyphallici , vnicus est Hymnus in eius laudem , quæ vnicæ est Mater & Virgo , *Aue maris stella* ; qui speciem metri tantum habet quoad syllabas , ut notant Clietou . & Carthus .

Sexta complectitur Asclepiadæos cum Glyconico in fine , notatos hac nota 6 .

8 Sed auctores Ecclesiasticorum Hymnorum leges metri sèpiùs neglexerunt , vt sensu verba consonarent : quod de se faterur S. Bernardus Epist. 312. ad Guidonem , & in prædictis patet . Ambrosius è supradictis accuratiùs Hymnos numero 37. compoñisse creditur , Gregorius octo , Bernardus duos , Hilarius vnum , sanctus Thomas quatuor , reliquos alij quos nominauimus .

9 Prædictos Hymnos emendauit tandem sanctissimus D. N. Urbanus V IIII. correctis falsis syllabis ultra nongentas , & mutatis idèo principijs Hymnorum ultra triginta , anno 1629. quos & landauit sacra Rituum Congregatio die 17. Martij eiusdem anni . Intactos reliquit tres de sanctissimo Sacramento , ratione Hetrusci rhythmi , quo auctor sanctus Thomas eos composuit : Hymnu item *Aue maris stella* , qui est soluta potius oratio , aliquibus incisis partita : & Hymnum Angelorum ad Vesperas , qui sine labe fuit , & paucos alios .

Index ergo deinceps hic erit.

- 1 A D regias Agni dapes .
- 1 Æterna cæli gloria .
- 1 Æterna Christi munera .
- 1 Æterne rex siderum .
- 1 Æterne rerum Conditor .
- 1 Æterne Rex altissime .

- 1 Ales diei nuntius .
- 1 Alto ex Olympi vertice .
- 3 Antra deserti teneris sub annis .
- 1 A solis ortus cardine .
- 1 Audi benigne Conditor .
- 1 Audit tyrannus anxius .
- 5 Aue maris stella .
- 1 Aurora iam spargit polum .
- 1 Aurora cælum purputat .
- 1 Beata nobis gaudia .
- 2 Beate Pastor Petre , clemēs accipe .
- 1 Cæli Deus sanctissime .
- 3 Christe sanctorum decus Angel .
- 1 Christo profusum sanguinem .
- 1 Cælestis vrbs Ierusalem .
- 1 Consors paterni luminis .
- 1 Creator alme siderum .
- 1 Crudelis Herodes , Deum .
- 6 Custodes hominum psallimus Angelos .
- 2 Decora lux æternitatis , auream .
- 1 Deus tuorum militum .
- 3 Ecce iam noctis tenuatur vmbra .
- 2 Egregie Doctor Paule mores instrue .
- 1 En clara vox redarguit .
- 1 Ex more docti mystico .
- 1 Exultet orbis gaudijs .
- 1 Fortem virili pectore .
- 1 Hominis superne Conditor .
- 3 Huius oratu Deus alme nobis .
- 2 Iam Christus astra ascenderat .
- 1 Iam lucis orto sidere .
- 1 Iam sol recedit igneus .
- 1 Iesu corona celsior .
- 1 Iesu corona virginum .
- 1 Iesu Redemptor omnium , Perpes .
- 1 Iesu Redemptor omnium , Quiescens .
- 1 Immense cæli Conditor .
- 1 Inuictæ Martyr , vnicum .
- 3 Iste Confessor Domini , colentes .
- 1 Lucis Creator optime .
- 4 Lustra sex qui iam peregit .
- 1 Lux alma Iesu mentium .

1 Lux

1 Lux ecce surgit aurea.
 1 Magnæ Dens potentia.
 1 Maria castis osculis.
 1 Memento rerum Conditor.
 2 Miris modis repente liber , ferrea.
 3 Nocte surgentes vigilemus omnes.
 1 Nox atra rerum contegit.
 1 Nox, & tenébra, & nubila.
 1 Nunc sancte nobis Spiritus.
 1 O gloria virginum.
 3 O nimis felix, meritiq; celsi.
 1 O sola magnarum vrbium.
 1 O Sol salutis , intimis.
 4 Pange lingua gloriosi Corporis.
 4 Pange lingua gloriosi Lauream.
 1 Paschale mundo gaudium.
 1 Pater superni luminis.
 1 Placare, Christe, seruulis.
 1 Primo die quo Trinitas.
 1 Quem terra , pontus, sidera.
 1 Quicumque Christum queritis.
 2 Quodcumque in orbe nexibus re-
uinxeris.
 1 Rector potens, verax Deus,
 1 Rerum Creator optime.
 1 Rerum Deus tenax vigor.
 1 Rex gloriose Martyrum.
 1 Rex templerne cælitum.
 6 Sacris solemnis iuncta sint gaudia.
 1 Saluete flores Martyrum.
 1 Salutis æternæ dator.
 1 Salutis humanæ sator.
 6 Sanctorum meritis inclita gaudia.
 1 Somno refectis artibus.
 1 Splendor paternæ gloriæ.
 1 Summa Parentis clementiæ.
 1 Summi Parentis vnicæ.
 1 Te lucis ante terminum.
 1 Telluris alme Conditor.
 1 Te splendor, & virtus Patris.
 1 Tristes erant Apostoli.
 1 Tu Trinitatis vnitas.
 1 Veni, Creator Spiritus.
 1 Verbū supernum prodiēs, E Patris,

1 Verbum supernum prodiens ,
Nec Patris.
 1 Vexilla Regis prodeunt.
 3 Virginis proles , opifexq; matris.
 3 Ut queant laxis resonare fibris.
 10 Mendum putant aliqui in Hym-
nis Iambicis , quando legunt nouem
syllabarum versus , non aduertentes ,
Anapæstum ponи pedem primo loco ,
qui constat duabus primis syllabis
breuibus & tertia longa , pro Spon-
deo , vel Iambo ; vt , Hominis super-
ne Conditor ; Populiq; Rex Iudaici ;
Tibi mille densa millium ; Michaël
salutis signifer.
 11 Hymni dicuntur vel post Inui-
tatorium , ex institutione Gelafij , ait
Platina , in signum gaudij vocatorū ad
Deum , ex Mich. Timot. loc.cit.c. 17.
& ad excitanda sunt torpentina corda ,
Hugo Victor. lib. 2. de Offic. cap. 8.
Vel post Psalmos , vt excitemur ad
immediatè sequens Canticum Euau-
gelicum , vt in Laudibus , Vesperis ,
& Completorio , Hugo ibidem . Vel
ante Psalmos , vti ad alias Horas ; vt
initio Horæ ad dulcedinem diuini a-
moris retrahantur corda curis quoti-
dianis occupata , Hugo ibid.
 12 Finis Hymnorū variatur pro
ratione Festorum , vt dicitur in Ry-
bric. de Hymnis num. 4. & in Natui-
tate Domini , auctore sancto Bona-
uentura , usque ad Epiphaniam fit
semper mentio de partu Virginis . Idem
fit in Festo Corporis Christi , auctore
sancto Thoma Aquinate , in hono-
rem Deiparae : de cuius carne est caro
Christi . & habetur in Decreto à no-
bis supra citato Ioan. XXII. In Epi-
phania , quæ significat apparitionem ,
apparet ratio , cur dicatur in fine ,
Qui apparuisti Gentibus : ob eamdem
causam dicitur , Qui te renelas par-
nulis ,

anlis, in Transfiguratione Domini. Reliquarum terminationum patet ratio; nisi dubites in Pentecoste, cur dicatur, *Deo Patri sit gloria*, &c. qui finis hodie communis est temporis Paschali. Sed, sicut attinent ad Paschale tempus ea verba, à mortuis surrexit; ita ad Pentecosten illud verbum *Paracletus*, cui fit Festum in Pentecoste.

13 Excipiuntur duo genera Hymnorum, quæ non patientur mutationem aliquam, nimirum quando Hymni non sunt eiusdem metri: absolum enim esset, præsertim ubi cantantur Hymni, & quando Hymni habent ultimum Versum proprium, hoc est, ita proprium, ut si careat solito fine, careat petitione, quæ fit ad Deum ante glorificationem sanctissimæ Trinitatis, vel simul cum eadem glorificatione, cuiusmodi sunt ultimi Versus Hymnorum, *Vni, trinoque Domino*, &c. *Tenunc Redemptor quæsumus, Ut martyrum consortio, Te fons salutis Trinitas*, in Hymno sanctæ Crucis.

14 Conclusio verò Hymnorum semper fit vel ratione temporis, vel ratione Octauæ, quamvis in Officio nulla fiat de tempore vel de Octaua commemoratio; ea ratione qua dicitur Præfatio de tempore, vel de Octaua in Feste, quod propriam non habet Præfationem, ut in Rubric. Mis. fal. titulo 12. num. 3.

15 In Officio Semiduplici de beata Virgine, quod à Regularibus ex privilegio fit in Sabbato, si in primis Vesperis dicatur saltē Capitulum de beata Virgine, dicitur in Vesperis, & in Completorio, *Iesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine*: & item, si fiat tantum commemoratio, adhuc illud di-

citur in Completorio. In secundis autem Vesperis si fiat de ea commemoratio, eodem modo concluduntur Hymni usque ad Completorium inclusiū, ut habetur in libello Officiorum PP. Discalceatorum à sacra Congregatione Ritu approbat, & Romæ impresso anno 1629. Atque idem seruandum est in Officio Semiduplici de sanctissimo Sacramento, in Ferijs quintis à Regularibus celebrando, ex eadem sacra Congreg. ibid. Si verò nulla fiat in Vesperis commemoratio, neque in Completorio variatur finis Hymni.

16 Dices, Cur dicitur, *Qui scandis super sidera*, cùm in alijs utamur verbo temporis præteriti? Respondeo, illud à S. Ambrosio fuisse dictum in Hymno ratione metri; quem secutus Urbanus dici iussit, *Qui victor in celum redis*.

De Antiphonis.

C A P. V I I.

1 **A**ntiphona idem est ac vox opposita, seu contrasonans. Alcuin. de Celebr. Missæ, & Amal. lib. 4. de Off. cap. 7. vocem reciprocam interpretantur; quia inchoatur ab uno vnius Chori, & ad eius symphoniam cantatur Psalmus per duos Choros, ipsaque Antiphona coniunguntur simul duo Chori. Hinc usu receptum est, ut sententia, quæ Psalmum aut Canticum præcedit, Antiphona dicatur, ex Duran. lib. de R. et. 3. cap. 17.

2 Author Antiphonarum fertur Ignatius Antiochenus, ex Cassiod. in Tripartitalib. 10. cap. 9. post quamdam visionem Angelorum, quos vidit unum ad alterum cantantes, San-

K. ctus,

74 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. V. Cap. VII.

Etus, Sanctus, indeque ille prescripsit alternum cantum in Ecclesia Antiochena: non dico Psalmorum, de quibus in capite sequenti. Græcos imitatus, primus inter Latinos Ambrosius Antiphonarum est auctor, circa annum 383. vt egregie probat Francol. i. par. c. 3. sub Damaso, nō sub Siricio, vt scripsit Sigebeitus. Institutionis huius habemus testem Aug. lib. 9. Conf. c. 6.

3 Dicuntur Antiphona semper cum Psalmis. Ut, sicut Psalmus, inquit Amal. loco cit. significat ex Hieron. opus bonum; ita non sine Antiphona debet esse, quæ sua combinatione, seu repetitione, ante & post Psalmum, significat diuersorum vñionem & charitatem, sine qua opus bonum non facit concentum Deo, nec aliquid valet. Hæc ille fusiùs.

4 Duplicantur in Duplicibus, non in alijs, & inde dicitur esse Officium Duplex; quia cùm, vt diximus, Antiphona significat charitatem, in solemnioribus perfectiorem charitatem ostendere debemus, Hugo in Spec. cap. 3. alijs significat, inchoatam in hac vita charitatem consummandam esse in fine vitæ; sicut integra dicitur Antiphona in fine Psalmi, idem Hugo: cui Durand. lib. 5. cap. 2. addit, inchoari Antiphonam ante Psalmum; quia charitas præcedere debet opus bonum, vt sit meritorium. Et inchoatur ab uno, quæ ab omnibus completur; quia ab uno Christo diffunditur charitas ad membra. Hæc ille.

5 Plures Antiphona nobilioribus dantur Horis, Matutino & Vesperis, non alijs Horis, quæ humilius celebrari debent, Radulph. Prop. 10. Sed tempore Paschali, tam in Matutino quām in Vesperis, minor est numer-

rus Antiphonarum quām per annum, ita vt sub vna Antiphona multi dicantur Psalmi, Radulph. Propos. 16. An igitur minorem charitatem ostendere debemus eo tempore? absit, imò verò hæc diminutio Antiphonarum denotat, ita feruere Clericos ex Paschalibus sacramentis & gaudijs, vt non egeant pluribus Antiphonis ad charitatem accendi. Posterior hic ritus est Micrologi, qui cap. 55. in Inventione sanctæ Crucis ponit in quolibet Nocturno tres Antiphonas, vñ alias per annum.

6 Ad Horas minores vna dicitur Antiphona, quæ desumitur in Festis regulariter à Laudibus, quarta prætermissa, quia est Antiphona pro Cantico, non pro Psalmo.

7 Dantur Antiphonæ communes, & propria: illæ vt plurimum desumuntur è Psalmis, quorum sunt Antiphonæ; propriae verò, vel à tempore priuilegiato, vel à Festo, &c. & hæc præferuntur communibus, vñ par est.

8 Ob Festi solemnitatem in primis Vesperis ponuntur aliæ Antiphonæ diuersæ à Laudibus, & à secundis Vesperis; vt, in Natali Domini, Purificatione beatæ Virginis, in Festo Corporis Christi, & in Nauuitate sancti Ioannis Baptiste.

9 In Aduentu quoque, ob temporis celebritatem, Antiphonæ de Laudibus Dominicæ repetuntur ad Horas per Hebdomadam, quoisque octo diebus ante Nativitatem dicantur Antiphonæ propriae; postermis diebus ad Laudes & Horas al-signatae.

10 Antiphonæ ad Magnificat, in primis Vesperis Dominicarum vt plurimum sumuntur ex sacra Scriptura

ptura veteris Testamenti legenda in Matutino eiusdem Dominicæ : in secundis autem Vesperis sumuntur de Euangeliō quod in eadem Dominica legitur , sicut etiam ad Laudes ; ut diei Dominico deseruiat vtrumque Testamentum . Dominicæ Paschæles Antiphonis gaudent de nouo tantum Testamento , quia Christi resurreccio causa est ut in nouitate vitæ ambulemus , ex Paulo *Roman. 6.*

11 Additur Antiphonis tempore Paschali in fine *Alleluia* , ad latitiam Paschalem sæpiissimè declarandam , de qua voce diximus *suprà c. 4. num. 5.*

12 Quid , si Antiphona sumitur ex principio Psalmi , vel Cantici , & incipit sicut Psalmus , vel Canticum ? eo casu non dicitur principium Psalmi , seu Cantici ; sed continuatur quod sequitur in Psalmo , vel Canto , ab eo loco ubi definit Antiphona . quod nota præsertim (errant multi) in Officio Dedicationis Ecclesiæ in tertio Nocturno in Psal. *Qui habitat* : nam die primo & octavo , dicta integra Antiphona à Choro , incipi debet Psalmus à secundo Versu , *Dicet Domino* , &c. si verò tempore Paschali addas in fine *Alleluia* , tunc incipitur Psalmus à primo Versu , *Qui habitat* ; quia illud *Alleluia* tollit continuationem Antiphonæ cum Psalmo . Simile habes exemplum in Ascensione Domini in secundo Nocturno , *Exaltabo te Domine* , quoniam suscepisti me , *alleluia* ; & Psalmus incipit à primis verbis eiusdem , *Exaltabo te Domine* , &c. & ita in praxi communiori seruatur quod est rationabilius ; & in recognitione postrema Breuiriarij addi hoc loco curauit .

mus. In Feriæ secundæ Vesperis ferrialibus , dicto initio Antiphonæ ab Hebdomadario *Magnificat* , Cantor & Chorus simul prosequuntur , *anima mea Dominum* ; quia diuidi commodè non potest ultima pars Versus . Illud certè est obseruandum in enuntiandis Antiphonis , ut initium numquam sit vnius syllabæ , neque eiusmodi , ut absurdè orationem præcidiat . quod monetur in Cærmoniali Clericorum Regularium sancti Pauli lib. 1. cap. 10.

De Psalmis.

C A P. VII I.

SI Psalterium Sacerdos ignorat , nomen Sacerdotis vix in eo constabit , ait Aug. 28. *Difst.* *Quæ psal.* & hoc me mouit , ut hoc loco plura recenseam ad plenioram Psalterij cognitionem , de Vocabulo , Auctore , Ordine , Materia , Cantu , & Vsu Psalmorum , breuiter tamen , enarraturus .

2 *Psalmus* Græcis idem quod Latinis cantus , sive sonus , qui fit manibus pulsato . psalterio , ut 1. *Reg. 16.* fit etiam voce , ut *Psalm. 33. Bene psal-* *lite ei in vociferatione.* At Psalmi Davidici continent Dei laudes , vel preces ad eum ; vnde ferè idem est Psalmus quod Hymnus , ut ex titulo Hebreo Psalterij habetur , qui est , Liber Hymnorū , seu Laudum diuinarum .

3 Psalterium , quo Romana Ecclesia vitetur , est ex translatione sancti Hieronymi Romana , teste Radulph. *Propos. 8.* & differt à Psalterio Romano quod adhibetur Romæ in æde Vaticana S. Petri ; quo etiam vtuntur Ambrosiani Sanctus Franciscus in sua

Regula excipiens ab Officio diuino Psalterium Romanum, intelligit de eo quod in Vaticana S. Petri est in usu antiquissimo.

4 De Auctore tria sunt certa. Primum, Auctorem primarium esse Spiritum sanctum, *A. I. 1. Hebr. 3.* Secundum, maximam partem esse Davidis, qui *2. Reg. 29.* egregius appellatur Psaltes Israël. & Isidorus *lib. 1. de Offic. cap. 5.* vocat Dauidem Psalmorum thesaurum. Tertium, probat Bellarminus *in Prefat. ad Explan. in Psalmos*, eos qui carent titulo, & eos item qui nomen Dauid in titulo præferunt, quocumque casu, seu genitio, seu dativo, esse Davidis. De reliquis Psalmis qui alium præferunt Auctorem, communior est sententia, esse omnes vii Davidis, quæ est Chrysostomi, Augustini, & aliorum. Pluribus agit de hac re Aug. Torniellus, Congregationis nostræ, *in Sacris Annal. an. mundi 2964. a num. 4.*

5 Ordo Psalmorum triplex esse potest, Biblicus, Historicus, Ecclesiasticus. *Biblicus* est, qui in sacris Biblijs habetur, à primo usque ad Psalmum 150. quos dividunt aliqui (& placet divisione Bellarmino) ita ut primi quinquaginta pertineant ad penitentes, siue incipientes; alij quinquaginta ad proficientes; reliqui quinquaginta ad perfectos. Si dividas, ut dimidium Psalterij intierias pro numero Versuum; sicuti omnes Versus sunt 1606, ita dimidium Versuum erit inter illos duos Versus *Psal. 77. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, &c.* Ipse autem est misericors. quasi centrum Psalterij sit summa malitia hominum, & summa bonitas Dei.

6 Ordo *Historicus*, quo scilicet tempore quisque Psalmus fuerit compitus, difficillime haberi potest. Nam ordo *Biblicus* est, vel quo repeti sunt ab Esdra, ut videtur sentire S. Athanas. *in Sinopsi*; vel quo ordinati sunt à Septuaginta Interpretibus, ut docet S. Hilarius *in Prologo Psalmorum*. scitur aliquorum tempus. quae de re vide Torniellum loco citato, qui sequentes ordinat hoc modo.

- Psalm. 143. *Benedictus Dominus Deus meus.*
- 9. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo.*
- 10. *In Domino confido.*
- 58. *Eripe me de inimicis meis Deus meus.*
- 33. *Benedicam Dominum in omnitem pore.*
- 56. *Miserere mei Deus, miserere mei.*
- 62. *Deus Deus meus ad te de luce vigo.*
- 51. *Quid gloriaris in malitia.*
- 108. *Deus laudem meam ne tacueris.*
- 139. *Eripe me Domine ab homine malo.*
- 53. *Deus in nomine tuo saluē me fac.*
- 141. *Vocem meam ad Dominum clamavi.*
- 25. *Iudica me Domine.*
- 5. *Verba mea auribus percipe Dñe.*
- 12. *Usquequā Domine obliuisceris me in finem?*
- 16. *Exaudi Domine iustitiam meam.*
- 57. *Si verē utique iustitiam loquimini.*
- 85. *Inclina Domine aurem tuam.*
- 93. *Deus ultionum Dominus.*
- 26. *Dominus illuminatio mea.*
- 138. *Domine probasti me.*
- 132. *Ecce quam bonum.*
- 2. *Quare fremuerunt Gentes.*
- 23. *Domini est terra.*
- 46. *Omnes Gentes plaudite manibꝫ.*
- 28. *Afferte Domino filii Dei.*

104. Con-

104. Confitemini Domino, & innocate nomen eius.
 29. Exaltabo te Domine.
 50. Miserere mei Deus.
 6. Domine, ne in furore tuo arguas me.
 37. Dñe, ne in furore tuo arguas me.
 31. Beati, quorum remissæ sunt ini-
quitates.
 7. Domine Deus meus in te speravi.
 3. Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me?
 142. Domine exaudi orationem meam.
 38. Dixi: Custodiam vias meas.
 39. Expectans expectavi Dominum.
 40. Beatus qui intelligit super ege-
num & pauperem.
 41. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum.
 42. Iudica me Deus.
 54. Exaudi Deus orationem meam.
 83. Quam dilecta tabernacula tua
Domine virtutum.
 96. Dominus regnauit, exultet terra.
 17. Diligā te Domine fortitudo mea.
 45. Deus noster refugium, & virtus.
 106. Confitemini Dño quoniam bonus.
 123. Nisi quia Dominus erat in nobis.

Psalmorum tempus aliorum prorsus nescitur; omnes autem ante annum mundi 3020, quo David mortuus est, & fortè ultimus ille fuit, qui in Biblij est 36. *Noli emulari, &c. in quo ait, Iunior fui; etenim senui;* vt mea fert coniectura.

7 Ordo Psalmorum Ecclesiasticus est aliis à prædictis. Nam aliqui di-
cuntur Matutinales, qui ante prandium in choro dicuntur; aliqui Vespertinales, qui à prandio. Matutinales 112. Vespertinales 38. quamquam in Ma-
tutino de Sanctis & Dedicat. Ecclesi. aliquando cantantur Psalmi, *Cum in-
nocarem, &c., Qui habitat,* qui sunt Ve-
spertinales;

& in Completorio, Psalm. *In te Domine speravi.* qui est etiam Matutinalis. Si diuidas eosdem per Horas, ad Matutinum recitantur in tota hebdomada 91. ad Laudes 13. ad Vesperas 35. ad alias Horas 11. qui faciunt summam 150.

8 Eosdem recitari in Horis Cano-
nicis Pontiani Decreto, refert in eius Vita Ribadeneira; sed vel ubique non fuit receptum, vel Romæ quo-
que neglectum: nam post annos cen-
tum, & ultra, Psalms omnes per Dominicam & Ferias distribuit san-
ctus Hieronymus, ex Radulpho Pro-
pos. 10. & Damasus decreuit hoc or-
dine recitari, ex Barono anno 60.
cum nihil ferè ex Psalmis Romæ in templis legeretur, ut ipse Damasus fa-
tetur in Epist. ad Hieron. in Tomo 1.
Concil. Hieronymus igitur constituit in Dominicis 18. Psalms, duode-
cim in Matutinis ferialibus, & in Maturino Festorum dimidium numeri
Dominicarum, id est Psalms nouem.
Ad Horas, Ambrosium secutus, dis-
tribuit in plures partes Psalmum 118.
Beati immaculati. Hæc postrema Ra-
dulphus Propos. cit. De numero duo-
denario in Ferijs narrat Cassianus 2.
de Institut. cœn. cap. 4. quod coram
Monachis Angelus apparet duode-
cim Psalms continenter cecinit, qui-
bus finitis, Alleluia cantauit, ac si-
luit, non amplius visus, nee auditus.
vnde à Concilio Turonensi cap. 19.
ad Matutinum duodecim saltem Psal-
mos expediri iussum est, facta men-
tione prædictæ visionis Angelicæ. Ex-
stat Decretum Gregorij VII. de Con-
f. Distinct. 5. In die, Omnibus diebus,
inquit, alijs (excipit Pascha & Pente-
coffen) per totum annum, si festivitas
est, nouem Psalms & nouem Lectio-
nes

78 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. V. Cap. VIII.

nes dicimus: alijs autem diebus duodecim Psalmos & tres Lectiones recitamus: in diebus Dominicis octodecimi Psalmos & nouem Lectiones celebramus. *Hec ibi.*

9 Pluralitas Psalmorum mysticè significat, recolendos esse mores bonos diuersorū operū per plures Psalmos. ita Ordo Rom. in Octauis Pasche. Minor etiam numerus Psalmorū in Officio dicitur ob temporis iucunditatem, vt tempore Paschali, Radul. *Prop. 10.*

10 Psalmi mutatio vnius in aliom, vt pro Confitemini in Prima Dominicali dicitur Psal. *Dominus regnabit;* & pro Iubilate in Sabbato de B. Virgine dicitur, *Bonum est confiteri Domino;* idè decreta est, vt in Hebdomada, quoad eius fieri possit, expleatur Psalmterium, neque Psalmus vnum omitatur in Officio totius Hebdomadæ.

11 Additum est in fine cuiusque Psalmi *Gloria Patri, & Filio, &c.* (de cuius origine diximus *suprà c. 4. nū. 4. pag. 65.*) ex institutione Damasi, vt dicitur in eius Festo, quod hodie haec scribentes celebramus, & probat Baron. anno 382. Ambrosius autem addidit tantum eamdem glorificationem Trinitatis in fine Hymnorū, non Psalmorum, vt sanctus Augustinus affirmat *lib. 9. Confess. cap. 7.* & Cassianus docet, tantum in fine Antiphonarum subdi solitum *Gloria Patri, &c.* *lib. 2. de Noë. Orat. cap. 8.* Falluntur ergo Nicephorus, qui *lib. 9. cap. 24.* auctorem facit Flavianum primi Versus *Gloria Patri, &c.* & Alcuinus, qui facit auctorem Hieronymum petente Damaso: vnde Epistola Hieronymi hac de re meritò reprobatur à Baronio anno 325. quidquid dicat Francolin. *1. par. cap. 2. in fine.* Hoc autem versu manifestè distinguimur à Ju-

dæs, Paganis & Hæreticis; conformamur Angelis, qui quotidie cantant trino Dœo & uno, Benzonius in *Magnif. lib. 5. cap. 2.*

12 Non dicitur *Gloria Patri* in tri-duo maioris Hebdomadæ. Ordo Romanus in *Dominica Mediana*; quia in passione Christi visa est Trinitas obscurari, Duran. *l. 6. c. 72.* neque in Officio Defunctorum; quia versus est latitiae, non mœroris, Walafr. *cap. 25.*

13 *Materia Psalmorum* ea est, vt sint quasi compendium totius veteris Testamenti. Quidquid enim Moses vel in Historia tradidit, vel in Lege præcepit; & quidquid Prophetæ reliqui vel exhortando ad virtutes, vel prædicendo futura scripserunt, id fere totum in Psalmis comprehenditur. legi de hac re Radul. *Prop. 9. & Bellar. Prefationem Psalmorum.*

14 De eorum *cantu* nunc dicendum. ab Apostolis habetur, *Coloss. 3. Ephes. 5. in Psalm. cantantes:* adeò vt ex Dion. de *Cal. Hierarch. cap. 3.* Psalmorum modulatio omnibus fere Pontificijs mysterijs, essentiæ instar, adhiberetur. Cantus autem primitiæ Ecclesiæ modico flexu vocis pronuntiati Psalmos quam canenti vicinior erat, ex Isidor. *loci citato;* quod accepit ab August. *lib. 10. Confess. cap. 33.* ubi facit auctorem huius moderati cantus Athanasium. renouauerunt hunc cantum Clerici Regulares.

15 De alterno *cantu* est magna quæstio, quis fuerit auctor. Inter Græcos videtur Dion. de *Calest. Hierarch. cap. 3.* hunc inuere cantum. item Basil. *Epist. 63.* qui testatur de ritu communī omnibus Ecclesijs, exemplo sumpto à cantu Antiphonarum Ignatiano, de quo *præced. cap. num. 2.* diximus. Cassianus, qui posterior, nondum

nondum videtur nouisse alternū cantum, lib. 2. *Instit. cap. 5.* & *cap. 10.* fortè loquitur de solo ritu Monastico, Faciunt autem alterni cantus Psalmorum Flavianum & Diodorum auctores, ex Athanasio hoc enarrante, Historici Græci; sed potius instauratores eos vocat Theodoret. lib. 2. *cap. 24.*

16 At inter Latinos, quāuis Tertullianus *l. 2. ad Vxorem ijs* verbis (Psalmum inter duos sonare) videatur significare alternum cantum; tamen de priuata ratione recitandi Psalmos explicatur: & Ambrosio tribuitur, qui Græcos imitatus, ex Isidor. *lib. 1. de Offic. cap. 7.* & teste August. *lib. 9. Confess. cap. 6.* primus inuexit in Ecclesiam alternum cantum: quem Damasus Decreto generali firmauit, & communem toni Ecclesiæ fecit, ut dicitur in Breuiario in eiusdem Feste. fusiūs hac de re Francolin. *l. par. cap. 3.*

17 Denique alternus cantus significat alternam Sanctorum ad benē operandum exhortationem, Hugo in *Spec. c. 3.* & quod alter alterius onera portare debet, Dur. in *Rat. lib. 5. cap. 2.*

18 Addit Amal. *lib. 4. c. 3.* standum esse ad Psalmos (quod hodie obseruant Clerici Regulares, & nostri Ordinis ad Officium diurnum) & Baroniūs probat ex P. Damiani ann. 1062. vt ex st. tu corporis, ait Amalar. demonstremus affectum mentis; hoc est, paratos nos esse sine ad domandam carnem nostram, sive ad exercitium operis (quod significat Psalmus, vt diximus) in causa nostra, & fratribus. Stantes etiam in operibus bonis faciliūs vincimus hostes, ait Durand. *loco citato.*

19 *Vfus* eiusdem Psalmi in pluribus Festis ad Matutinum eam habet causam; quia in eodem sunt plures &

variij versus, qui pertinere commodè possunt ad varia Festa, & suggestur varias ad rem accommodatas Antiphonas, vt rectè consideranti patebit: quod etiam notauit Duran. *loco cit.*

20 In Vesperis Festorum accidit mutatio vltimi Psalmi Dominicalium, vt sit conformior Festo. quam mutationem significat Radul. *Propos. 10.*

21 In postrema Breuiarij recognitione vñsum est asterisco interpunge-re Psalmorum versus, vt eorumdem lectio, etiam quoad puncta & commata, esset eadem quæ in vulgata editione sacrorum Bibliorum emenda-tiore Vaticana vltima anni 1598.

De Canticis.

C A P. I X.

Canticum secernit à Psalmo S. Hilar. in *Prol. expos. Psalmorū* satis fusè Breuiūs, auctore Euthymio, Psalmus est carmen cum instrumento psalterij; Canticum est vox musica cum harmonia ore solo prolat. Mysticè Psalmus bona opera, Canticum gratiarum actionem significat, ex Dur. *lib. 5. cap. 4.* Est autem Canticum antiquius Psalmus, cùm illius sit primus auctor Moyses: neque defuit eiusdem usus inter Apostolos. *Coleff 3.*

2 Septem Cantica ex sacris Litteris habentur in Breuiario. quorum ordo temporis est qui sequitur.

1 *Cantemus Domino*, quod est Moysis, editum anno mundi 2544. *Exodi 15.*

2 *Audite calique loqueror*. Eiusdem Moysis, anno 2583. *Deut. 32.*

3 *Exultauit cor meum*. Annæ matris Samuelis, anno 2904. *1. Reg. 2.*

4 *Confitebor tibi Domine*. Ilaiae, anno circiter 3314. *Isaia 12.*

5 *Ego*

5 Ego dixi in dimidio dierum meorum. Ezechiæ Regis, an. 3322. *Iſ. 38.*

6 Domine audiui auditionem tuam. Habacuc, an. circiter 3351. *Hab. 3.*

7 Benedicite omnia opera Domini Domino. Trium puerorum, anno 3462. *Dan. 3.*

Ex Euangelio habentur in Breuiario alia tria, quorū ordo temporis est.

Magnificat. B. Mariæ, *Luc. 1.* anno mundi 4051. ex *Torniello.*

Benedictus Dominus Deus Israël. Zachariae, eodem anno post tres menses. *Luc. 1.*

Nunc dimittis Domine, &c. Simeonis, *Luc. 2.* anno sequenti 4052. Christi primo.

3 Alius est ordo in Breuiario, nimurum in Dominica, Canticum *Benedicite, &c.* quia in Dominica vniuersa creata sunt confusæ, quæ in Canto inuitantur ad laudem Dei, Durand. *lib. 5. cap. 4.* sed Versus Cantici ab Ecclesia reducti sunt ad minorem numerum, reiecta illa repetitio-ne, *laudate, & superexaltate, &c.* quæ habetur in Daniele. præterea addidit in fine glorificationem Trinitatis, *Benedicamus Patrem, &c.* de qua meminit Amal. *lib. 4. cap. 10.* tamen paulò diuersa ab ea quæ hodie est in vñ. *Benedicamus,* inquit ille, Patri, & Filio & Spiritui sancto: nec responderet *Amen* in fine, sicuti neque in Missa *Quatuor Temporum.*

In Feria secunda, Canticum Isaiae; in Feria tertia, Ezechiæ; in Feria quar-ta, Annæ; in quinta, Moysis primùm, & de his afferunt mysticas causas val-dè arbitrias Amal. *lib. 4. à cap. 12. usque ad 16.* & Gemma *lib. 2. cap. 53.* à quibus ad verbum accepit Durand. *loc⁹ citato.* In Feria sexta, Canticum

Habacuc, in quo mentionem de Cru-ce facit: *Cornua in manibus eius.* Sab-bato, Canticum Moysis ultimum, de quo ait Beda in *Lucam.* Ad memo-riam priscæ Religionis, Canticum Deuteronomij, in quo vniuersus ve-teris populi status continetur, Sab-bato nonnullis in locis dici consuevit; alioquin esset præposterum, vt, prioribus septimanæ diebus Prophe-tarum dictis carminibus, Moysis ultimum diceretur. Hæc ille. Alcu-nus de *Celebrat.* *Missa ait,* idè recitari, quia dixit Apostolus *Act. 15.* quod Moyses habet in singulis ciuitatibus, qui eum per singula Sabbatha prædident.

4 Canticum trium puerorum est festivius, & idè in omnibus Festis dicitur, reliqua tantum in ferialibus, Gemma *lib. 2. cap. 53.* quibus addi-tur in fine *Gloria Patri,* more Psal-morum, à quibus parum differunt Cantica.

5 Tria verò Cantica Euangelica quotidie dicuntur, Amal. *lib. 4. cap. 8.* & causas vide suprà *Sectione prece-dentis cap. 2. num. 13. pag. 54. cap. 5. num. 8. pag. 58.* & *cap. 6. num. 9. pag. 60.*

6 Euatigelia vocantur ab antiquo-ribus hæc Cantica; ita Ordo Rom. quia sunt pars textus Euangeliij sancti Lucæ: & idè stant omnes dum hæc dicuntur, vt fit ad Euangelium in Missa. Plurimi initio Cantici for-mant sibi Crucem à fronte ad pectus, ex Beleth. *cap. 40.* quia est Euange-lium. & placet, tum quia hoc prescribitur Episcopo ad initium Cantici *Magnificat* in Cærimon. Episc. *lib. 1. cap. 1.* tum idem signum Crucis ad-hibetur in Missa initio Euangeliij, li-cet diuerso modo.

De

De Versibus. CAP. X.

A Vertendo dicitur *Versus*, Alcuin. cap. de *Celebrat. Missæ*.
Et hoc habet singulare *Versus*, vt excite corda cantantium ad requirendam faciem Dei in oratione, Amal. lib. 4. cap. 45. & præterea cap. 3. ait, vim habet, vt conuersti faciat totum Chorum ad vnum, & totam intentionem illius ad rem pro qua fit Officium. Idem repetit in *Ordine Antiph. cap. 1.* vbi ait, *Versum esse compositionem officialem, per quam reuertitur intentionis mentis. unde, eodem teste Amal. vertebar se cantantes Versum ad Orientem, lib. 4. cap. 2. vel ad Altare, de Ord. Antiph. cap. 1.*

2 Versus igitur post Nocturnos ante Lectiones dicuntur, vt excitemur ad Orationem Dominicam, Absolutionem, & Lectionem, ad quam lessio facile neglentiam parit, idem cap. 45. In fine quoque Psalmorum, id est operum, excitamus ad spem præmiorum, idem cap. 12. eod. lib. 4. Ante Cantica Euangelica, in Laudibus, Vesperis, & Completorio excitamus Versibus ad intelligentiam eorumdem, & ad Orationem proximam, idem cap. 45. Denique ante Orationem, & in commemorationibus semper adhibetur Versus, vt oratio ferueat, idem cap. 9.

3 In Paschate & eius Octaua non habentur Versus in Horis, vt alias; quia tanta est Festivitas cum breuitate Officij coniuncta, vt non egeamus stimulis, Amal. de *Ord. Antiph. cap. 7.*

4 Tempore Paschali additur utriusque parti Versus *Alleluia*, ad maiorem laetitiam exprimendam; non tamen Versibus Responsoriū additur; quia non terminant totum Responsorium, & non sunt Versus ad excitandum,

vt iij, de quibus in hoc capite.

5 Versibus, qui habentur in Precibus, non additur *Alleluia*; quia in his attenditur potius ratio humilitatis & mœroris quam laetitiae.

De Absolutionibus, & Benedictionibus. CAP XI.

A *Bsolutionum*, de quibus hoc loco, meminit Radul. Propos. 15. & puto ita vocari; vel quia absolvitur Nocturnum; vel quia simul cum Oratione Dominicæ præcedenti petimus (ait Hugo in Spec. cap. 3.) mundari corda & corpora nostra ad audiendum verbum Dei in Lectionibus. Nam Oratione Dominicæ dicitur, ex Duran. lib. 5. cap. 3. vt qui eget sapientia ad Lectiones intelligendas necessaria, postulet eam à Deo, qui dat omnibus affluenter; & vt eiusdem orationis auxilio proficiat in nobis renouata per præcedentem Versum intentio.

2 Versum appellat ipsammet quoque Absolutionem Gemma lib. 1. c. 5. Quasi, inquit, qui mandatum Legatis ad prædicationem iniungit, quasi absoluat eos, vt eant ad legendum. Rupertus lib. 1. c. 11. putat Absolutionem esse orationem, qua rogamus Dominum missis, vt mittat operarios in messem, & aperiat cor nostrum in legem sua, ne semen, id est verbum Dei, quod audituri sumus, aut volucres comedant, aut spinæ suffocent, aut in petra, quæ non habet humorem, arescat. Dicerem, Absolutiones appellari, sumpta denominatione à nobiliori quæ dicitur in tertio Nocturno, in qua sunt ea verba, *A vinculis peccatorum nostrorum absoluat nos*, &c.

3 Lector petit benedictionem magnæ

L humi-

humilitatis gratia; & Sacerdos, vt tantæ humilitati vicem reddat, poscit à Deo, vt benedictio prærogetur, Petrus Damiani de *Dominus vob. cap. 2.* Petit etiam benedictionem, vt mittatur. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Roman. 10.* Ruper. lib. 1. cap. 12. de *Diu. Offic.* Petit licentiam eundi; & benedictio est licentia, Gemma lib. 1. cap. 5. Vide, addit Hugo in *Spec. cap. 3.* quād larga potestas benedicendi tradita sit illi, cui iubere dictum est: *Iube Domine benedicere.* lecturis enim dicit Vicario Christi: quod principatum Ecclesiae innuit. Sacerdos autem orat, vt Dominus benedict, qui totius est fons benedictionis.

4 Lectio dicit *Domne, non Domine;* quia hic Dei titulus est, ille hominis præclarus, vt docet Baron. ex *Eudio anno 416.* sed tempore S. Hieronymi omnes sancti & homines alij vocabantur Domni, solus autem Deus Dominus. Papa ipse hodie appellatur *Domnus Apostolicus in Litanij Sanctorum.* Sed & ad ultimam Lectionem, quam Superior legit, debet hinc dicere, quicumque ille sit, Episcopo inferior, *Iube Domne, non Domine;* cui secundus in Choro responderet benectionis congrua verba; quidquid alij proprio marte scriperint, & nulla fusi auctoritate, non enim quilibet in Choro Superior æquandus est Episcopo. Notarunt aliqui, quod ille, qui solus Officium recitat, dicere deber, *Iube Domine:* sicuti dicit Sacerdos hoc idem in Missa priuata ante Euangeliū. & verè par est ratio, usus tamen non idem.

5 Benedictiones sunt in numero ternario, & in nomine distincto personarum sanctissimæ Trinitatis, & rectissimè, vt patet. Benedictio illa, *Domi-*

nus auxilium, dicitur etiam in Festis Trinitatis, Transfigurationis, Festis S. Crucis, & Dedicationis Ecclesie.

6 Absolutiones distribuuntur per Ferias quadam proportione, vt primus dies ferialis gaudeat prima, secundus secunda, tertius tercia Absolutione; & rursus quartus dies prima, quintus secunda, Sabbatum tercia. Cum Absolutionibus autem concordant Benedictiones, nisi Lectiones sint de Homilia, vel de Sancto, in Officio trium Lectionum. conuenit enim, vt magis in ijs casibus respondeant Lectionibus quād Absolutionibus. Sumuntur igitur in his casibus Benedictiones à tertio Nocturno; similiaque indicat Radulph. *Prop. 15.*

De Lectionibus. CAP. XII.

1 **P**Atet vocabulum *Lectionum*, eo quia leguntur, & non cantantur, vt *Psalmi*, Dur. lib. 5. c. 2. Usus earum originem dicit à lectione quæ fiebat in scholis Patrum, *Act. 13.* & 15. vt notat Amal. lib. 4. cap. 9. deducit ab Hebreis Isid. lib. 1. de *Offic. cap. 10.* qui certis diebus legebant de Lege & Prophetis in Synagogis; & legit Christus *Lnc. 4.*

2 S. August. *initio Exposit. ad 1. Epist. Ioan.* significat, tunc solitas legi certas Lectiones in Ecclesia ita determinatas, vt aliæ esse nequirent. Hieronymus (Damasi iussu creditur) composuit *Lectionarium*, teste Bernone de *Quibusdam ad Miss. spect. cap. 1.*

3 In Concilio Laodicensi can. 17. citato à Suan. lib. 4. de *Hor. Canon. c. 2. num. 16.* decreta fuit Lection post Psalmos, vel longa in Matutino, vel breuis in alijs Horis. Capitula enim sunt Lectiones breues, vt infra dicemus.

4 Nu-

4 Numerus verò Lectionum nec fuit maior nouem , nec minor tribus Lectionibus , Amal. lib. 4. cap. 9. vt per nouem coniungantur conuersatio ni nouem ordinum Angelorum ; vel vt tria prædicationis tempora designarentur , ante legem , sub lege , tempus gratiæ , idem cap. 11. Addit Ruper. lib. 1. cap. 13. pluralitatem Lectionum ad diuersos Nocturnos , seu Vigilias , indicare , quod nostrum est parare corda ad aperiendum Deo , quacumque hora pulsauerit verbo suo ; plures que Prædicatores esse , ut excusationi non sit locus. Cùm autem Psalmi , ut sèpè diximus , opera bona signifi cant ; nouem Psalmi & nouem Lectiones docent , æqualia in nobis esse debere , verbum & opus . In Profestis autem paucitas Lectionum innuit tempus antiquæ legis (nos enim Festa agimus , si comparemur cum antiquis Hebreis) in quo pauci Prædicatores erant . Hæc Rupertus .

5 Ex utroque Testamento desumi Lectiones Officij diuini , scribit Radulph. Propos. 11. à priscis usque temporibus ; & apud Romanos in primo Nocturno legi de veteri Testamento ; in secundo Nocturno Sermones ; in tertio Homiliae ; & per Hebdomadam continuari sacra Biblia . ibidem tamen non excludit à primo Nocturno Lectiones aliquando de novo Testamento : quod & hodie seruamus , ut in Rubricis patet .

6 Verum , quo ordine distribuuntur Lectiones primi Nocturni per annum ? Triplex est ordo sacrorum Librorum ; primum voco Conciliarem , alterum Historicum , tertium Ecclesiasticum . Conciliaris est ille ordo , qui habetur in sacris Biblijs sanctius à Concilio Tridentino Sess. 4. Isid. c. 12.

numerat septuaginta duos libros sacrorum Bibliorum : qui numerus non caret mysterio .

7 Historicus est , quem , ad pleniorum sacrorum Bibliorum & huius capitatis notitiam , compendio excerpti , & hoc loco descripsi , ex Annalium sacrorum duobus Tomis quater impressis Augustini Tornielli , Ordinis nostri , iuxta seriem temporum quo quisque liber scriptus fuit , vel potuisse scribi . Auctores dabo Sect. 6. quos hic desideras .

Nam Genesis continet Acta ab ortu Mundi usque ad annum eiusdem 2400.

Iob Historia contigit anno proximo 2399.

Exodus ab anno 2438. usque ad annum 2545.

Leuiticus pertinet ad annum 2545.

Numeri liber peruenit ad annum 2583.

Deuteronomium ad eundem spectat annum .

Iosue usque ad annum 2593.

Iudicum ab anno 2594. ad annum 2899.

Inter haec Ruth , circa annum 2748.

Regum primus à 2900. ad annum 2979.

Psalterium à 2964. exorditur .

Regum secundus ad annum 3017.

Regum tertius ad annum 3138.

Canticum canticorum circa annum 3021.

Proverbia , Ecclesiastes , circa haec tempora .

Sapientia est Salomonis , seu à Philone excerpta .

Regum quartus ad annum 3472.

Duo Patalipomenon concurrunt cum libris Regum .

Inter haec Prophetæ vixerunt hoc

L 2 ordine

84 Comm. in Rubr. Breuiarij. Sect. V. Cap. XII.

ordine usque ad predictum annum
3472.
Ionas enim circa annum 3227.
Oseas, Ioel, Amos, Abdias circa an-
num 3238.
Isaias ab anno 3253. ad annum 3338.
Michæas circa annum 3286.
Nahum circa annum 3321.
Tobias illuminatur anno 3329.
Habacuc circa annum 3351.
Ieremias ab anno 3407. quo cum So-
phonias.
Sed Ieremias compleuit annum 3448.
Baruch an. 3451.
Daniel ab anno 3438. usque ad an-
num 3519.
Ezechiel ab anno 3440. usque ad an-
num 3462.
Hi intra annos quarti Regum, exce-
pto Daniele.
Esdras circa annum 3517. usque ad
annum 3596.
Aggæus, Zacharias, Malachias, anno
3533.
Iudith anno 3572.
Neemias à 3609, ad 3629.
Esther, 3652.
Ecclesiasticus circa 3798. quo anno
flouere lxx. Interpretes.
Machabæorum duo à 3868. usque
ad annum 3919.
Nato Christo anno mundi 4050. vt
fusè probat Torniellus, qui vltra
Christum passum non scribit; pro-
sequor cum Baronio ordinem hi-
storicum librorum noui Testa-
menti.
Matthæus igitur scripsit Euangelium
anno Christi 41.
Petrus Epistolam primam anno 45.
Marcus Euangelium eodem anno.
Paulus ad Thessalonicenses primam
anno 52.
ad eisdem alteram, anno 53.

ad Corinthios primam, &c. i. ad
Timoth. anno 57.
ad Titum, 58.
Lucas Euangelium, anno 58.
Paulus ad Corinthios alteram, ad Ga-
latas, ad Romanos, anno 58.
ad Timoth. alteram, ad Ephesios,
anno 59.
ad Philippenses, Colossenses, Phi-
lemonem, Hebraeos, anno 60.
Acta Apostolorum à Luca completa
sunt anno 61.
Iacobus Epistolam scripsit ante an-
num 63.
Petrus Epistolam secundam anno 68.
Iudas Epistolam anno 68.
Apocalypsis anno 97.
Euangelium Ioannis, cum tribus Epi-
stolis, anno 99.
8 Tertius est ordo, qui Ecclesiasti-
cus dici potest, quia non est omnium
librorum sacrae Scripturæ, sed tantum
ad usum Breuiarij à Gelasio Papa de-
cretus 15. *Dif. cap. Sancta Romana.*
Est autem qui sequitur ordo.

In Aduentu legitur Isaias; quia, in-
quit Amalar. *de Ord. Antiph. cap. 76.*
nemo Propheta apertius locutus est de
Natiuitate Christi.

Ab Epiphania (imò à Natali Domini) ad Septuagesimam leguntur Epis-
tolæ S. Pauli; quia, inquit Ruper. *lib. 10.*
cap. vlt. dum repræsentatur Christus
in mundo, noui Testamenti præcones
audiri debent ante Quadragesimam.

A Septuagesima ad Dominicam de
Passione, Genesis & Exodus; quia Pa-
ssionem Domini celebraturi recurrere
debemus ad Adæ peccatum, pro quo
passus est: & dum legitur de Patriar-
chis, Abraham, Isaac & Iacob, qua-
si de diuersis ætatibus ad Christum
Chorus Patrum deducimus, Ruper.
lib. 4. cap. 5.

In

In Passione Ieremias legitur, qui multa narrat de eadem, Amalar. *loco citato cap. 76.*

Post Pascha Actus Apostolorum, Apocalypsis, & Epistolæ Apostolorum; quia virtute magna reddebat Apostoli testimonium resurrectionis Christi, Rupert. lib. 10. cap. ultimo. De Actibus indicat August. in Serm. quodam citato à Demochare Tom. 4. c. 12.

Post Pentecosten usque ad mensem Augustum libri Regum ponuntur, ut resumatur ordo Historicus à Genesi ad libros Regum, Amalar. *de Ord. Antiph. cap. 72.*

Mense Augusto leguntur Sapientiales libri; quia post libros Regum, æquum est ut Rex Salomon audiatur, feruenteque sole eo mense ferueat & Sapientia, Amalar. *loco citato.* sunt autem Proverbia, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus.

Mense Septembri Job, Tobias, Iudith, Esther: quamquam Gelasius pro Iudith Esdras ponit, sed Ordo Romanus habet Judith, ut imitemur eo tempore patientiam Jobi & Tobiae, inquit Amalar. *cap. 73.*

Mense Octobri Machabæorum libri leguntur. Amal. non addit causam quam alij reddunt, & mox enarrabimus.

Mense Nouembri leguntur Ezechielis, Danielis & duodecim Prophetarum libri; quia sæpè loquuntur de Aduento Messiae, quem celebramus in proximo Decembri, idem Amalar. *cap. 76.*

9 Rupertus à Pentecoste ad Adventum enarrans ait lib. 12. cap. 24 in lectione librorum Regum significari tempus Martyrum, bellorum & persecutionum Ecclesiæ post aduentum

Spiritus sancti; in libris Sapientialibus SS. Doctorum insinuari tempus. Cum legimus de sancto Job, pax Ecclesiæ representatur non absque temptationibus. Vel mense Septembri, in Job iustitiam discere possumus, in Tobia prudentiam, in Iudith fortitudinem, in Esther temperantiam. Dixi, in Job iustitiam, ut loquar ad usum nostrum: nam Rupertus pro Job habet Esdras, cuius libri tunc legebantur. Prosequitur capite vigesimoquinto, & docet, libros Machabæorum deinde legi, ut meminerimus, inter virtutum profectus vitiorum bella non desse: libros denique Prophetarum excitare nos ad spem & metum, usquequid redeat Christus in Aduento secundo. Hæc ille.

10 Durandus in Rat. lib. 6. cap. 114. has causas reddit. In Septuagesima legimus causam humani generis: in Quadragesima representamus sub Pharaone seruitutem; in Paschate exitum de Ægypto; per quadraginta dies Paschales, quadraginta annos in deserto; per Rogationes ingressum in Terram promissam; per septem dies Pentecostes diuisionem donorum Dei, & Terræ promissæ. Sub Regibus deinde fuerunt; & ideo libri Regum leguntur post Pentecosten. & cap. 129. addit: Præcedunt quidem libri exemplares, sequuntur doctrinales, redeunt alij exemplares, tum alij demum doctrinales; quia plus mouent facta quam verba, & hac vicissitudine ad perfectionem virtutis peruenit. Libris igitur Regum ad exemplum lectis, legimus Augusto mense doctrinales Salomonis libros; tum Septembri exempla Job, Tobiae, feminarum; & Milites ad virtutem mense Octobri nos incitant & impellunt: Nouembri

L 3 doctrinæ

doctrinales alij Prophetarum succedunt. Hæc ille fusissimè.

11 Initia Librorum sacerorum regulariter leguntur in Dominicis: quod si Festo aliquo impedianter, æquum est, ut ab initio libri in sequenti die non impedito auspicetur Lectio, in Rubr. num. 6.

12 Ex prædictis libris aliquid quotannis vel in proprio die, vel in sequenti, vel in præcedenti est legendum, in Rubric. num. 7. etiam si plura Prophetarum initia vno die sint legenda; hac adhibita lege, ut non extra propriam eorum Hebdomadam legantur, neque duo initia sub vna conclusione, *Tn autem*, &c. neque in præcedenti Feria, si in sequenti datur locus ea legendi, ut indicant verba Rubricæ. Quod si alicubi impedianter Feriæ Festis locorum proprijs, An in his initia legantur, omissis alijs Lectionibus primi Nocturni aliunde sumendis? dicemus infra opportunitori loco. *Sectio 6. cap. 21. num. 13.* Excipe sequentes causas. Primus est in Epistolis S. Pauli: eæ enim omnes simul constituant vnum librum, quem sufficit incepisse: & adueniente Septuagesima finis imponitur lectioni Paulinæ, licet tantum de Epistola ad Romanos seu Corinthios sit lectum. Alter casus est in libris Regum, adueniente Augusto. sufficit enim, quod de ijs lectus sit primus vel secundus liber.

13 Vbi vero contingit minui numerum Dominicarum post Epiphaniam, adueniente citius Dominicæ Septuagesimæ, & idè in Feria tertia, vel alia die proxima fit de Officio Dominicæ tertiae vel sequentium anticipatè; statim ac factum est Officium Dominicæ, in sequentibus diebus legi debent Epistolæ S. Pauli, quæ positæ

sunt in Dominica anticipata; quod in postrema recognitione decretum est, & adnotauimus in Tabulis nostris 8. 9. 10. 16. 17. & 22.

14 Quando de Scriptura per annum distributa non potest legi in Festo nouem Lectionum in primo nocturno; quia eo die non habetur in Breuiario, puta, quia sunt Quatuor Tempora, Feriæ Quadragesimæ, &c. vt in Rubrica num. 9. eo casu sumuntur Lectiones primi nocturni de Communi, quæ alioquin ad maiorem solemnitatem solent assignari: tunc enim ad necessitatem leguntur. quod intelligi debet non tantum in Festis occurrentibus, seu in die Octaua Festi habentis Octauam, in dictis Ferijs maioribus; sed etiam in diebus infra Octauas, de quibus Rubrica nona loquitur: eadem enim est ratio defectus. Si tamen in Festo habente Octauam lectæ fuissent in primo nocturno aliae Lectiones, non de Communi Sanctorum; eo casu repetendæ erunt eadem in eius die Octaua, ut aperte dicitur in Rubr. de Lectionibus num. 9.

15 Accidit etiam, assignari in Breuiario quibusdam Festis plurium Apostolorum Lectiones proptias in primo nocturno, quæ sunt propriæ alterius illorum; & eo casu, si dividatur Festum, quia alter eorum tantum est Titulus Ecclesiæ, iuxta ea quæ diximus supra Sect. 3. cap. 10. n. 11. pag. 37. alteri debentur Lectiones propriæ, alteri de Communi, quæ habentur in primo nocturno. Quæ item legi debent, quando aliquod Festum in propria Ecclesia solemniter celebratur, ex Rubrica citata num. 9. hoc est in Festo Patroni loci, Tituli, seu Dedicationis Ecclesiæ, & in Festis secundæ classis, ob maiorem solemnitatem; quod etiam fit

fit in Breuiario; imò verò etiam in Festis Patronorum minus principalium, more Duplicium majorum, quæ habentur in Breuiario, nisi ob angustiam temporis ponendum sit initium Prophetæ, quod in his Festis poni decretum est in postrema recognitione Breuiarij.

16 Pro secundo Nocturno Gelasius decernit loco citato, hæc Opuscula posse legi in Officio diuino, nimirum SS. Cypriani, Ioannis Chrysostomi, Hilarij, Ambrosij, Augustini, Hieronymi, Isidori, & Leonis Papæ: item Opuscula Orthodoxorum Patrum, qui à sancta Romana Ecclesia non defuerunt: præterea Vitas Patrum, Antonij & aliorum à sancto Hieronymo scriptas. De Bedæ Operibus nondum legebatur tempore Radulphi, vt ipse scribit *Propos. 11.* Primæ Historiæ de Sanctis in Officio diuino habuerunt auctores Paulum Diaconum iussu Caroli Magni, ex auctore *Ligni vite lib. 5.* & Isuardum, seu Vsuardum Monachum, qui degebat in humanis circa annum 800. ex Polydor. Virgil. *lib. 6. cap. 2.* Quas nunc habemus secundas Lectiones ex Historijs Sanctorum, cæ fuerunt à Cardinalibus Bellarmino & Baronio recognitæ, & approbatæ sub Clemente VIII. qui reiecerunt ea omnia, quæ iure merito reuocari poterant in dubium. Qua in re perdifficili, visum est illis ad Historiæ veritatem bona fide restituere SS. Lectiones, idque minima qua fieri potuit mutatione: imò, quæ controuersa erant, alicuius tamen grauis Auctoris testimonio suffulta aliquam haberent probabilitatem, retenta sunt eo modo quo erant, cùm falsitatis argui non possint; quamvis fortasse altera sententia sit à pluribus recepta. Por-

rò in enumerandis Romanorum Pontificum annis, à Cardinali Baronio non discesserunt, qui omnium exactissimus in hac re habetur. In Ordinationibus eorumdem secuti sunt librum *Pontificale inscriptum*, quod nomine Damasi circumfertur; cùm aliunde nihil certi haberi queat. Textus item sanctorum Patrum collati sunt proximè cum auctorum libris, & M. S. & melioris notæ impressis; ita ut in hoc genere emendatius nihil edi posse videatur. Ex quibus laudare non possum eos qui ritu Romano recitant Officium, & ab Officio ritus alieni mutuò accipiunt Lectiones de vita Sanctorum non approbatas Romæ, contra Rubr. Breuiar. *de Dupl. num. 1. & de Lect. num. 9.* vbi approbatæ requiruntur Lectiones auctoritate Sedis Apostolicae. Vide *Sett. 3. cap. 12 nn. 14. pag. 47.* Secundas autem Lectiones & 3. Nocturni ex SS. Patribus presumptas recognouimus postremò, vt concordent cum emendationibus eorum textibus siue impressis siue M. S. Codicibus Vaticanis. In translationibus Græcorum Patrum si varietas contigit, Breuiarij Romani lectio ceteris paribus retenta fuit.

17 Pro tertio Nocturno Euangeliū cum sua Homilia legitur, ex Radulph. *Propos. 11.* & quadrat ad representandum tempus gratiæ & Evangelij post eos qui ante legem & sub lege fuerunt, Duran. *libro 5. cap. 2. ex Gemma lib. 1. cap. 14.* Homilia Græcè, sermonem & colloquium sonat Latinè.

18 Monent Rubricæ, quando in Officio nouem Lectionum facienda est commemoratio de Sancto, vel Fe- riæ, vel Dominicæ, quæ habet proprium Euangeliū, quod legi debet

pro

pro nona Lectione; monent, inquam, ut de primæ Homiliæ Lectionibus octaua & nona fiat vna, quæ sit octaua: quod quamuis sit ad libitum, ut ex verbis Rubricæ de Lectionibus nam. 3. tamen in quibusdam casibus deberet omnino nona legi adiuncta octauæ Lectioni; nimisrum, quando in nona Lectione continetur laus propria eorum de quibus agitur Festum. Verbi gratia, in Feste SS. septem Fratrum, cuius in nona Lectione laudatur mater ipsorum; & in Feste sanctorum Martyrum Nerei, Achillei, &c. quorum laudes propriæ habentur in nona Lectione, & in gratiam huiusc nonæ Lectionis datum est Euangelium integrum eorum Feste, alioqui non valde congruum, à Dominica vigesima post Pentecosten desumptum. De nona Lectione de Sancto satis docuimus suprà pag. 43. num. 33. 34. 35. & 37. Reliquæ huius tituli Rubricæ patent.

19 In modo legendi illud obserua, ut legas titulum Libri, seu Euangeli, seu Sermonis, seu Homiliæ, nisi alter notetur, ut in Natali Domini. In Vitis Sanctorum eo tantum casu legitur titulus, quando est auctoris classici; puta, cùm legimus, *De lib. S. Hieronymi de Scriptoribus Ecclesiasticis*, & huiusmodi. Quærerit autem Hugo Victorin. lib. 2. de Offic. cap. 3. cur in Lectionibus diurnis, id est Capitulis ad Horas, & quandoque in Nocturnis, non pronuntiatur auctor, in Missa vero semper pronuntiatur titulus, excepta maiore Hebdomada? Respondet, ad Missam conuenire quoque bubulos, qui nesciunt de auctore, nisi doceantur; ad Horas autem Clerici conueniunt, qui benè norunt auctores Lectionum. Vt iam sit vera responsio, & Clerus minimè ignoret.

20 In fine Lectionis dicitur, *Tu autem Domine miserere nobis, non Domne*, ut ante Lectionem; quia cum Deo loquitur Lector, & indicat, ne ipsum quidem officium prædicandi sine aliqui vel leuis culpæ puluere peragi posse, Rupert. lib. 1. de Diuin. Offic. cap. 13. Cui succinit Chortis dicens, *Deo gratias*: quod ad totam Lectionem refert Rupert. cap. 14. quia, inquit, agimus Deo gratias, quod panem doctrinæ nobis frangere sit dignatus. idemque idem respondet in fine omnium Capitulorum, quamvis non addatur, *Tu autem Domine*, &c. Omituntur hæc in triduo maioris Hebdomadae, & in Officio Defunctorum, de quibus suo loco dicemus.

21 Denique ad Lectiones sedetur, Amalar. lib. 3. cap. 11. & lib. 4. cap. 3. vel silendo statur, *ibidem*; ad maiorem attentionem utrumque, ut probat Iulius Nigrinus in Regulis commun. Societatis Iesu, Reg. 2. num. 59.

22 Interrogatus quandoque fui, quænam Lectiones legi possunt in Festis S. Abrahæ, & S. Iob, quæ alicubi celebrantur. An leges primas Lectiones haustas ex Genesi & ex Historia Iob, quæ videlicet habentur in Dominica Quinquagesimæ, & r. Dominica Septembrii? in secundo Nocturno quæ ibidem habentur in eorumdem commendationem, & laudem? in tertio Nocturno Euangelium, *Homo quidam nobilis*, cum Homilia sancti Ambrosij, in nostro Octauario Romano, seu in Feste sancti Ludouici Regis? Vel, in primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente; in secundo Nocturno, quæ habentur in secundo Nocturno Dominicæ Quinquagesimæ, & Dominicæ r. Septembrii, sicuti pro Historia S. Agnetis legitur Sermo sancti

Eti Ambrosij in laudem eiusdem; in tertio ut suprà. Posterior hic modus mihi magis placeret, conformior alijs Sanctorum Festis. Quæ verò dicimus de SS. Abraham & Iob, valent etiam in Festis Sanctorum Isaiae, Ieremiæ, Danielis, Davidis & similium, vbi eorum Festa celebrantur, proprijs è Breuiario adhibitis eorum Lectionibus.

De Responsorijs.

C A P . X I I I .

Responsorium post Lectiones appellatur Historia à Mi-crol. cap. 32. & Radulph. Propos. 12. qua voce Rubrica nostræ non carent, Rubr. de Dominicis numero 7. quia prosequitur Historiam sacrae Scripturae in præcedente Lectio-ne lectam, ait Turrecrem. ad Regul. sancti Benedicti Tract. 66. & secundum ordinem Historiæ ordinata sunt Responsoria, inquit Amalar. in Ordine Antiphon. cap. 37. & 39. Responsorium autem à respondendo deducit Rupert. 1. de Offic. cap. 15. quia, inquit, respondent Lectionibus, tristia tristibus, lœta lœtis, succinente Choro. Vel quia à capite repetitur, Alcuin. cap. de Celebrat. Missæ. Vel quia, uno canente, Chorus consonando respon-det: antè unus, nunc duo, vel plures, Choro respondentे, ait Isidor. 1. de Offic. cap. 8.

2 Itali primū inuentores fuerunt Responsiorum, Isidor. loco cit. S. Hilarius videtur meminisse ad Psal. 65. Inter diuinorum, ait, Sacramentorum Officia responsionem deuotæ confessionis accipiat.

3 Additum est Gloria Patri à mo-dernis Apostolicis, ex. Amalar. de Ord. Antiph. cap. 1. & dicebatur in-

tegrè cum v. *Sicut erat*; quod nunc non dicitur, neque dicebatur tempore Radulphi, vt ipse testatur Propos. 12. quod præcepisse Concilium Tolera-num IV. can. 15. certum est, ea lege, vt in lœtis tantum sequatur *Gloria Patri*; in tristioribus repetatur ini-tium Responsorij, quod obseruatur in Dominica de Passione, & sequenti-bus Ferijs.

4 Significat autem Responsorium, quod exoptat nos Ecclesia non tantum auditores verbi Dei in Lectione, sed etiam factores post Lectio-nem, Amalar. de Ord. Antiph. cap. 4. & nouem Responsoria nos coniungunt gaudijs nouem Ordinum Angelicorum, idem lib. 4. cap. 9. Item significat assensum auditorum, Hugo in Spec. cap. 7. est item spirituale Canticum ad suble-uandos animos inter legendum, Amalar. lib. 4. cap. 3. est etiam Gratiarum actio de beneficio collato intra illam horam, cui cum Nocturno seu Ho-ra Canonica correspondeat Responsoriū, Duran. lib. 4. cap. 19. Et quia laus Dei repeti debet, ideo repetitur Responsoriū, & in fine additur *Gloria Patri*; vt de omnibus donis ac datis laudemus Creatorem, Amalar. de Ord. Antiphon. cap. 1. Tertio potissimum Responsorio annexatur *Gloria Patri*; quia Trinitati omne tempus, præteritum, præsens, & futurum subij-citur, Radulph. Propos. 12.

5 Qui inchoat Responsorium, idem & Verbum recitat, ait Ordo Rom. ce-teri repetunt, vt id ipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schisma-ta, Rupert. loco citato. Repetitio est im-perfetta, hoc est partis tantum Re-sponsorij; vt fateamur, opera nostra esse imperfecta, Duran. lib. 5. cap. 2. In aliquibus Festis est perfecta à ca-

M pite,

90 Comment in Rubri Breuiarij. Sect. V. Cap. XIII.

pite, vt in primo Responsorio Nata-
lis Domini, Paschatis, & i. Domin.
Aduentus, ad denotandam plenam
notitiam & perfectionem Sanctorum,
idem *ibidem*. Repetitio post *Gloria Patri*
debet esse breuior quam post
Versum, Radulph. *Proposit.* 12. quod
apud nos non raro fit, vt dimidiata re-
petatur periodus, quae est ante Ver-
sum, à Choro; quia in gratiarum actio-
ne ad Deum impares & diminuti su-
mus, ait Radulph. *ibidem*.

6 Quando dicitur *Te Deum*, Ro-
mani omittunt nonum Responsorium,
& octauo adducent *Gloria Patri*, Ra-
dulph. *Propos.* 15 quod octauum Re-
sponsorium in Dominicis per annum
est de Trinitate: *Duo Seraphim*, &c.
quia ex Duran. lib. 5. cap. 2. antiqui-
tus Lectio nona semper erat de Trini-
tate, cui respondebat nonum Respon-
sorium de eadem. Cessavit Lectio,
translatum est Responsorium in octauum
locum, & succedit *Te Deum* in
laudem Trinitatis, vice Lectonis de
eadem.

7 In Ferijs seu Festis trium Lectio-
num sumuntur Responsoria è No-
cturnis Dominicæ, seu Communi
Sanctorum, eodem ordine & propor-
tione qua diximus de Absolutionibus
& Benedictionibus suprà *cap. 11. nu-*
mero. 6. pag. 82. Et quando defunt in
tertio Nocturno Dominicæ, tunc in
Feria quarta & Sabbato suppletur
cum proximioribus Responsorijs, se-
cundo & tertio Feriarum secundæ: neque
alia est causa, quam necessitas cum vi-
cinitate comuncta.

8 Responsoria primò ponenda in
Dominicæ, si haec impediatur à Festo
Duplici, ponenda sunt in prima Feria
sequenti, tamquam Historæ princi-
pium, antequam dicantur alia Re-

sponsoria; eadem ratione, qua initium
libri legendum est ante alias eiusdem
libri Lectiones: quæ verò non possunt
dici, eo anno omittuntur. Neque vi-
sum est in recognitione Clementina
Breuiarij conuenire, vt pro recitatione
primorum Responsoriorum fiat Offi-
cium de Feria, translato Semiduplici
Festo, vel suppresso quandoque ob
hanc causam Festo Simplici: quod
aliàs fiebat cum admiratione populi,
qui Missam de Sancto potius quam
de Feria optabat audire. Excipe Do-
minicam secundam post Epiphaniam,
de qua suo loco dicemus.

9. Responsoria de Tobia, si in Do-
minica aut Ferijs secunda & tertia po-
ni non possunt, ponantur Feria quarta:
sed Feria quinta, ne eadem immediate
repetantur, poterunt dici *¶. secundi* Noctur.
Domin, eadem ratione qua
dicitur de Lectionibus in Festo san-
ctorum Philippi & Iacobi in Sabbato
ante Dominicam quartam post Pascha.

10 Tempore Paschali additur *Al-*
leluia ante Versum, non Versu: quod
asserit de Romana consuetudine Ra-
dulph. *Proposit.* 12; quia in Versu non
finitur Responsorium, sed in ea parte
quæ à Choro repetitur; cui tamquam
termino conuenit augmentum letitiae.

De Responsorij breuibus Ho-
rarum. C A P . X I V .

BRevia dicuntur tum in se, tum
respectu præcedentium Le-
ctionum breuiorum, id est
Capitulorum. Vnde Radulph. *Propo-*
sit. 12. appellavit Responsoria magna,
quæ capite præcedenti declarauimus.
Eadem autem de his ferè dici possunt
quæ de præcedentibus diximus, tum
de forma, tum de causis mysticis. Ad-

De Responsorijs breuibus Horarum

91

de cùm Amalar. lib. 4. de Offic. cap. 3. duo conuenire Ecclesiastico viro, exhortationem ad fratres, quæ fit in Responsorio breui; & singularem ad Deum deprecationem, cum intentione recta in gloriam Dei: quæ attenduntur in versu Responsorij, & in addito *v. Gloria Patri.*

2 Omititur *Gloria Patri* in tempore de Passione, resumiturque initium Responsorij, ob causam in precedenti capite allatam num. 3. pag. 89. ex Concil. Tolet. IV. Non omititur in Officio nouem Lectionum, ita ut, si in Dominica Passionis commemoratione fiat in secundis Vesperis de aliquo Festo Semiduplici, in Completorio dicendus erit *v. Gloria Patri*: quia Festum est iam inchoatum ea ratione quam attulimus de fine Hymnorum de beata Virgine *suprà cap. 6. num. 15. pag. 73.* sed vide infra *Sexta cap. 12. num. 8.*

3 Ad Primam fit variatio Versus pro varietate Festorum, ut in Rubrica de his Responsorijs num. 3. quæ mutationis habet easdem causas quas attulimus *suprà de fine Hymnorum vario in Festis cap. 6. num. 12. pag. 72.* Meminit Radulph. *Propos. 14.* mutationis huius in Natali Domini, Epiphania, Paschate & Ascensione Domini; de alijs Festis non loquitur: quare mutationis in his posterior est Radulpho. Decretum Ioannes XXII. mutari in Festo Corporis Christi, in *Decreto sapientis cit.* concurrentibus autem duobus Versibus proprijs, altero ratione temporis, altero ratione Festi, ut in Conceptione beatæ Virginis intra Adventum; præferri debet ratio Festi & eius Octauæ, sicuti in fine Hymnorum fit: quare in Dominica infra Octauam dicemus, *Qui natus es de Maria Virgine, ad*

Primam; non autem, *Qui venturus es in mundum.*

4 In Aduentu accedit ad Nonam mutatio Versus, qui in Dominicis dicitur, *Domine Deus virtutum converte nos, & in Ferijs dicitur, Veni Domine, & noli tardare.* Reliqua sunt eadem ad omnes Horas. Quærunt aliqui mystrium; sed nulla est alia ratio, nisi quod in feriali Officio dicuntur statim Preces, in quibus dicitur *v. Domine Deus virtutum, &c.* neque confueimus idem bis dicere in eadem Hora. Hinc ergo variatio illius Versus.

5 Tempore Paschali adduntur duo *Alleluia*, ex auctoritate Rómana, inquit Radulph. *Propos. 12.* & ex *Regula sancti Benedicti cap. 34.* quod alijs Festis nobilioribus conceditur, Natali Domini, Circumcisioni, Epiphanie, Festo Corporis Christi, & Transfigurationi; non tamen in his Festis adduntur ad Primam, & Completorium: & de Festo Corporis Christi negat Ioannes XXII. in *Decreto citato*. Additionis patet ratio, ad pleniorum latitudinem indicandam; vbi verba quasi defuncti ob breuitatem Responsiorum.

De Capitulis. C A P . X V .

1 **C**apitula, Lectiones breues, parvulae, Versiculi parvi, Collationes, sunt idem apud Radulph. *Propos. 13.* & 14. Capitella vocat Hugo lib. 2. cap. 1. quia, inquit, capita sunt & principia variationis ad Horas, cum præcedentia sint semper eadem. Capitula quoque dicuntur, quia ut plurimum in Festis sumuntur de capitibus Epistolarum quæ leguntur in Milla, Duran. lib. 5. cap. 2.

2 Ambrofius fuit auctor Capitulorum ad Tertiam, Sextam, & Nonam.

M 2

nam. Deinde Concilium Agathense can. 21. Distinct. 5. de Consecrat. cap. Connentit. iussit ea dici post psalmodiam; vbi & ea vocat Collectiones, non Collationes, ut malè legit Gratianus, quem corrigit Snar. libro 4. de Hor. Can. cap. 2. num. 19. vnde etiam corrigendus erit Radulphus suprà. sed Beda in Esdram ait, morem hunc inoluisse in Ecclesia ab Esdra desumptum; cuius tempore quater in nocte, quater in die conuenientes Hebræi legentem sacras Litteras audiebant: nam à nostris post singulas psalmodias Horarum Canoniarum legitur semper aliquid, & octies in Officio, si feriale est, si solemne, decies, propter tres Nocturnos, siue de veteri siue de novo Testamento, vel multum, vel parum. lege Hugonem lib. 2. de Offic. cap. 1. Aliqui dicunt quater in nocte nos legere, id est ad Vesperas, Completorium, Matutinum, & Laudes; quater in die, ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam.

3 Quærit Amalar. lib. 4. cap. 3. cur ante Capitula non petitur benedictio? Responder, quia ut plurimum has Lectiones legit Superior, qui Christi vicem gerit. Hebdomadarius eas legit, qui legentibus ad Matutinum, & ad Absolutionem in fine Primæ, & ante Completorium benedictionem impetrat, vicem & ipse maioris gerens.

4 Quærit Hugo lib. 2. cap. 3. cur à maioribus leguntur hæ diurnales Lectiones breves, à minoribus nocturnales? Responder, quia diurnæ varian tur: in qua varietate maiores sunt peritiiores ut eas inueniant, & opportune recitent; nocturnales autem facilius habentur ex Inuitatorio, & Psalmis, qui iuvant, inquit, ad distinctionem earumdem Lectionum. Facilius ha-

bentur (ego dicerem) quia Hebdomadarius peritor eas præparat, & signaculis dispositis aptè statim indicat quid sit legendum. hoc enim munus est eiusdem.

5 Quærit Duran. loco citato, cur longiores sunt Lectiones nocturnæ quam diurnæ? & responderet, noctu liberiū aures accommodari Lectionibus.

6 Tacetur in his Capitulis titulus, & nomen auctoris, ob causam supra allatam cap. 12. num. 19. ex Hugone pag. 83. Et præterea stamus ad Capitula, non sedemus, sicuti ad Lectiones Matutini: tum quia breves sunt Lectiones, & minùs fatigantur; tum quia, stante maiore qui Capitula legit, ob eiusdem reuerentiam stare debent alij, ut de nona Lectione ab Episcopo lecta in Natali Domini præscribitur in Carim. Episc. lib. 2. cap. 5.

7 In fine non dicitur, Tu autem Domine, &c. quia neque dicitur antè, In be Domne, &c. quæ duo sunt inuicem correlatiua; tum verò Sacerdos Hebdomadarius ea recitat, cui non conuenit ordinariè benedictionem ab alio petere: & præterea in breviori Lectione facilius culpa euitatur, præsertim à perfecto viro, qualem repræsentat Hebdomadarius qui Capitula recitat, Durand. loco citato.

8 Notat Radulph. Propos. 13. Capitulum Tertiae in Festis idem ut plurimum cum Capitulo Laudum & Vesperarum. Ratio esse potest, quia Vesperæ, Laudes, & Tertia, sunt Horæ nobiliores. Ad Tertiam enim dicitur Missa de Festo solemnis, & per Tertiam fit ad Missam aditus. Quare Capitula Vesperarum ter dicuntur, Capitula Nonæ bis, ad Absolutionem in Prima, & ad Nonam; Capitula ad Sextam semel, quæ sunt quasi meditullia Epist.

Epistolarum Missæ , sicuti Capitula Tertiæ initia Epistolarum, & Capitula Nonæ terminationes Epistolarum. Sed tempore Aduentus & Quadragesimæ quælibet Hora habet suum Capitulum pro toto tempore, ut dicemus suo loco.

9 Sumi verò debent ex Scriptura sacra, Radulph. *loco citato*, & de corde recitari, ait S. Benedict. in *Regula*. his enim Dei laudem agimus, & pronuntiamus , Radulph. *Propos. 8.* exhortamur nosmetipso & alios audientes, qui opere bono respondent; quod significat Responsoriū breue, Hugo in *Spec. cap. 3.* excitamus etiam deuotionem contra tedium, Duran. *loco citato*.

10 Discordant aliquando à textu vulgato sacrorum Bibliorum; quibus in casibus sufficit auctoritas S. Romanæ Ecclesiæ, de qua S. Bernard. *Ser. 3. Vigil. Natiuit.* hæc habet: Cùm Ecclesia , inquit , in Scripturis diuinis verba vel alterat, vel alternat, fortior est illa compositio quām positio prima verborum : & fortassis tantò fortior, quantum distat inter figuram & veritatem, inter lucem & umbram, inter Dominam & ancillam. Hæc ille. quæ notanda sunt pro casibus pluribus in Missali & Breuiario, si nulla alia suppetit ratio.

11 Semel in Officio Capitulum dicitur ante Hymnum, hoc est, in Completorio . cuius causam dedimus ex Hugo sup. *Section. 4. cap. 6. num. 8.* pag. 60. & *Deo gratias* in fine respondeatur. Vide causas *suprà cap. 12. numero 20. pag. 88.*

12 Omittuntur Capitula in triduo maioris Hebdomadæ , & in Officio Defunctorum; & suo loco afferentur causæ.

De Oratione. CAP. XVI.

1 **V**ica Oratio pro omnibus Horis communius habetur, ait Radul. *Prop. 13.* quæ novissimum locum in Horis Canonici tenet, ex antiquo Ecclesiæ ritu , ait Amalar. *lib. 4. cap. 45.* vt vñusquisque tali scuto, id est communi oratione rediens ad fina , muniatur contra omnia aduersa : vel , ex Hugo in *Spec. cap. 3.* vt diuina gratia , quæ actiones nostras præcessit, eadem ipsa subsequatur.

2 Eam dici in fine iussit Conc. Agathen. de *Confecr. Dist. 15. cap. Connexit.* quæ solet esse breuis, ne multum loquentes oremus, *Math. 6.*

3 Composuit Ambrosius plurimas, ex Gemma *lib. 1. cap. 87.* à Gelasio Papa auctæ & limata fuerunt, ex Siegeb. *ad ann. 487.* à S. Gregorio collectæ & distributæ , additis alijs , ex Walafr. *de Rebus Eccl. cap. 22.* atque Orationem concordare semper cum Officio & Evangelio S. Gregorij opera; assertit aperte Microl. *cap. 61.* nos certè Ambrofianis non paucis Orationibus utimur , vt suis locis indicabimus. Concilium verò Carthaginense , seu, vt alij, Africarum, *can. 70.* & Mileuit. *cap. 12.* quibus aderat S. Augustinus, reiiciunt non probatas Orationes à Missa, & consequenter ab Officio diuino; cui, & Missæ regulariter communis est Oratio.

4 Prima & Completorium retinent easdem Orationes, ob causam allatam *suprà Sect. preced. pag. 56. num. 12.* vbi de Horis egimus. Reliquæ Horæ eadem concluduntur Oratione.

5 Ante Orationem dicitur, etiam ab eo qui recitat solus, *Dominus vobiscum*, vt fusè probat P. Damiani in

M 3 Opuscu-

94 Comment. in Rubr. Breuiatij. Sect. V. Cap. XVI.

Opusculo de Dominus vobiscum; & præcertum cap. 4. intendere namque debet, se loqui cum Ecclesia, ut monet Nauar. in *Miscellan. 67. de Orat. numero 5.*

6 Quæ verba à Dion. *de Eccl. Hier.* appellantur diuinissima salutatio, desumpta ex libro Ruth cap. 2. & 2. *Paralip.* 15. cuius efficacia ab ipso Christo est, qui dixit *Matt. vlt.* Ego vobiscum sum. quam & Apostoli introduxerunt, *ex Concil. Braccaren. I. cap. 21.* Decretoque firmauit vel Clemens, ex Gemma lib. 1. cap. 87. vel Anacletus, ex Hugone lib. 2. cap. 11. vel eterque, ex Radulph. *Propos. 23.* sensus autem est: Dominus in vobis maneat, & petitionibus vestris effectum tribuat, Duran. lib. 4. cap. 14. vel, Sacerdos se habere pacem cum toto Clero & populo docet, ex P. Damiani *loco citato*; vel dicitur ad excitandam animorum attentionem ad Orationem, Rupert. lib. 1. *de Offic. cap. 31.* Dicitur etiam Dominus, non Deus; vel Christus; quia Dominus potestatem significat, Turrecrem. *in cap. Jacobus. de Conf. Diff. 1.* Hæc ferè eadem, & quæ sequuntur proximè, in priori Tomo; quæ tamen & hoc loco videntur opporenta.

7 Subditur statim, *Et cum spiritu tuo*, quasi alij optent Sacerdoti, quod ipse alijs optat, ex Floro *in Expositione Missæ*. quod est desumptum ab Apostolo 2. *Timoth. vlt.* neque dicitur *tecum*, sed *spiritu tuo*; quia spiritualiter Officia Ecclesiastica fiunt, ex P. Damiani *Opusc. cit. cap. 3.* vt nimirum unus sit affectus omnium, Amal. *libro 2. cap. 9.*

8 Non dicitur *Dominus vobiscum* nisi à Sacerdote, & Diacono, absente Sacerdote, vel non nisi de illius li-

centia: quod & docet Nauar. in *Miscell. de Orat. 67. nu. 3.* ex recepta consuetudine, quam testatur Durand. *libro 4. cap. 14.*

9 Excommunicatus autem Sacerdos non potest vti hac salutatione; etiam in priuata Officij recitatione; quia pertinet ad dignitatem Ordinis, qua ille indignus effectus est, Nauar. *de Orat. cap. 7. num. 16.* & fuisus Steph. Duran. lib. 3. *de Ritib. cap. 22.*

10 Qui non potest vti prædicta salutatione, dicat, *Domine exaudi orationem meam*, &c. cuius meminit Radul. *Propos. 20.* tamquam rei tunc etiam vñitatem. Docet Nauarrus in *d. Miscell. num. 6.* quando occurunt Preces, quarum finis est per Versum, *Domine exaudi orationem*, &c. non debere dici bis hunc Versum, sed semel tantum, ad vitrandam battologiam.

11 Additur *Oremus* ante publicam Orationem, ex August. *Epist. 106. ad Vitaliem*, vt inuitentur alij ad orandum.

12 Repetitur post orationem salutatio prædicta, *Dominus vobiscum*, ait Hugo *lib. 2. cap. 4.* sicut Christus dixit semel & iterum Apostolis: *Pax vobis.* Sacerdos enim dicens Orationem vicem Christi gerit, & idè regulariter stans eam dicit, ex Amalar. *lib. 4. cap. 4.* sed & ob memoriam futuræ resurrectionis stans eam pronuntiat, idem *cap. 7.*

13 Concluditur Oratione varijs modis, vt in Rubr. *de Oratione num. 4.* & vt plurimum per Christum; quia vt plurimum dirigitur oratio ad Patrem, *Matt. 6.* & *Ioan. 16.* tum ex Decreto Carthag. Conc. *cap. 23.* Rarè ad Filium dirigitur, & non antiquitus, vt notat Bellarmineus *de Missa lib. 2. c. 16.* quod factum est deinde, vt ipse quoque Filius creditur Deus. Numquam dirigit-

dirigitur ad Spiritum sanctum, quia donum Dei est, & à dono non petitur donum, sed à donatoribus, à quibus ille procedit, Duran. lib. 4. cap. 15. Prout ergo dirigitur Oratio, sit etiam conclusio, ut concinat sensui Orationis ultimæ, quando plures iunguntur simul, Nauarr. de Orat. cap. 19. num. 169.

14 Hoc autem est commune omnibus conclusionibus, ut semper in ijs fiat mentio sanctissimæ Trinitatis; ut intelligamus nullum fieri præaudi-
cium reliquæ diuinis personis, quæ in Oratione taceri videntur, dum consummatio ostendit, nullum esse discrimen in Trinitate. Ita Fulgent. lib. 2. ad Monimum quest. 1. In unitate Spiritus sancti Deus, non esse præponen-
dam vocem Deum, ex Romana aucto-
ritate, tradit Radulph. Propos. 23. &
in fine additur Amen, ut communem Orationem, quam Sacerdos recitat, omnes confirment, idem ibidem. Me-
minit huius ritus respondendi Amen in fine August. Tract. 41. in Ioan. & Epist. 178. qua vox Hebraea est, signifi-
cans, quod apud nos, Fiat, in preca-
tionibus usurpata ab Apostolis, 1. Cor-
inth. 14. numquam mutata, neque à Græcis, neque à Latinis. Origenes Tract. 35. in Matth. cum Ambrosio de Iis qui initiantur mysteriis lib. 1.
cap. 9. explicat Amen, hoc est, Verum est: qua ratione concordat Amen cum Orationis potius conclusione, quam cum oratione ipsa; quasi affirmetur, verum esse, regnare Deum in unitate Spiritus sancti, Innocent. III. lib. 2. de Myster. Missæ cap. 26.

15 Quando plures in Officio dicuntur Orationes, si quid inter eas intercedit, puta Antiphona pro commemoratione, ad singulas Orationes præ-

mittitur *Oremus*, ut rursus invitatio fiat ad orandum: quando una imme-
diatè aliam sequitur, ut in Litanij, non dicitur *Oremus*, nisi ad primam; quia Oratio non interrumptur, sed veluti una continuatur.

16 Prima Oratio concluditur in Laudibus & Vesperis; quia est princi-
palis, ad quam dirigitur torum Offi-
cium. Ultima item concluditur, quia colligit medias, & sua conclusione præcedentes firmat.

17 Si Oratio pro commemoratione sit eadem cum Oratione principali Officij, mutatur Oratio pro commemoratione, ne eadem repetatur: quod facilè contingit in commemoratione Patroni loci, seu Titularis Ecclesiæ, de Communi sumpta Oratione.

De Precibus, & Confessione.

C A P. X V I I.

1 **P**reces hoc loco sunt aliqui Versus, qui aliquando dicuntur ante Orationem, incipientes à *Kyrie eleison*, vel à *Pater noster*: quarum meminit Amalar. lib. 3. cap. 6. Ante Orationem, inquit, specialem Sacerdotum necesse est præcedere misericordiam Dei; ideo dicitur *Kyrie eleison*. Ter dicitur ad Trinitatem, Amalar. lib. 3. cap. 2.

2 A Græcis compositas fuisse pri-
mùm scribit Isid. lib. 1. de Offic. cap. 9.
vnde retinentur primæ voces Græca-
nicæ, *Kyrie eleison*, quæ significant,
Domine miserere.

3 Multiplicantur Preces ad Pri-
mam & Completorium, ut per diem
à malis imminentibus defendamur,
Hugo in Spec. cap. 3. & humilitatem indicant, quæ in principio & fi-
ne diei conuenit, idem ibidem. Dicun-
tur

26 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. V. Cap. XVII.

tur etiam nomine eorum qui quotidie
eadunt, & nituntur resurgere per pœ-
nitentiam, idem lib. 2. de Offic. cap. 2.

4 In Dominicis autem & Festis die-
bus stando dicuntur, ob memoriam
Dominicae Resurrectionis, idem ibid.

5 Dantur & flebiles Preces, quæ
non dicuntur in Dominicis, Amalar.
de Ordin. Antiph. cap. 7. de quibus
Microl. cap. 50. ait, quod ad omnes
Quadragesimales Horas genuflecti-
mus. De his Hugo loco citato loquitur,
cum ait: In alijs diebus genua flecti-
mus ad Preces. Psalmum Miserere ad
Vesperas dici, scribit Radulph. Propos. 15. & ad Laudes etiam; sed hodie
dicitur Psalmus De profundis, ne in
ijsdem Laudibus dicitur bis Psalmus
Miserere. Habetur Psalmus De
profundis ad Laudes, ab anno 1550. &
deinceps in Breuiario.

6 Docet Hugo lib. 2. de Offic. cap. 4.
in his Precibus ferialibus contineri
modos omnes orandi, quos enumera-
rat Apostolus 1. Timoth. 2. nimirum
Obsecrationem, cum petimus solutio-
nem malorum; vt illud: Ostende nobis
Domine misericordiam tuam. Postula-
tionem, cum precamur, vt omnia, quæ
sunt contraria bonis nostris, minuan-
tur, & superentur; vt illud: Conuerte
Domine usquequò. Gratiarum actio-
nem; vt illud: Confiteantur tibi omnia
opera tua: Benedic anima mea Do-
mino, &c. Pro his, inquit Paulus, qui
in sublimitate sunt orandum est; vt il-
lud: Domine saluum fac Regem: Ore-
mus pro Pontifice nostro N. Hæc ferè
Hugo. Regem autem hoc loco totius
Ecclesiæ, intelligimus Papam.

7 Infra Octauas, nedum in Dupli-
cibus, non dicuntur, nec in Vigilia
Epiphaniæ, nec in duabus Ferijs post
Octauam Ascensionis, quæ attinent

ad eamdem Octauam; vel quia Octa-
ua habet rationem vnius Festi; vel
quia prædicti dies habent solemniti-
atem Officij.

8 Ad Primam & alias Horas, ex-
ceptis Laudibus & Vesperis, diceban-
tur ferales Preces quotidie in Officio
feriali, quæ nunc recitantur ad Laudes
& Vesperas in Ferijs maioribus. Sed
Pius V. distinxit melius inter Horas
& Horas, inter Ferias maiores &
minores: nam ad Primam tantum &
Completorium dicuntur Preces ordi-
nariæ, ferales flexis genibus ad Lau-
des & Vesperas, longiores aliae ad Pri-
mam, non variantur ad Completo-
rium, nisi quod genua flectimus. ad
Horas item minores breuiores adhi-
bentur Preces. Flectimus autem ge-
nua usque ad Benedicamus Domino,
inquit Rubrica. An exclusiæ? affir-
marem; sicuti Hebdomadarius usque
ad Dominus vobiscum: ibidem intelli-
gitur exclusiæ. Et concordat hic ri-
tus cum Missa Feriarum maiorum, in
qua, dictis Orationibus, præcisè statim
surgimus: at usus communior non
surgedi, nisi dicto Fidelium anima, &c.
est magè pius, & retinendus; cum præ-
sertim addenda est Antiphona finalis
in fine Hora, ne rursus statim genua
flectamus. neque Rubrica aduersatur.

9 Ferales tamen Preces non di-
cuntur in Vigilia Nativitatis Domini,
nec in Vigilia & Quatuor Tempori-
bus Pentecostes; quia hi dies sunt fe-
stiissimi, ita, vt excludant etiam Pa-
tronos locorum: & hæc ferè omnia ha-
bet etiam Radul. Propos. 14. Neque
dicuntur in Dominicis priuilegiatis, in
quibus de die Octaua occurrente fit
tantum commemoratio, ex Ruiz in suo
Cerim. Romano, ratione scilicet Octau-
æ dici occurrentis.

10 To-

10 Totus dies Feriarum maiorum & Vigiliarum, si non sequatur Officium de Festo, humiliationis dies est: quare ad Vespertas dicuntur Preces ferales, licet Oratio non sit de Feria Quatuor Temporum, nec de Vigilia: quod accidere potest eo anno quo Festum sancti Mathiae occurrit in Feria quarta Cinerum, cuius gratia transfertur Officium in Feriam quintam Cinerum sequentem.

11 Quod attinet ad Confessionem, quae fit in Officio ad Primam, & Completorium; primò signum Crucis adhibetur ad *Adiutorium*, vt in Rub. de Prima 15. num. 2. sumpto ritu congruo ex Missali: nam per Crucem remissio facta est peccatorum. Confessio vero fit, vt quidquid in nocte vel die peccauimus, puniamus, Gemma lib. 2. cap. 64.

12 Quando quis recitat solus, omittere debet *vobis fratres*, &c. semelque recitans *Confiteor*, debet addere in plurali quæ sequuntur, *Misereatur nostri, peccatis nostris, perducat nos;* sicuti fit in Oratione Dominicâ ita in Rubrica citata de Prima. Ex quo sequitur, quod recitantes duo Officium simul nihil debent mutare in textu Breuiarij; sed, qui maior est, dicat, *vobis fratres, vos fratre;* qui minor, *tibi Pater, &c., te Pater,* sicuti dicunt inuicem, *Dominus vobiscum, Et cum spiritu tuo.* Neque Moniales mutare debent in verba, *Mater, Matrem, Sorores,* sed eodem modo loqui nomine Ecclesiæ ac si essent viri, ex Decreto sacrae Rituum Congregationis die decima octana Augusti 1629. alterna vero Confessione mundamur, inquit Hugo in Spec. capit. 3.

De Commemorationibus, & Suffragijs Sanctorum communibus. CAP. XVIII.

1 **R** Adulph. *Propos. 14.* appellat Memorias, quas hoc loco dicimus *Commemorations communes.* Suffragia Sanctorum vocat Gemma *lib. 3. cap. 45.* vbi tradit, ea diei in Dominicis & Festis Sanctorum. Meminit Micrologus *cap. 44.* & de Cruce nominatim *cap. 30.* de sancta Maria, & de Apostolis *cap. 44.* qui omnes sunt Patroni totius Ecclesiæ, ait Duran. *lib. 6. cap. 60.*

2 Miror, cur de Cruce, à qua pendet nostra salus, nonnisi fiat in feriali Officio? An quia Festa excludunt omnium cruciatuum imaginem ac memoriam? An feriali diei conuenit labor, Crucis & patientiae meditatio? nam tempore Paschali fit de Cruce commemoratio, ad victoriam eiusdem Crucis recoledam, à qua Resurrectio ortum habuit; cuius Oratio Paschalis est Ambrosiana in Mediolanensi Missali in Feria sexta Parasceues. Micrologo non placet commemoratio de Cruce ab Epiphania ad Purificationem; ergo erat in vsu, vt hodie: minùs tamen rectè sentiebat ille.

3 De sancta Maria non sit, neque in propria Ecclesia, quando dicitur eiusdem Officium parvum in Choro; de quo nos *Sectione ultima:* nec quandocumque Officium de die fit de ea. neque enim de eodem fieri debet Officium & commemoratione simul. Qui vero priuatim recitat Officium B. Virginis parvum, debet in Officio de die facere commemorationem de B. Virgine ac si illud non recitaret; nisi reciteret ratione Chori. Nihil autem refert,

N si di-

si diuidatur Officium B. Virginis ab Officio diei, puta, quia illud vesperi, hoc manè recitetur in Choro; quia ibidem utrumque dicitur, & vnum in ordine ad aliud.

4 Non separatur Petrus à Paulo, nec in vita, nec in morte; nec in Festis, neque in hac communi commemoratione, ait Duran. lib. 5. cap. 2.

5 De pace sit ultimo loco commemorationis; quia, qui pacem dedit, omnia bona uno verbo dedit, ait Glossa. & ultimum, quod expectamus à Deo, est pax æterna, pro qua oramus, obsecramus Deum per Dominum nostrum Iesum Christum.

6 De Patrono principali loci, & de Titulari Ecclesiæ hæc sunt notanda: Primo, eum esse Patronum loci, qui Maiorum auctoritate, & communi sensu populi recolitur ut Patronus: quia de re nos egimus supra Sect. 3. c. 12. nn. 1. pag. 44. Titularis autem Ecclesiæ ille est, à quo denominatur Ecclesia.

7 Deinde, pro dignitate Patroni vel Titularis Ecclesiæ, ante vel post sanctam Mariam & Apostolos, vel inter eosdem facienda est commemorationis; hoc est, de Titulo Trinitatis, Spiritus sancti, Corporis Christi, ante sanctam Mariam: de Saluatoris Titulo non sit, quando de Cruce fiat, quæ æquipollent. De Angelis, & de S. Ioanne Baptista, ante Apostolos, de Sanctis veteris Testamenti post Apostolos, licet in Litanij ordine temporis præcedant. De sancto, Patrono loci, ante Titularem Ecclesiæ, regulariter loquendo, nisi sit valde magna inter hos dignitatis distantia: quia in Rubricis præponitur Patronus Titulari, tit. 1. de Duplici num. 1. tit. 7. de Octauis num. 1. 3. 4. tit. 9. de Commemor. num. 3. tit. 35. de Commem. communibus num. 1. & in

Tabellis septies, licet titulo 4. de Dominicis num. 1. & tit. 9. de Commemorationibus num. 11. præferatur Titularis Patrono. sed in his duobus locis non attenditur ordo ex professo, alioquin Dedicatio Ecclesiæ inferior esset Patrono, quæ post eum in tit. 4. nn. 1. recensetur. Patronus principalis Ordinis æquiparatur Patrono loci, ut supradiximus in cap. de Patrono Sect. 3. cap. 12. nn. 24. pag. 49. Primum vero locum, ante quamcumque de Christo Domino commemorationem, ratione Tituli, in feriali Officio semper habet commemorationis de Cruce, ut expresse habetur tit. 35. nn. 1. in fine, quia Feria indicium est; ultimum, commemorationis de Pace, ibidem. Quod si de Cruce, tamquam de Titulo Ecclesiæ, facienda sit commemorationis, sufficit prædicta, quæ sit ante alias, ex Decr. S. Rit. Congreg. die 30. Marty 1621. & eodem modo sufficit commemorationis de S. Francisco apud eos Ordinis Minorum, quorum Ecclesiæ Titulus est lacrorum Stigmatum eiusdem.

8 Dices: Cur de Cruce primo loco fit, etiam ante S. Trinitatem, cum tamen in Rubr. Missalis de Commem. tit. 7. nn. 5. Votiva de Cruce cedat Votiva de Trinitate? Respondeo, in Misla rationem haberi dignitatis Votuarum, in Officio rationem ferialitatis, quæ non habet congruum locum in medio Suffragiorum non semper ferialium, quippe quæ locum etiam habent in Semiduplicibus. indicium enim est Feriae, ut dixi, commemorationis de Cruce.

9 Quæres adhuc, An in Ecclesia Omnium Sanctorum nomine dicata fieri debeat commemorationis de B. Virgine, & de Apostolis, & quo ordine. Respondeo, non esse omittenda Suffragia specialia pro generalibus, sicuti infra

fra Octauam Omnim Sanctorum fit etiam de S. Carolo, SS. Vitale & Agricola, & alijs. Deinde assigno locum commemorationis Tituli Omniū Sanctorum post Apostolos, vti fit in Officio paruo B. Virginis, *Protege, &c. &c.* *Omnis sancti tui, &c.* neque incongruit de eodem bis fieri mentionem, semel aperte, semel latenter, vt ducimus *Tomo 1. de Sexagesima pag. 235. n. 15.* & præterea commemoratione Omnim Sanctorum eo casu potest intelligi de alijs omnibus non expressis inter Suffragia Sanctorum communia.

10 Oratio de Patrono, seu Titulari, sumitur à die Feste eorumdem (non à Vigilia, neque à die Octaua, vt gratis quidam dicunt) mutato verbo Nativitatem, Natalitiam, vel aliud simile, in Commemoratione: quæ si minus congruit, sumatur alia de Communi. In Collecta S. Leonis II. pro Commemorationis Festa, lego Commemorationem: in Collecta SS. Dionysij, & Sociorum, tace, hodierna die: in Collecta S. Apollinaris, tace hunc. Nec est incongruum dicere, præsentem diem honorabilem in B. Ioannis commemoratione; neque qui venerandam sanctamque latitudinem in B. Bartholomai commemoratione, & his similia: quia non enuntiantur falsa; & commemoratione Patroni, seu Titularis, est quasi repetitio Festi per annum. Adeo cū Suar. de Sacr. Missæ q. 83. art. 2. dīsp. 80. seīt. 4. referri quādoque præsentia ad præterita: vnde circa meridiem celebrantes dicimus in prima Missa Natalis Domini, *Hanc noctem.*

11 Quæritur hoc loco: An, qui plures habet beneficiorum & Ecclesiistarum Titulos, teneatur in Officio totidem commemorationes facere. Respondeo primò: Si Tituli sunt de eodem, puta de S. Maria, licet diuersa

sint Titulorum Festa, sufficit commemoratione communis, *S. Maria, &c. &c.* & sic de alijs. Si Tituli diuersi sunt Sanctorum, poterit fieri altero ex duobus modis: vel distinguantur classes Sanctorum in Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines, ita vt unaquæque classis recolatur cum propria Antiphona, Versu, & Oratione, in qua iij nominentur, quorum Tituli sunt beneficiorum: vel de Maiorum licentia, formetur Antiphona cum suo Versu & Oratione, quæ conueniat omnibus; non exprimendo Titulos Martyrij, seu Virginitatis, & eiusmodi, ne fiat mendacium in Oratione. Habes exempla in Breuiario, in Feste SS. Nazarij, & Celsi, &c. in quorum Oratione non dicitur *Martyrum*, quia Innocentius, de quo ibidem, non fuit martyr, & in Feste SS. Alexandri, Euentij, Theoduli & Iuuenalis idem fit, quia non fuit martyr Iuuenalis.

12 Atque omissio hæc multarum commemorationum facilè lethalis erit, & sufficiens ad grauem materiam peccati mortalis constituendam, vt in simili probat Sanchez in Oper. mor. lib. 1. cap. 5. num. 16. imò & ad ratam restitutionis fructuum facienda teneri Beneficiarium in hoc casu, expressè docet Bonac. dissp. 1. quæst. 1. pun. 4. num. 28. sed rigorosa nimis est hæc doctrina.

13 Regulares autem debent facere commemorationem de eo Titulari, cuius Ecclesiæ sunt adscripti, & quamdiu sunt adscripti, etiam extra Chorum: eadem enim est ratio ac in beneficiato; cùm uterque alatur Ecclesiæ propriæ emolumentis.

14 Quid agendum erit in Officio Vigiliae Patrōni, seu Titularis Eccle-

six, qui Vigiliam habet in Breuiario? An in Laudibus cum alijs Suffragijs facienda erit de more commemoratione Patroni, seu Titularis & omittendam puto in hoc casu, sumpto argumento à simili allato suprà n^m. 3 de Officio sanctæ Mariæ, quod excludit communem hanc commemorationem de eadem; ne scilicet de eodem bis fiat in eadem parte Officij. Eadem ratio militat in Semiduplici Festo Inventionis, Translationis, & similium, illius, qui Patronus est loci, seu Titularis Ecclesiæ.

15 Cedunt hæ communes commemorationes commemorationi Festi Simplicis eo die occurrentis; quia Festi commemoratione priuilegiata est titulo festivo supra communem aliorum commemorationem: ideoque communes dictæ fuerunt, vt cedant priorēm locum festiuī.

16 Fiunt igitur ad recolenda Sanctorum merita, & ad imperrandum sacerdotiū eorum patrocinium, Duran. lib. 6. cap. 60.

17 Omittuntur autem initio Adventus, ex Microl. loco cit. vt in Adventu Principis cedant serui, Duran. lib. 6. cap. 2. item tempore Passionis, vt vni Christo crucifixo vacemus, idem lib. 6. cap. 60. & usque ad Octauam Pentecostes, ibidem. tum in Duplicibus, & infra Octauas, ea ratione, qua in Festis maioribus excludimus Sanctorum simplicium commemorationes, ad maiorem tum temporis Paschalis tum Festorum celebritatem. Item in Dominicis priuilegiatis, in quibus de die Octaua occurrente fit tantum commemoratio, ex Ruiz in suo Cærimonial. Rom. ratione Octauæ.

18 Pius V. mutauit Antiphonam pro suffragio beatæ Virginis in ple-

niorem, quæ est sancti Augustini Sermonc 18. de Sanctis, nimurum, Sancta Maria, succurre miseris, &c.

De Hymno Te Deum.

C A P. X I X.

Hymnus *Te Deum* à SS. Ambrosio & Augustino compo- situs fuisse dicitur, quando S. Augustinus baptizatus fuit, anno 388. vt scribit S. Dacius Episc. Mediolanen. lib. 1. cap. 10. Chronicus: quod tamen Chronicum non est Dacianum, si eruditioribus est credendum Mediolanensibus; qui etiam melius censem, totum Hymnum vni Ambrosio deberi, cum ille Dialogismo careat. In Breuiario M. S. Collegij Aniciani de Urbe antiquissimo legi pro titulo, *Hymnus S. Abundij*: de quo peritiores consului, qui tamen adhuc ignorant, quis ille possit esse. Gelasius autem decantari decreuit, ex Benzon. in *Magnif. lib. 1. cap. 19.* & S. Benedictus in *Regula cantarii* usit post tertium Nocturnum; quo significanter tempus gratiae, quasi Christum hoc tempore inuenierimus, exclamamus, *Te Deum laudamus*; vt meditatur Hugo lib. 2. de Offic. cap. 9.

2 Dicebatur Romæ in Festis Pontificum tantum tempore Amalarij, vt ipse scribit in *Prologo de Ordine Antiphonarum* in Dominicis & Festis nouem Letcionum, ait Micrologus cap. 46.

3 Non in profestis dicendum est, ait Innoc. III. de Celeb. Miss. cap. Consilium. quod explicat Radulph. *Propos. 13.* etiam de Festis Simplicibus. & *Propositione 16.* probat, quod non deberet dici, neque etiam tempore Paschali, neque infra Octauas. Ex quo infero, tunc temporis etiam in his diebus

De Hymno Te Deum, & Symbolo S. Athanasij. 101

diebus fuisse usurpatum in Officio, contra sententiam Radulphi non bene sentientis de hoc ritu.

4 A Septuagesima ad Pascha non dicitur, Microl. cap. 47. neque in Adventu, idem cap. 30. cum Gemma lib. 3. cap. 1.

5 An vero sit finis Matutini, vel initium Laudum, disputauimus supra Sect. 4. cap. 2. num. 3. pag. 52.

6 Plenus est laetitiae, & ideo in predictis cantatur, aut omittitur; quo dicto, inquit Rubrica de hoc Hymno num. 4 statim inchoantur Laudes. Nostra enim consuetudo humanæ infirmitati parens & labori, Officio nocturno Laudes Matutinas continuat, & Oratione una duo concludit Officia, Hugo Victor. lib. 2. cap. 9. excepta nocte Natalis Domini, ut ibi dicemus.

7 Festum Innocentum non admittit hunc Hymnum, nisi in die Octaua: cuius causam dabimus in Sectione sequenti cap. 6. num. 3.

8 Versus, Sanctus, Sanctus, &c. videtur esse unus, & ab una parte Chori totus dicendus: sed quia prima littera S. imprimuntur colore rubro, videntur alternatim ea verba cantanda; & ideo standum erit consuetudini locorum.

De Symbolo S. Athanasij.

C A P. X X.

1 **S**ymbolum quid significet, diximus supradic. 3. pag. 64. S. Athanasius, dum esset Romæ, scripsit Latinè Symbolum, de quo hic loquimur, & recitauit coram Pontifice, & ei assidentibus, anno 340. vt scribit Baronius: & est illud idem, non mutatum, legique solitum in Ecclesia ante annos nongentos sexaginta. Vide Annales ad annum prædictum.

2 De usu eiusdem Symboli ad Pri-

mam, Hugo meminit lib. 2. de Offic. cap. 1: his verbis: His addidit fidelium deuotio, *Quicumque vult saluus esse;* vt articulorum fidei, qui sunt necessariaj ad salutem, nulla diei hora obliuiscamus. Idem in Spec. cap. 3. ait: His adiungimus expositionem Catholicae fidei, ex eo, quod haec est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra, & clypeus inexpugnabilis contra antiquum hostem. Vide quæ diximus supra Sectione 4. num. 6. pag. 55.

3 Non dicitur in Dominicis infra Octauam Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, & Corporis Christi, nec in Dominicis Paschatis, & Pentecostes; quia harum Officia non sunt propriæ Dominicalia; neque in alijs Dominicis eadem de causa dicitur, in quibus fit de Festo dupli. Gemma lib. 3. cap. 128. notat, ideo non dici in Paschate, quia in futura vita, quæ in Paschate denotatur, totum habetur quod nunc creditur: quare simili ratione, ac si mysteria ipsa in Natali Domini, Epiphania, Ascensione, Festo Corporis Christi, & Pentecoste, oculis cernamus, abstinemus à Symbolo S. Athanasij.

4 In Dominicæ, seu Festo sanctissimæ Trinitatis dicunt, quia Symbolum de Trinitate doctrinam continet; non tamen quotidie dicendum est: ubi celebratur Octaua sanctissimæ Trinitatis, quia Dominicæ assignatum videatur: quare & in die Octaua dicendum erit; quod alias non diceretur. Dies enim Octaua æquè ac prima non eamdem classem, sed eundem ritum habet. In fine illius additur *Glòria Patri*, &c. vt fit in Psalmis: tum quia more Psalmorum cantatur; tum quia declarato mysterio Trinitatis, æquum est, vt eidem gloria detur.

N. 3

De

De Martyrologio: CAP. XXI.

Martyrologium legitur in Choro ad Primam: de quo Baronius multa in *Prefatione ante Romanum Martyrologium*: quæ verò ille fusiùs, breuius hoc loco dabo. S. Clemens per septem Notarios Romanos curauit ut acta Martyrum describerentur, quibus addidit ad eamdem causam septem Subdiaconos Fabianus Papa. Aliæ Ecclesiæ idem fecere, ut Smyrnensis & Carthaginensis, etiam ante S. Cyprianum Episcopum & Martyrem.

2 Gelasius deinde reiecit scripta in hoc genere apocrypha, & falsa, vetuitque legi in Ecclesia; sed & permulta legitimè scripta perierant in persecutione Diocletiani, qui edicto generali ea tradidit igni, non tamen omnia, Deo disponente, ut Gregor. Turon. de *Glor. Mart.* testatur.

3 Et quia quotidie ad Altare Dei fiebat commemoratione Martyrum, ac etiam, ut ait August. de *S. Virginit.* cap. 45. defunctorum Sanctimonia-
lium; ideo pridie recitabantur eo-
rum & earum nomina in Ecclesia,
quorum natalitia die sequenti reco-
lenda essent vna cum Sacrificio; atque
hinc origo Martyrologij, hoc est Ser-
monis de Martyribus.

4 Legebantur Tabulae Ecclesiastice Martyrum, quæ etiam Fasti dicti sunt à Tertull. de *Corona militis*, eò quod in Sanctorum natalitijs Christiani solerent mutua inter se charitate gaudere, & coniuivum celebrare, quod Agape dicebatur, seu sacrū Epu-
lum natalitium, ex Nazianzeno, lege Pamel. in *Epist. 37. sancti Cypriani*.

5 Porro Martyrologij Romani ne-
scitur proprius auctor. Fuit ille ante

S. Gregorium, ut appareat *ex eiusdem Epistola 29. lib. 27. Indit. 1.* non ta-
men fuit Eusebius Cæsariensis, neque S. Hieronymus, qui ad summum Hi-
storiæ Martyrum ab Eusebio scriptas
redegit in compendium. Addidere
Martyrologio Romano idem Hiero-
nymus, Beda, Florus, Vfuscarius, Wan-
delbertus, & Ado Viennensis, non
Treuerensis, ut optimè probat Heribertus Rosweyodus ante Adonis Mart-
tyrologium: sed nemo ex his dieundus
est auctor. In Breuiarij M. S. antiquioribus pro Martyrologio ego legi,
Datarium Calendarij.

6 Continet autem Martyrologium Romanum ex omnibus Christiani orbis Provincijs collectos Martyres; quia Romana Ecclesia materna charitate fideles omnes filios suos esse nouit: neque tantum Romæ passos cen-
suit esse suos, sed omnes alios ubique gentium coronis auctos. Verumtamen neque datur singillatim singulorum nomina recensere; tum quia super aream multiplicati sunt amici Dei; tum quia ex instituto antiqui ritus, Ecclesia breuitati fuit consulendum.

7 Tertia editio prodij purior &
emendatior, edita anno 1584. curante
Cæsare Baronio. Recognita fuit rur-
sus Urbani VIII. iussu, additis San-
ctorum Festis, qui nuper canonizati
sunt; & in primo loco positis ijs, qui-
bus datum est Officium de præcepto:
tum verò emendatus fuit textus mul-
tis in locis iuxta veritatem certissimæ
Historiæ, me quoque minimo om-
nium collegarum præsentę; & minus
certa interim commisimus temporis
decernenda maturiùs. quod intelli-
gent ij, quæso, qui mutationem opta-
uere maiorem in ipso textu: qui verò
vtuntus antiquiori textu non prohi-
bito,

bito, obseruent ea tamen quæ dicuntur infrà num. 12. Dabimus in calce huius Tomi Concordiam Martyrologij cum Breuiario.

8 Ad illud legendum opportunaæ datæ sunt leges initio libri, è quibus quarta & sexta sunt obseruandæ magis: ut nimirum primo loco pronuntietur ille regulariter, de quo in sequenti die faciendum est Officium, etiamsi non sit in Martyrologio, si à Maioribus ritè decretum sit Officium. Alij Sancti, de quibus non sit Officium, & de quorum sanctitate nullum est dubium, nominari possunt suis locis, Martyres post Martyres, Confessores post Confessores, Virgines post Virgines, eo fine, vt in proprijs locis, vbi merito coluntur, quotannis recolantur saltem in Martyrologio. Dixi pronuntietur, & nominari possunt; non autem dico, describatur, & describi possunt, nisi separatim, non autem in ipsomet Martyrologio Romano: nam illa concedūtur in Regulis Martyrologij approbatis in Bulla Gregorij XIII. hæc autem prohibentur in eadem Bulla, data die 14. January 1584.

9 Translato tamen Festo alicuius Sancti iuxta Rubricam de Translatiōne Festorum, non sit translatio de eodem in lectiōne Martyrologij, nisi in casib⁹ in Martyrologio expressis. Nam licet, vt dictum est, legatur prius die de eo Festo, quod in sequenti die Officium in Calendario habet, non tamen ita sit semper, sed vt plurimum: quod patet in mense Ianuario, in Festis SS. Hilarij & Pauli primi Eremitarum, & in Septembri, in Festo Sanctorum Cornelij & Cypriani; de quibus legitur in Martyrologio pluribus antē diebus quam Officium hat.

10 Dices: In anno Bissextili trans-

fertur Vigilia S. Mathiæ, & eiusdem prænuntiatio in diem 24. ergo translato Feste aliorum Sanctorum, transferri debet de eodem nominatio in Martyrologio. Respondeo, legem haberi certam in ipsomet Martyrologio de hac Vigilia, & S. Mathiæ Feste: & ratio legis fuit, quia verè cum nomine Vigiliae ieunium quoque transfertur, & cum Vigilia Festum. Quia ratione conuenit etiam anticipari extra Romanum, quæ de Vigilia & Feste S. Bartholomæi habentur in Martyrologio Romano: at in alijs Sanctorum Festis, etiamsi transferantur, nullum contingit mendacium; quia verè eo die, quo leguntur in Martyrologio, illi obiere: & præterea in translatione plurium Festorum difficilior esset Martyrologij lectio, retrocedendo per dies aliquando multos.

11 Translata quoque Vigilia in Sabbatum, non anticipatur lectio de Vigilia in Martyrologio, licet anticipetur Officium cum ieunio.

12 Per eamdem Regulam quartam legenda sunt primo loco nomina Sanctorum qui adduntur in dies Breuiario Romano, etiam eorum, quorum Officium ad libitum recitari potest, si illud recitandum sit in Choro.

13 Sexta vero Regula decernuntur formulæ prænuntiandi Festa Domini. mobilia, quæ primo loco post Lunæ prænuntiationem annuntianda sunt, excepto Paschate, quod, antequam legantur Calendæ, annuntiatur; & ratio patet, quia in ipso die Paschatis annuntiatur, Calendæ vero pertinent ad sequentem diem: & quia mobilia Festa incertam habent sedem, ideo initio Martyrologij fuerunt datae formulæ propriæ numerò nouem; nempe pro Dominica Septuagesimæ, die

Cine-

Cinerum, Dominica Palmarum, Cœna Domini, die Paschæ, Ascensione, Pentecoste, Festo Trinitatis, & sanctissimi Corporis Christi,

14 Legitur autem Martyrologium post Orationem ad Primam, Gemma lib. 2. cap. 58. & in fine additur Versus ad lectionem accommodatus, *Pretiosa in conspectu Domini*, &c. in veneracionem, inquit Hugo 2. de Offic. cap. 2. Sanctorum omnium. Inuocantur ideo Sancti per Orationem sequentem, *Sancta Maria, & omnes Sancti*, &c. à quibus ad Deum trinum eleuamur, repetito Versu ter, *Deus in adiutorium meum intende*; quem & precamur secreto Oratione Dominicæ, tum versu Davidico, *Respice in seruos tuos*; denique Oratione, qua dirigi postulamus in omnibus toto die. Vide Sectionem precedentem cap. 3. à num. 9. pag. 56.

De fine Officij, & Antiphonis finalibus beatae Marie.

C A P. X X I .

HOrarum finis solet esse post Orationem per Versum, *Benedicamus Domino*. 32. *Deo gratias*. Subsequitur, inquit Amal. lib. 4. cap. 4. Benedictio, & gratiarum actione (dixerat de Oratione) quia Christus benedixit Apostolis cùm discederet: & Apostoli in gratiarum actionem adorauerunt, quod notauit Hugo libro 2. de Offic. cap. 4. Idem cap. 2. dixerat etiam, morem fuisse Monachorum, cùm discessuri erant, petendi benedictionem à Superiore; quæ & congruè à Deo petenda est in fine cuiuslibet Horæ.

2 Addit idem in Spec. cap. 3. voce puerili cantari, hoc est à pueris, Bene-

dicamus Domino; quia omnis laus puerilis est respectu Dei, quem laudamus; & quidquid huc dici potest, minus est laude Dei. *Deo gratias*. quasi dicamus: Placet, vt pium est, in laude Dei superari, idem ibidem.

3 Pietas Ecclesiæ erga Defunctos ea est, vt peracto Officio diuino ad utilitatem viuorum, suffragetur statua & Defunctis qui degunt in Purgatorio, eo Versu finali addito, *Fidelium anime*, &c. cuius tamen ritus non meminere antiqui.

4 Qui Versus non dicitur ante *Pretiosa* ad Primam; quia adhuc non est finitum Officium Primæ, cui deinde additur in eiusdem fine: neque ad Completorium habet in fine locum congruum; non enim ante Antiphonam beatæ Virginis, quæ ad Officium viuorum attinet; neque post eam, quam sequitur Oratio Dominicæ cum salutatione Angelica, & Symbolo Apostolorum. Quare forcè hinc factum est, vt sub nocte dato signo cum campana fiat commemoratione Defunctorum, vt aliquo modo suppleatur Completorio, quod noctis initio recitabatur. Neque dicitur post aliam Horam, si aliud sequatur, vt, Vel Missa, sicuti fit in nocte Nativitatis Domini; & hoc idem legi inter ordinationes Officij editas à S. Bonaventura, impressas in libro Clericorum familiari Venet. anno 1561. Vel Officium parnum beatæ Mariæ, septem Psalmi, Litaniae: in quorum fine dicitur, *Fidelium anime*, &c. Vel Officium Defunctorum, in quo pro iisdem abundantius oratur, omnino extrellum locum habere debet. Nouissima enim est mors, ait S. Paulus 1. Cor. 15.

5 Dicta Oratione Dominicæ profine Horæ ea ratione qua diximus su-

præ

præ cap. 1. addimus Versum, *Dominus dedit nobis suam pacem*; quem apud aliquos fuisse in vsu docet Durand. lib. 5. cap. 2. num. 6. sequitur autem vna ex Antiphonis B. Virginis, quas non legi apud antiquos. Habentur in Breuiario Ven. edito 1521. vbi dicuntur statutæ à Clemente VI. anno 1350. meminitque Turrecrem. in Regul. S. Bened. ad Completorium. De ijs tamen distinctè meminit Io. Patmensis in Epistola data ad Fratres suos Minores anno 1249. quam recitat Lucas Wadingus eodem anno in Annal. Min. num. 2. vbi easdem quatuor, quibus nos vtimur, solitas cantari post Completorium indicat à Franciscanis; quorum opera paucis antè annis Breuiaria, ut dictum est suprà, fuerant reformata, & Romæ recepta, sub Gregorio IX. & Innocentio IV. vt egregie probat idem Lucas anno 1244.

6 *Alma Redemptoris* ab Hermanno Contraclio fuit composita, ex Benzon. in Magn. lib. 1. cap. 19. obiit ille anno 1504. ex Wion in *Ligno vite lib. 5.* Versiculi varij ante & post Natiuitatem vnà cum varijs Orationibus manifestam causam habent: cùm enim primæ Vesperæ sint initium Festi Natiuitatis Domini, ideo ab ijsdem dicitur *¶ Post partum*; sicut etiam in Hymnis, *Qui natus es de Virgine.*

7 Dicitur hæc Antiphona usque ad Purificationem inclusuè, ita, vt si Purificatio quoad Officium transferatur, Antiphona hæc quoque non dimittatur, nisi in fine illius Officij; imò vero, si Purificatio alicubi Octauam habeat, adhuc Antiphona hæc dicenda erit usque ad Completorium diei Octauæ exclusuè, seu usque ad finem Octauæ, si fortè contingat finiri ad Nonam pridie Feriæ quartæ Cinerum; quia to-

ta Octaua pro die uno reputatur, ex Radul. suprà citato de Octauis. Et ita decreuit facra Rituum Congregatio in Officijs auctoritate ipsius editis Romæ anno 1616. ad usum Patrum Discalceatorum Carmelitarum. Et licet usque ad Purificationem, tam in Suffragijs communibus quam in Antiphona finali Officij, dicantur idem versus & eadem Oratio; nihil tamen refert, quia non intra Horas fit repetitio, quæ regulariter prohibetur; sed post Horas fit repetitio, quod eadem de causa accidit toto die Circumcisionis Domini, quoad Orationem *Deus, qui salutis, &c.*

8 Quod si diuidantur Vesperæ Purificationis à Completorio eiusdem, adhuc dicenda est post Vespertas *Alma Redemptoris*, quæ pertinet ad partum Virginis. Rubrica enim iubet mutari Antiphonam in fine Completorij; tum vt sequens Antiphona post Purificationis Officium, quod terminatur in Oratione Completorij, habeat locum; tum vt in Completorio solemnius dicatur, in quo reliquæ inchoari solemniter solent, non autem in Laudibus dici sequentis. Atque hic fuit sensus eorum, me præsente, qui Breuiarium recognoverunt auctoritate Clementis VIII. Et verbum in Rubrica *exclusuè* non attinet nisi ad Ferriam quintam in Cœna Domini, cui proximè adhæret, qua de re dubitare non pauci. In recognitione Vrbanæ Breuiarij additum est Rubricæ de *Ave Regina* verbum *inclusuè*, ex Decreto S. Rituum Congregationis 27. July 1624.

9 *Ave Regina celorum* habet innominatum auctorem. Versus eidem additus, *Dignare me, &c.* est S. Ephtæm, teste S. Hieronymo citato à Cornelio

O Schul-

Schultingio Tom. 4. par. 3. de Peculiaribus Missa.

10 *Regina cali latare ab Angelis inuenta, & edita, ex antiqua traditione, vt scribit Sigonius lib. 2. Italici Regni, & ab eo Canisius vlt. libro de B. Virginie cap. 22. cui addidit ultimum Versum, Ora pro nobis Deum, S. Gregorius Papa, quando tempore Paschali pestis inguinaria deuastabat Romam, vt in eius Vita narratur, & à Durando lib. 6. cap. 89.*

11 *Salve Regina vel habet auctorem Petrum Compostellanum, ex Dur. lib. 4. cap. 22. vel Hermannum Contractum, ex Trithemio lib. 2. de Viris illustribus Benedic. c. 84. ann. 1040. Certè canticum hoc fuit statim receptum, & in diuinis Officijs cantatum, ex Benzonio in Magnificat, lib. 1. c. 18. S. Bernardus pijs Commentarijs hanc Antiphonam illustravit, que habentur in Operum eius Tomo 2. & eamdem auxit vltimis ijs verbis, O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria, vt habetur in lib. 12. Chronic. de Vrbe Spirensi.*

12 *Gregorius IX. decreuit prædictam Antiphonam recitari in Matutinis & Vesperis anno Domini 1239. Bzouius eodem anno: non eam tamen legi in Breuiarijs antiquis, sed in Breuiario Card. S. Crucis edito sub Paullo III. Lége Nauarrum de Orat. c. 19. num. 184. vbi eam dicit cantatam ab Angelis in Sabbatis in Roncaualle; & appellari Cantionem nauticam, quia nautæ eam frequenter habent in ore naufragantes.*

13 *Extra Chorum prædicta Antiphonæ dicuntur tantum in fine Completorij, & Matutini, post Laudes, si tunc terminatur Officium: quando verò separatur Matutinum à Laudibus, non dicuntur; possunt tamen*

semper dici post quamcumque Horam ex deuotione. Conuenit autem, vt ex septem Horis prior in ordine, hoc est, Matutinum cum Laudibus, & ultima, quæ est Completorium, concludantur sub inuocatione B. Virginis; & solemnius ultima, qua completur totum diei Officium. Si alia sequitur Hora, dicuntur post ultimam Horam, non ratione Horæ, sed ratione Matutini, & Laudum.

14 Dicuntur semper post quamcumque Horam, quando à Choro discedendum est, etiam post Horam Officij parui B. Virginis, vt recessuri salutent priùs beatam Virginem, quam initio cuiusque Horæ salutauerunt cum Angelica salutatione; vice cuius in fine Officij dicuntur hæ Antiphonæ post Orationem Dominicam.

15 Numquam verò dicuntur post aliquam Horam, quando subsequitur cum Officio diei Officium Defunctorum, etiam ex deuotione recitandum; quia tunc non essent Antiphonæ finales Officij, sequente alio Officio: neque quādo subsequuntur Psalmi Penitentiales, quorum finis proprius habetur alias ab his Antiphonis. eodem modo, quando solæ Litaniæ subsequuntur. Dixi, ex deuotione recitandum; quia hoc significant ea verba, præterquam post Completorium, etiam si prædicta sequantur: ergo possunt sequi, etiam ex deuotione, nedum in ratione Officij, quod vel sequitur Vesperas, vel Laudes, non autem Completorium. Neque item dicuntur, quando subsequitur Missa; quia continuatur Officium diuinum, qualis est Missa: neque per Antiphonas prædictas facienda est interruptio, seu diuisio. Oratio verò mentalis post Horas non tollit has Antiphonas finales, sed debent dici,

dici, licet à Choro non discedatur. Si tamen Missa longiori mora differatur, eo casu erunt dicendæ, ac si discedendum esset à Choro: nam in Rub. 36. num. 3. habes hæc verba: *Quando post aliquam horam immediate (nota adverbium) subsequitur Missa.*

16 Sed quætitur, An finita deinde Missa, & nulla alia sequente Hora, dicendæ sint. Respondeo, ex modo loquendi Rubricæ de his Antiphonis num. 3. colligi posse videtur, eas omittendas esse. Nam de Completorio in Rubrica dicitur, quod in eo semper hædicantur, etiam si prædicta subsequantur: de alijs Horis dicitur, quod si post Laudes alia subsequatur Hora, in fine vltimæ Horæ dicendæ sunt Antiphonæ. ergo, cùm ibidem dicatur, num quā dicī, absoluē prohibentur dici, tum in fine Horæ, si prædicta subsequantur; tum in fine prædictorum, & Missæ, quæ subsequuntur post Horam. Confirmatur ex praxi, quæ habet, ut non dicantur hæc Antiphonæ post Missam Sabbati sancti, neque post Officium Defunctorum, quod coniungitur Officio diei; ergo neque alijs post Missam erunt dicendæ. Proprius etiam modus finiendi Missam videtur excludere has Antiphonas. Vnde & Carmelitæ, ex instituto Regulæ, easdem recitant ante vltimum Euangeliū, quod debet esse Missæ terminus, & finis. Neque dicas cum quibusdam, Rubricam loqui de Horis minoribus, Prima, Tertia, Sexta, Nonna, ita ut post Vespertas Defunctorum adiunetas Vespertas diei, debeat Antiphonæ prædictæ recitari: quia hæc vox *Hora*, nisi aliud addatur ad distinctionem, significat etiam Matutinum, & Vespertas, ut patet in Rubricis tit. 20. num. 1. tit. 21. num. 1.

tit. 22. num. 1. & tit. 32. num. 1. Quare post Missam, si discedendum sit à Choro, non sunt eæ recitandæ; si fiat, potest esse laudabilis consuetudo, nec improbanda, quæ cedit in laudem B. Virginis Mariæ.

17 Dicuntur, autem flexis genibus, præterquam in diebus Dominicis, à primis Vesperis Sabbati, ex Concilio Niceno can. 20. vel 29. apud Turrianum, & Synodo Turonensi sub Carolo Magno cap. 37. ob Dominicam Resurrectionem. Qui ritus anteā ferè deperditus à Clemente VIII. fuit Ecclesiæ restitutus. Et à primis quidem Vesperis genuflexiones omitti, tradit Amalar. lib. 4. cap. 7. & Concil. Constantinop. VI. can. 90.

18 Toto item tempore Paschali non genuflectimus, ex Ambros. Sermone 61. de Pentecoste, Hieronymo in Dialog. aduers. Luciferianos. lege Turrecrem. in cap. Quoniam. de consecrat. Dislin. 3. At Hebdomadarius semper stat ad Orationem recitandam post prædictas Antiphonas, ex Amal. lib. 4. cap. 4. & 7. vbi lequitur de Oratione quæ est finis Officij, eademque de causa standum quoque erit (alijs enim genuflectit rursus Hebdomadarius) ad Orationem Dominicam, salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum, quæ dicuntur post Antiphonam finalē in Completorio. Verū, sicut hic ritus standi incipit à primis Vesperis Dominicæ, non à media nocte; ita desinit in occasu solis eiusdem Dominicæ, more Indulgentiarum: & post occasum solis non est amplius standum in oratione, quod iij notent, qui vesperi recitant Officium Feria 2. post salutationis Angelicæ signum datum sub noctem. Et hic esto finis Sectionis quintæ.

O 2 S E-

SECTIO SEXTA.

De Proprio de Tempore.

Exposcit ordo Breuiarij, ut, explicatis Rubricis generalibus, accedamus ad Rubricas speciales, & partes eiusdem Breuiarij; & cum de Psalterio (quod alias erat in centro Breuiarij, nunc in capite) dixerimus satis, cum de Psalmis enarraremus, Sectione praecedenti cap. 8. reliquum est, ut Proprium de Tempore, quod Psalterium sequitur, examinemus, digniora tantum relaturi.

SECTIONIS SEXTÆ CAPITA XXI.

- | | |
|---|--|
| 1 De Aduentus. | 10 De Feria quarta Cinerum. |
| 2 De Antiphonis maioribus Aduentus. | 11 De Dominicis Quadragesime. |
| 3 De Dominica quarta Aduentus. | 12 De Dominica Passionis. |
| 4 De Vigilia Nativitatis Domini. | 13 De Dominica Palmarum, & Hebdomada maiore. |
| 5 De Natali Domini. | 14 De Paschate, & eiusdem Octaua. |
| 6 De Festis infra Octauam Nativitatis Domini. | 15 De tempore Paschali. |
| 7 De Epiphanie Domini. | 16 De Litanis maioribus, & minorib. |
| 8 De Dominicis post Octauam Epiphanie. | 17 De Festo Ascensionis Domini. |
| 9 De Septuagesima, & Dominicis sequentibus. | 18 De Pentecoste. |
| | 19 De Dominica Trinitatis. |
| | 20 De Festo Corporis Christi. |
| | 21 De Dominicis post Pentecosten. |

De Aduentu. CAP. I.

DE Hymnis & Lectionibus degimus superiori Sectione cap. 6. & 12. omittimus Suffragia Sanctorum, ne ante Christum natum implorare videamur eorum opem, quos ipse Christus suo aduentu sanctitate donauit. Neque sit com-

memoratio Crucis, ne videatur passus antequam natus; neque item de Pace, quæ ante Nativitatem eiusdem non fuit; sed eo nato, ab Angelis data est hominibus bonæ voluntatis, Azot lib. 10. par. 1. cap. 16. Aduentu Principis cedunt alij, ait Duran. lib. 6. cap. 2. quod supra retulimus.

2 Responsorium primum est in
Breuiaria.

Breuiario vnicum, quia tres Versus habet; & Amalar. de Ord. Antiph. c. 8. meminit. Auctor illius fuit Monachus S. Gregorij, ex Duran. lib. 6. c. 3. Tres autem Versus ex eodem Duran. dicuntur nomine trium ordinum Sanctorum, qui ante legem, in lege, post legem Saluatorem exoptarunt: quibus additur *Gloria Patri*, in laudem S. Trinitatis, quæ tandem misit eum in terras. Repetitur dénum à capite Responditorum; quia, vt inquit Gemma lib. 3. cap. 1. iterum aduentus Domini à fidelibus expectatur. Repetitio fit à remotiori, deinde à minus remoto, & dénum à propinquiori: quia Patres primi temporis remotiores fuerunt ab Aduento Christi quam recentiores, Mich. Timot. in Spec. ordinand. tractat. 6. par. 5. cap. 4.

3 Reliquorum Responsiorum dicitur auctor S. Gregorius; & mentio est eorumdem, sed ordine paulum diuerso, apud Amalar. loco citato cetera cum eodem Amalar. concordant, præter Lectiones.

4 In Dominica tertia mutatur Inuitatorium, quod concordat cum Capitulo Vesperarum & Laudum, ad excitandos animos erga Christum venientem; & congruentius nunc mutatur in Dominica tertia quam in Feria 4. Quatuor Temporum, vt ante Pium V. fiebat.

5 S. Hilarius in lib. Officiorum citatus à Bernone de quibusdam ad Missam spec. c. 4. notat, in tribus Dominicis Aduentus significari trinum Christi aduentum ad fulneam infructuam; venit enim ante legem per naturalem hominis intellectum; venit sub lege cum ipsa lege; venit ultimò per gratiam. Hæc ille.

6 De Quatuor Temporibus Ad-

uentus, sicut etiam de alijs in Vere, Æstate & Autumno, satis superque diximus in priore Tomo. Officium est feriale cum Precibus, exceptis Temporibus Pentecostes; & appellatae sunt Feriæ maiores in recognitione Breuiarij, vt diximus Sectione 3. cap. 6. num. 2. pag. 27.

De Antiphonis maioribus Aduentus. CAP II.

1 **A**ntiphonæ maiores in Aduentu dicuntur eæ, quæ per septem dies ante Nativitatem Domini recitantur, incipientes ab O, quæ maiores alijs sunt, quia duplicantur. De his querantur quatuor, &

Primo, Cur ad *Magnificat* recitantur? nam ad Laudes congruentius videbantur recitari posse, ad Canticum Zachariæ, quod fuit cantatum de Aduento Messiae. Respondet tamen Amalar. de Ord. Antiphon. cap. 13. eas spectare magis ad beatam Virginem quam ad Zachariam. Addit Duran. lib. 6. cap. 11. quia Christus expectabatur ad Vesperam mundi, ideo dicuntur in Vespere ad *Magnificat*.

2 Cur duplicantur? ad explicanda iterata suspiria sanctorum Patrum, Duran. loco citato.

3 Cur septem? Ad litteram, vt per Octauam ante Nativitatem Domini accendamus erga Christum venturum, admirantes potius quam vocantes Saluatorem, qui iam venit: nam illud O admirantis est magis quam vecantis, ex Amalar. loco cit. Mysticè quoque septenarius numerus significat in Christo septiformem Spiritus sancti gratiam, & septem humani generis miseras, quas ex Antiphonis

O 3 haustas

haustas recenseret Durand. *loco citato*: quarum causa, inquit, egemus Doctore contra ignorantiam, Redemptore à pœnis æternis, Liberatore à seruitute diaboli, Educatore à consuetudine peccati, Illuminatore tenebrarum nostrarum, Salvatorem ad reducendos exiles in patriam, tum Gentes, ut in sexta Antiphona, tum Iudeos, ut in septima.

4 Quis ordo inter easdem? Amalar. *loco citato* eas enumerat iuxta Antiphonarium Metense, & innuit, ordine diuerso à Romanis recitari. Ordo noster est apud Gemmam an. lib. 3. cap. 5. & ab eodem auctore sic explicatur; ut in prima Antiphona dicatur Christus Sapientia, qui venit in spiritu sapientiae. In secunda, Adonai: quod nomen Moysi indicauit Deus, qui legem dedit, & venit nos redimere per spiritum intellectus. In tertia, Radix Iesse in signum populorum, hoc est, in signum Crucis, & liberare nos venit in spiritu consilij. In quarta, Clavis David, qui cælum iustis aperit, & infernum claudit in spiritu fortitudinis. In quinta, Oriens, qui nos illuminat spiritu scientiae. In sexta, Rex Gentium, & Lapis angularis, qui saluat omnes per spiritum pietatis. In septima, Emmanuel, qui venit non sine spiritu timoris, dans cunctis charismata amoris. Hæc ille fusiùs. Est igitur hic numerus septenarius ex Isaia 11. de sumptus.

5 Praecedunt has Antiphonas aliae ad Laudes, quasi præparatoriae ad maiores, de quibus Amalar. libro 4. cap. 30. vt renouemur, ait, paulò ante Nativitatem. Habebantur de his in Breuiarijs antiquioribus quædam Tabulae Parisienses cum hac Rubrica, ut scilicet, si Festum occurre-

ret, completis omnibus de Festo, rursus dicerentur Laudes cum his Antiphonis & Psalmis ferialibus: quæ Tabulae à Pio V. mutatae sunt in Rubricam commodiorem, qua quinque Feriae complentur; & quæ in die sancti Thomæ occurruunt, in Sabbato collocantur.

6 Tres aliæ Antiphonæ sunt priuilegiatae in his diebus. Prima est *Expectetur*, quæ semper in Sabbato dicenda est quarto loco (quod & antiqui obseruarunt) ut concorderet cum Cantico Sabatino, de quo sumpta est; & benè quadrat Aduentui Domini. Altera est, *Nolite timere*, quæ die 21. mensis Decembris semper est ponenda, siue sit Festum sancti Thomæ, siue Dominica; ne enuntietur falsum extra quintum diem ante Nativitatem. Hæc ante Pium V. dicebatur ter cum *Gloria Patri*, ex instituto Fratrum Minorum, non Romano; & ideo ritus ille fuit abrogatus. Tertia est, *Ecce completa sunt*; quæ ultimo die dicitur ante Vigiliam Nativitatis, ex Tabulis Parisiensibus Radulpho antiquioribus, quas ille citat, & excludit *Propos. 16*. Congruit autem diei, ut ex verbis eiusdem Antiphonæ constat.

7 Cõcessit Hispanis Gregorius XIII. ut anticipent prædictas Antiphonas in die 16. Decembris, quia die 17. celebrant Festum Expectationis partus beatæ Virginis. At quid, quando dies 16. est Dominica? eo anno omittuntur Antiphonæ Feriae 2. ea ratione, qua in vniuersali Ecclesia omittuntur Antiphonæ illius Feriae, in qua occurrit Festum sancti Thomæ, quando Vigilia Nativitatis occurrit in Dominica, cuius Antiphonæ dicuntur in Sabbato.

§ Et

De Domin. IV. Aduent. & Vigilia Natiuit. Dom. III

3 Et quando alicubi contingit reponi has Antiphonas in Feria diuera ab ea cui sunt assignatae, Antiphona 4. ea erit quæ conformis est Cantico recitando, sicuti præscribitur de Antiphona *Expectetur* reseruata Sabato.

De Dominica quarta Aduentus.

C A P. I I I.

Contingit non legi in Officio Dominicæ 4. Euangeliū, quod idè saltem in præcedenti Sabbato legitur: pura, quando in hac Dominicæ occurrit Vigilia Natiuitatis, & eo anno omittuntur Antiphonæ ad Laudes quæ occurrunt in die sancti Thomæ, ut in Sabbato Quatuor Temporum ponantur Antiphonæ Dominicæ quartæ, quæ omitti non debent. quod affirmat Microl. cap. 33. & approbat indagator Romanorum Rituum Radulphus Propos. 16. qui appellat *ibidem* supercrescentia ea quæ habentur in Breuiario post Dominicam 4. quia in breviori tempore Aduentus omittuntur.

2 Et licet in prædicto casu Antiphona quarta Dominicæ omittatur, cuius loco dicitur Antiphona, *Expectetur*; eadem tamen quarto loco resumitur in Vigilia Natiuitatis, ne Officium huius Dominicæ vlo modo pereat.

De Vigilia Natiuitatis Domini.

C A P. I V.

SI Vigilia venerit in Sabbato, vice Psalmi *Iubilate*, in nocturno dicitur Psalmus *Bonum est*; ne ille bis dicatur, ad Matutinum, & Laudes; & neque hic omittatur in Officio.

2 Antiphonæ ad Laudes, *Iudea*, & *Jerusalem*, &c. habentur apud Rupert. lib. 3. cap. 12.

3 Ritus Officij à Laudibus est Duplex, non ante annum 1521. in Breuiari. impressis; at erat etiam in antiquis M. S. Duplex; &c, cum Vigilia sit illius Festi, quod est initium salutis nostræ, iure merito cum exultatione est celebranda. Est igitur Officium partim feriale, quia Vigilia est; partim festuum, iuxta illud, *Leuate capita vestra*, &c. & ut Officium Primæ sit solemnne, in quo est annuntianda Natiuitas Salvatoris cum solemnni lectione Martyrologij.

4 Legitur Martyrologium cum maiori quam aliâ solemnitate. qua in re quisque abundat in ritu suo. Illud est commune ferè omnibus, ut genua flectamus ad ea verba, *In Bethleem Iudea*, &c. usque ad ea, *secundum carnem*; ea ratione qua ad Missam genuflectimus in Symbolo ad ea, *Et incarnatus est*; & in ultimo Euangelio ad ea, *Et Verbum caro factum est*. Humiliato namque Deo, & nos usque ad terram profundiùs solito humiliari decet. quod & additum est in postrema Martyrologij recognitione.

5 Ad Nonam inclusuè desinit Aduentus, & cessat *Angelus Domini*, &c.

De Natali Domini.

C A P. V.

Lectiones Isaiae hac nocte leguntur sine titulo; ea forte ratione qua Hugo docet lib. 2. cap. 3. Capitula legi sine titulo, quando scitur auctor; & Isaías in toto Aduentu lectus est, ita ut pateat cius nomen. Dicrem cum P. Ruiz, iam

iam non per Prophetas, sed in Filio
Deum loqui.

2 Responsoria videntur vagari; sed
ait Amalar. de Ord. Antiph. cap. 15.
quem sequitur Gemma lib. 3. cap. 9.
esse Xenia, quæ deferuntur partim
Puero nato, partim Deiparae. In primo
verò Responsorio additur *Gloria Pa-*
tri, in gratiarum actionem de tanto
beneficio, Gemma cap. 7.

3 In tertio Nocturno multiplicatur
Alleluia ad Antiphonas; quia, ut alias
diximus, tertium Nocturnum signifi-
cat tempus gratiæ post legem; in quo
significari debet lætitia per Christum
natum nobis communicata, Amalar.
lib. 4. cap. 31.

4 Diuiditur Matutinum à Laudibus,
& inter utrumque cantatur Missa,
ex Microl. cap. 34. & Gemma lib. 3.
cap. 10. lib. 4. cap. 117. qui ritus vide-
tur habuisse ortum post Ordinem Ro-
manum; in quo prima Missa celebra-
tur expletis Vigilijs, id est Nocturnis,
& Matutinis, id est Laudibus (hoc
enim nomine vocabantur Laudes) nisi
dicamus fuisse peculiarem hunc ri-
tum Cappellæ Pontificiæ, quæ eadem
nocte tres Ecclesiæ, S. Mariæ Maioris,
S. Anatalsiæ, & S. Petri visitabat, &
Missa solemnies celebrabat. Quid-
quid sit, cum Laudes pertineant ad
diem potius quam ad noctem, & pri-
ma Missa sit noctis, non diei; congruè
præscriptum est, ut ea cantetur ante
Laudes, & post Hymnum *Te Deum*,
Gemma dicto cap. 117.

5 Laudes sequuntur Missam pri-
mam de æterna generatione, quæ prius
exitit ante omnem creaturam quæ
Deum laudare potuerit, Duran. lib. 6.
cap. 13. & in prima Antiphona quasi
choream ducimus ijs verbis, *Quem*
vidistis pastores, &c. Duran. ibidem.

quam Antiphonam non videtur no-
tuisse Amalarius, qui de Ord. Antiph.
cap. 15. incipit ab ea, *Genuit puerpe-*
ra Regem.

6 Prima summo manè dicta, canta-
tur altera Missa. Antiquiores aliqui
ante Primam immediate post Laudes
cantabant secundam Missam, ex Gem-
ma lib. 3. cap. 11. at S. Antoninus 3. par.
Summ. tit. 13. cap. 6. §. 4. cum Palud. in
4. dist. 13. quest. 2. artic. 2. concl. 2. re-
fert de generali consuetudine, Missam
secundam ante Primam horam Cano-
nicam celebrari solitam; nisi eos expli-
cemus cum Francol. de Temp. Hor.
Can. 1. par. cap. 16. num. 6. non loqui de
ritu Ecclesiastum Vrbis. Addit. ibidem
Francol. idem Primam ante horam
consuetam speciali lege recitari, ut
Missa secunda in Aurora cantari queat.
Neque enim debet unquam Missa
cantari sine præparatione Chori ad il-
lam per aliquam Horam Canoniam,
ut ibidem auctor idem fusè probat, &
exemplis confirmat. Neque dicas, suf-
ficere Laudes ante Missam secundam;
tum quia non debent diuidi à Noctur-
nis, nisi quantum Missa prima occu-
pat temporis, quod intercedit, cum
sint unica Hora, ut notat Nau. de Orat.
cap. 3. num. 28. tum quia à Laudibus
ad Auroram, in qua secunda Missa can-
tatur, multum adhuc superest tem-
poris, ut nequeat congruenter sequi se-
cunda Missa. Post Tertiam horam
Missa tertia conuenit cantari, ut in
Festis. Nihil est præterea in Officio
notandum, nisi quod Antiphona in
secundis Vesperis, *Tecum principium*,
sunt priuilegia, ut numquam omittan-
tur infra Octauam; & de his
est mentio apud Amalar. de Ordin.
Antiph. cap. 16. ut nimirum fiat de
Octaua Natiuitatis, præter morem
aliarum

De Festis infra Octauam Natiuitatis Domini. 113

iliarum Octuarum de Sanctis, & non per solam commemorationem de eadem; & eò magis, quia intra eamdem Octauam admittuntur quotidie Festa Sanctorum, quæ ab Octauis Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes & Corporis Christi vel omnino excluduntur, vel parcè in ijs admittuntur.

De Festis infra Octauam Natiuitatis Domini.

C A P. VI.

Cuius classis erit S. Stephani Festum? Andreas Caftaldus in Cœrim. Cler. Reg. lib. 3. c. 5. num. 1. innuit esse primæ classis. Mihi placet, ut dicatur secundæ classis; tum quia sequens Festum S. Ioannis non est nisi secundæ classis, ut aliorum Apostolorum; tum quia Stephanus & Laurentius in martyrio, Officio, Octaua, sepulchro sunt pares, concordant in tertia Antiphona ad Laudes, & in Oratione duplici, altera in Festo, altera in die Octaua. ex quibus sequitur, quod hæc Sanctorum Festa cederent occurrenti Festo primæ classis. Habent priuilegium non commune alijs Festis secundæ classis, quod de die infra Octauam eorum fit commemoratione in Festis corundem, ut habetur in Breuiario.

2 Antiphonæ Festi huius & duorum sequentium sunt Gallicæ, ex Radulph. Propos. 12. & Lectiones primi Nocturni de sancto Stephano habentur etiam in Ord. Romano. Reliquum Officium tribuitur Alcuino ab Auctore Ligni vita lib. 5. & à Schultingio. Officium S. Ioannis à S. Gregorio compositum afferit Schultingius. Duplia sunt hæc duo Festi apud Dur. lib. 7. Orationes Missarū habentur in Sacrament. Gre-

gorian. Introitus, &c. in Antiphonario eiusdem: vbi & Festi sequentis Missa.

3 In Festo SS. Innocentū non dicitur *Te Deum*, quod lætitiam sonat, quia descenderunt in Limbum, ait Microl. cap. 36. sed non placet, quia Ioannes Baptista item descendit in Limbum, in cuius tamen Decollatione dicitur *Te Deum*: potius ob lacrymas matrum, ait Amalar. lib. 1. cap. 41. In Dominica verò, & in die Octaua dicitur; quia in Dominicalætitia Resurrectionis Domini excellit super omnem lacrymam; & dies Octaua beatitudinem significat, ut alibi diximus.

4 Tertium hoc Festum puto item esse secundæ classis, cui datur Octaua: & de his octauis Amalar. lib. 4. c. 37. meminit. Imò verò in Octaua Innocentum S. Augustinus duos habuit Sermones, ut scribit Possidius. Officium erat Semiduplex, Duran. *suprà*. Pius V. decreuit fieri Duplex. Officium à S. Gregorio, ait Schultingius.

5 Quid agendum, quando Festum ex tribus prædictis erit Patronus loci, seu Titulus Ecclesiæ? Respondeo, in secundis Vesperis Natiuitatis, etiam in Ecclesia propria sancti Stephani, idem fieri quod in vniuersali Ecclesia; quia in pari prima classe maius est Festum Christi quam Stephani, & ideo habet integras Vesperas vtrasque.

6 Inter eadem verò Festa seruentur Rubricæ generales, ut Vesperæ primæ & secundæ sint de digniori Festo, id est, primæ classis, & Patroni, seu Titularis, cum commemor. minus digni; & item de Octaua Natiuitatis, cuius etiam Antiphonæ ad Vesperas semper recitantur, ut serui cedant Domino medietatem Vesperarum, qui venit vergente mundi vespere pro lute

P lute

lute nostra. Ad Laudes vero non sit commemoratio de die infra Octauam aliam, excepta Natiuitatis Octaua, de qua sit semper commemoratio, ut in Rubricis generalibus, & nos supra Sect. 3.

7 Si Titulus Ecclesiae (non Altaris maioris) fuerit Innocentum, erit consequenter prima classis; & eo casu non negarem posse dici *Te Deum* in Officio, & concederem rubrum colorum cum suis consequentijs in Missa: quia, si haec conceduntur ratione Dominicæ, in qua non est dolendum, cur dolemus in Feste Titularis Ecclesiae solemnis? eo prorsus modo quo conceditur in Missa *Credo* S. Ioanni Baptista, si in Dominica venerit, & quando celebratur in propria Ecclesia: quod idem dicitur in Feste S. Laurentij; ergo aequalia sunt, fieri Festum in Dominica, & fieri in propria Ecclesia.

8 Hymni Innocentum de novo fuerunt additi, licet eorum auctor sit antiquus. Vide tit. de *Hymnis* pag. 73.

9 Quæ diximus de praedictis, quando sunt Titulares Ecclesiarum, valent etiam de sequentibus Festis, S. Thomæ Cantuariensis & S. Siluestri: quibus tamen hodie negatur Octaua. In secundis Vesperis S. Siluestri Antiphonæ, *Tecum principium*, non habent amplius locum, terminatae iam in primis Vesperis eiusdem; ergo sumenda erunt de Comm. Conf. Pont. & fit commemoratio Circumcisionis.

10 De Dominica infra Octauam Natiuitatis Rubrica clara est *Quod sit tota Octaua*, ut in quibusdam Ecclesijs vidi, impedita sit Festis Duplicibus, de eadem fiat commemoratio eo prorsus die, quo vniuersalis Ecclesia facit de eadem Dominica Officium, vel commemorationem. Officium vero Dominicæ, si ea occurrat in Feste

S. Siluestri, non deperit; quia Lectio-nes priuni & secundi Nocturni in praecedenti Sabbato leguntur. Vide cul-tum Dominicæ diei, qui non perit.

11 Occurrit in Urbe N. Dedicatio Ecclesiae Cathedralis in Feste SS. Innocentum; quæ situm est à me, qualiter Officium recitandum erit? Respon-di, ex vi Rubricarum, in primis Ves-peris, post Antiphonas & Psalmos de Natiuitate, Capitulum cum reliquis dici debere de Dedicatione, & cum commemoratione S. Ioannis, cuius Festum est Duplex secunda classis, & Nativitatis Domini, quæ numquam omittitur: de S. Stephano nihil, quia de die infra Octavam nihil sit in Feste primæ classis. In Laudibus & Missa de Dedicatione fit tantum commemo-ratio de Natiuitate. In secundis Ves-peris, Antiphonæ, & Psalmi de Natiuitate, Capitulum, Hymnus, &c. de Dedicatione; commemoratio de sequenti Feste S. Thomæ, vel Dominica, & de Natiuitate, non de diebus infra Octauas SS. Stephani & Ioannis, ex Rubr. de Commemorationibus num. 4. in fine. Non sit Octaua de Dedicatione, quia prohibita est in postrema recognitio-ne Breuiarij. Festum Innocentum regulariter erit celebrandum in die Octaua eorumdem; & quia de iisdem non sit Octaua, poterit dici *Te Deum* cum consequentibus, vna cum vniuersali Ecclesia, & interim non fiet vlla de iisdem commemoratio. Sed eo anno, quo Festum hoc occurrit in Feria 5. celebrabitur in Sabbato sequenti, quod eo casu erit dies infra Octauam Natiuitatis; intra quam sit de Duplici, & præsertim secundæ classis, etiam trans-lato: eo autem anno, quo occurrit in Sabbato, tunc celebriabitur in Feria secunda sequenti; quia de duobus Fe-stis

His translati, Innocentum & S. Thomæ, de digniori prius est recitandum Officiū; & Festum S. Thomæ celebrabitur prima die non impedita post Octauā Epiphaniæ, ex vulgatis Rubricis.

12 Circumcisionis Festum de Christo recens est, ut alibi docuimus Tomo primo. Antiphonæ probant esse de B. Virgine Festum, *O admirabile commercium*; quas commemorat Amalar. lib. 4 cap. 32. Oratio confirmat, *Deus, qui salutis æternae*: de qua Microlog. loco citato. Officium enim Missæ licet habeatur in Antiphonario Gregorij, est tamen posterius S. Gregorio, ut *ibidem* Pamelius probat. In secundis Vespere non fit commemoratione de diebus infra Octauas SS. Ioannis & Innocentium, quia de his non fit Officium die sequenti, ut dicitur in Rubr. de *Commemorat.* 9. num 6.

13 In secundis etiā Vespere Octauæ S. Ioannis concurrentibus cum primis Vespere Octauæ Innocentii, fit tantum commemoratione de Innocentibus, ut integræ Vespere sint de digniori, ex Rubric. de *Concurrentia Officy* 11.n.2.

14 Erant hæ tres Octauæ Semiduplices in Breuiario 1550. edito: Duplices à Pio V. qui addidit omnes Lectiones. Oratio S. Stephani est Ambrosiana.

De Epiphania Domini.

C A P . V I I .

VIglia Epiphaniæ habet Officium Semiduplex, quod nuper expressum est in Breuiario, licet exclusio Precum ad Primam erat sufficiens indicium ritus Semiduplicis. Si occurrat in hac Vigilia Festum Duplex, fit de Vigilia commemoratione tantum, cum nona Lectione de Homilia Vigiliæ: quia Duplici Of-

ficio occurrenti eodem die cedit Semiduplex. De duplice translato non fit in ea, quia est Officium nouem Lectionum, cui etiam Dominica cedit. Si occurrat in ea Festum Semiduplex, transfertur hoc post Octauam Epiphaniæ, eadem de causa; & quia est longè superior quam Feria 6. post Octauam Ascensionis, quippe quæ habet Euangelium proprium, æquiparatur in multis Vigiliæ Nativitatis Domini, ut in Rubr. de *Vigilijs num. 2.* & 5. Quod si fuit concilium Hispanis à Gregorio XIII. posse in hac Vigilia fieri Officium de S. Thoma Cantuariensi, ob Festum translationis S. Iacobii, est singulare priuilegiū, non lex.

2 Antiphonæ, *Ante luciferū genitus*, habetur apud Amalar. de Ord. Antiph. c. 23. Quarta Antiphona, *Maria, flumina*, &c. non visa est aliquibus ad rem præsentem: sed meminerint duorum miraculorum, in aquis Baptismi Christi, & in Cana ad nuptias; de quibus in Hymno, & in Antiphona ad *Magnificat.*

3 Matutinum incipitur ex abrupto ab Antiphona, & Psalmo; quia, visa stella, statim venerunt Magi, muto nuntio, non loquente, Duran. lib. 6. cap. 16. omittitur etiam Inuitatorium, ad detestandam fraudulentam Herodis invitationem ad Christum adorandum, Alcuin. in *Epiph.* tum etiam, quia Psalmus *Venite* dicendus est in tertio Nocturno. Hymnus etiam non cantatur primo die, quia perfectorum est cantare Hymnos; conuersio vero Gentium in solis Magis perfecta non erat, Duran. *ibidem.*

4 Infra Octauam vero dicitur Inuitatorium nomine Magorum alios in uitantium ad adorandum Christum, Dur. *ibidem.*

5 Psalmi apud Alcuianum habentur,

tur, excepto, quod Psal. *Deus noster refugium, & virius*, nunc cantatur in primo Nocturno secundum ordinem Psalterij, qui altis cantabatur in tertio. Vnde & hodie retinet Antiphonam cum *Alleluia*, qui est ritus tertij Nocturni, ut diximus in Natiuitate Domini ^{sup. cap. 5. n. 3.} & usque ad tempora Io. Beleth perseveravit, sed præpostere, ait Alcuinus. restitutus est igitur Nocturno primo secundum ritum Romanum, teste Durando *loco citato*. Item Psalmus *Venite*, qui, ex Gemma lib. 3. cap. 20. cantabatur in fine secundi Nocturni, nunc in principio tertij dicitur, docente Durando, & cum peculiari Antiphonæ repetitione; ad indicandum, quod in tempore gratiae per tertium Nocturnum significato, invitata est Ecclesia de Gentibus per Magos, & stellam: repetita ideo Antiphona saepius, *Venite adoremus*, ut confluant undique omnes. Cantatur autem hic Psalmus vel à duobus Cantoribus, vel melius à quatuor, duabus hinc inde alternatim cantantibus Versus eiusdem, & Choro semper Antiphonam repetente.

6 Infra Octauam pro Psalmo *Venite* alius substituitur, ne idem Psalmus bis dicatur, in Inquitorio, & in tertio Nocturno. Psalmi desumuntur è Ferijs 2. 3. 4. 5. 6. sed plures è Feria sexta, fortasse quia in hac eadem Feria Magi adorauerent Christum, ut innuimus Tomo 1. par. 4. tit. 3. num. 15.

7 Hymnus ad Laudes à Pio V. mutatus; erat enim antiquus, ab Hymno Natalis Domini desumptus, *Enixa puerpera Regem, &c.*

8 De Dominica infra Octauam Epiphaniæ, quando Epiphania occurrit in Dominica, fit in Sabbato præcedenti diem Octauam. Sed queritur,

cur in ipsam die Octauam, quæ occurrit in Dominica, non fit de Octaua Epiphaniæ cum commemoratione Dominicæ primæ post Epiphaniam? Fieret enim (ut in Duplicibus per annum occurrentibus in Dominica) utriusque satis. Conijcio ego hanc esse causam; scilicet, ne ordine peruerso vita Christi, quæ ab Ecclesia representatur in Officio diuino per totum annum, Christus legatur trigesimum annum agens, antequam repræsentetur duodennis, ætatis, inquam, annorum duodecim: nam, si in die Octaua, quæ habet Euangelium de Baptismo Christi, fieret commemoratione de Dominicæ prima post Epiphaniam, quæ habet Euangelium de Christo duodenne, inter Doctores Dei causam agente, tam in Officio quam in Missa legeretur prius Euangelium de die Octaua, quam de Dominicæ; quod esset inconveniens, & ordo peruersus. Fiat ergo Officium de Dominicæ in Sabbato, in qua Christus est duodennis; deinde sequenti die fiat de die Octaua, in qua est tricenarius; & ordo seruabitur historicus vita Christi: qui ritus habetur in Breuiario M. S. anni 1300. Perusina Sacristia.

9 Adhuc queritur, & casus accidit, si Patronus loci incidat in Sabbatum, in quo faciendum est Officium de prædicta Dominicæ prima, An Officiū Dominicæ anticipandum erit Feria sexta, quod aliqui scripsere. Ego respondi, non esse anticipandum; quia in Sabbato sufficit fieri commemorationem de Dominicæ prima cum Homilia pro nona Lectione, argumento à simili, quod, quando Dominicæ 23. post Pentecosten non habet propriam sedem in Dominicæ, neque Feriam in tota præcedenti Hebdomada, in qua possit poni

poni Officium Dominicæ 23. eo casu, in Officio nouem Lectionum in Sabbato fit commemoratio de Dominicæ 23. cum nona Lectione, ut expressè habet Rubrica *de Dominicis num. 4. in fine.* ergo & eodem modo satis est, si fiat hoc loco. In secundis autem Vesperis prædicti Patroni concurrentibus cum die Octaua Epiphaniæ fit commemoratio tantum de die Octaua, vt in Rubr. *de Concurr. Officij num. 2.* Quæ verò dicimus de Patrono, eadem dictio de Titulari Ecclesiæ, vel eiusdem Dedicatione, ex Rubr. 11. num. 7.

10 Lectiones Epistolæ primæ ad Corinthios, ex Decreto Gelasij, ponuntur in Dominicæ ipsa prima post Epiphaniæ, non in Officio Dominicæ, si fiat in Sabbato; quia initia librorum Scripturæ, quoad eius fieri potest, magè cōgruunt diei Dominicæ, quæ est initium Hebdomadæ: & hoc in vsu fuisse, vt à die Nativitatis legatur Apostolus, tradit Ruper. lib. 4. de Divin. Offic. cap. 6.

11 Dies Octaua Epiphaniæ de Baptismo Christi est, Amal. lib. 4. cap. 34. & antiquum Officium de Baptismo erat; nunc autem Euangelium tancum habetur. Semiduplex erat Officium in Breuiario edito Venetijs anno 1521. nunc est Duplex.

12 Quando Epiphania Dominicæ occurrit in Feria tertia, accidit in Sabbatho ad Vesperas, quod pro commemo- ratione Epiphaniæ dicitur Antiphona, *Omnes de Saba venient:* & in hoc casu mutatur Versus, ne eadem Antiphona cum Versu sit idem. Dicitur autem Versus de Laudibus Epiphaniæ, *Adorate Deum,* &c. si occurrit Feria 2. in primis Vesperas dici Octauæ, pro commemoratione Dominicæ dicitur Antiphona, *Fili,* &c. cum *v.* *Omnes de Saba.*

De Dominicis post Octauam Epiphaniæ.

C A P . V I I I .

1 **D**ominicæ post Epiphaniam usque ad Septuagesimam vel ad summum sex, vel ad minimum una esse possunt; & ideo possum est Officium sex Dominicarum. Quod propior est vel remotior Septuagesima, quæ à Paschatis mobilitate pendet, eo plures vel pauciores sunt Dominicæ infra hoc tempus: quæ superfluent, transferuntur post 23. Dominicam post Pentecosten. qua de re nos egimus suprà Sect. 3. cap. 5. pag. 25.

2 De Dominicæ secunda post Epiphaniam semper fit Officium ante Septuagesimam, saltem in Sabbatho præcedente eamdem Septuagesimam; vel in die prima post Octaua Epiphaniæ, Microl. cap. 41. translatu, si opus est, Festo Semiduplici, & hoc duplici de causa; Primo, vt ordine historico seruato de vita Christi, legatur, post eiusdem Baptismum, primum miraculum in Cana Galilææ factum, antequam quidquam aliud in sequentibus Dominicis de eo narretur. Secundo, vt Officium & Responsoria Dominicarum post Epiphaniam semel dicantur suo proprio tempore, nec omittantur omnino. De quibus Responsorijs è Psalmis meminit Amalar. *de Ord. Antiphon. cap. 27.*

3 Dices: In prædicto casu quodnam Semiduplex erit transferendum, vt eo die fiat de Dominicæ secunda post Epiphaniam? Respondeo, in Ecclesia vniuersali Festum S. Hilarij transferendum erit in diem 23. Ianuarij, quidquid alij notarint in Calendarijs, S. Hilario parcentes; quia in

P 3 Ru-

118 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. VI. Cap. VIII.

Rubrica propria dicitur, *Prima die post Octauam*. Videbatur tamen parcendum S. Hilario, qui in primis Vespere participare solet de proprio die in quo obiit, magis quam S. Paulus Eremita, qui obiit infra Octauam Epiphaniae; sed verba Rubricæ sunt attendenda simpliciter, quæ generatim posita sunt iultioribus de causis, & præsertim ad faciliorem executionem.

4 Quid si Festa omnia per Hebdomadam sint duplia? eo casu erit satis commemorationem fieri Dominicæ 2. in Sabbato; & omittuntur Responsoria de tempore.

5 Si Octaua celebretur in ea Hebdomada, tunc fiat prima die de Feria, quia dies infra Octauam cedit Semiduplici; ergo & à fortiori etiam huic Officio Dominicæ 2. sed omittendæ tamen erunt Preces cum Suffragijs ratione Octauæ.

6 Epistolæ S. Pauli, quæ non possunt legi in primo Nocturno, seu in feriali Officio, infra hoc tempus usque ad Septuagesimam, eo anno omittuntur: quia unus liber omnium Epistolarum S. Pauli tamquam unius auctoris reputatur; & antiquiores non legebant de Epistolis Pauli, nisi usque ad eam quā ille scripsit ad Ephesios inclusuē.

7 Officium Dominicæ 3. vel 4. vel 5. vel 6. si post Epiphaniam minus habeat locum, neque item post Pentecosten; de ea, quæ locum ullibi non habet, fiat Officium in Sabbato, vel in alia Feria præcedenti, non ad libitum, sed impedito Sabbato ob Festum novum Lectionum, & non trium B. Virginis: vel fiat commemoratione saltem in Sabbato, ne prorsus omittatur, ut in Rubr. de Dominicis num. 5. quæ remittit nos ad formam datam in numero quarto ibidem. Quod si in Feria præ-

dicta fiat de Festo Semiduplici translatio, satis erit, quod in Sabbato fiat commemoratione Dominicæ ut suprà, ne translatum Semiduplex sine necessitate adhuc ulterius transferatur, ut decreatum est in postrema recognitione Urbana Breuiarij, nulla enim est necessitas, quando saltem in Dominica 2. dicta sunt Responsoria de tempore.

8 Dominicæ sextæ Officium cum suo Evangelio est de nouo iure Pij V. in qua antiquiores repetebant Officium Dominicæ quintæ post Epiphaniam.

De Septuagesima, & Dominicis sequentibus.

C A P. I X.

1 **D**Eponitur in Septuagesima *Alleluia*, bis eo cantato & repetito in fine primarum Vesperarum Dominicæ, ex Decreto Alexandri II. vi ait Microl. cap. 47. & Baron. ann. 1073. qui ritus in Martyrologio ad Primam pronuntiatur; & deponitur cum reduplicatione, ad maiorem significationem, & emphasis.

2 *Alleluia* significat Christum, sine quo nunc repræsentatur genus humandum, ob peccatum Adæ, de quo fit mentio principalis in Septuagesima, Ruper. lib. 4. cap. 5.

3 Pro *Alleluia* dicimus humiliori Latina Lingua, *Laus tibi Domine*, &c. ex Alcuino: quia temporis congruit humilitas, ob memoriam peccati originalis. A Musicis pro *Alleluia* dicitur *In eternum*, Io. Beleth de Divin. Off. cap. 79. sed à recitantibus Officium omittitur *Alleluia* in Antiphonis, ubi est, & eius loco nihil dicitur.

4 In uitatorium *Præoccupemus* anticipatur in Septuagesima à Pio V. cùm sit

sit eiusdem rationis cum sequentibus Dominicis.

5 Lectiones de Genesi, ex Decreto Gelasij, & Ord. Romano. Responsoria de eadem Genesi recitari iuslit Alexander II. ex Microl. *loco citato*, amotis alijs quæ dicebantur cum *Alleluia*: cùm non deceat (inquit Leo IX. *de Consecr. Distinct. 1. Hi duo.*) cantare *Alleluia*, quando recolimus primi hominis casum in Lectionibus.

6 In Sexagesima dicuntur Responsoria de Historia Noë, ex Decreto Gregorij VII teste Radul. *Propos. 16*, cùm anteā, ex Decreto Alexandri II. repeterentur Responsoria Septuagesimæ. Collecta Sexagesimæ non impedit commemorationem communem de sancto Paulo in Officio. Vide in *To-
mo 1. de Sexag. pag. 235. num. 15.*

7 In Quinquagesima Respons. de Abraham dici iuslit Gregorius VII. ex Radulpho *loco citato*.

8 Datae sunt Antiphonæ propriæ ad *Magnificat* ferè omnibus Ferijs Septuagesimæ, Sexagesimæ & Quinquagesimæ; de quibus antiqui nihil dicunt. Si Antiphonas species, ea propriæ sunt: quia hæ Feriae non sunt ita communes, vt aliae per annum; neque ita propriæ, vt Feriae Aduentus, & Quadragesimæ; quarum Antiphonæ numquam omituntur. Si Ferias attendas, in Feria 6. nulla est Antiphona; quia saltem de S. Maria in Sabbatho fit in Vesperis à Capitulo. In Feria quinta Sexagesimæ, & item sexta in anno bissextili, dicuntur Antiphonæ quæ in præcedentibus Ferijs fuerunt omisæ, si occurrat fieri de Sancto in iisdem; vel certè de Psalterio sumuntur, non autem de Ferijs Septuagesimæ; quarum Antiphonæ, si omittantur ob Festa Sanctorum, non resumuntur.

tur in sequenti Hebdomada: quod perperam scripsere aliqui in Calendarijs Ecclesiarum particularium: neque Rubrica de his Antiphonis posita ante Feriam 5. Sexagesimæ se extendit ultra suam Hebdomadam. Si vero numerum obscuras Antiphonarum, mysterij aliquid fortasse inest: tum quia nouem ea sunt oinnes; tum quia inter eas certus quidam est gradus non nisi congruus (ex Maiorum saltem auctoritate qui eas decreuerunt) vt nimis quatuor Antiphonæ in Vesperris sint assignatae Ferijs Septuagesimæ, tres Ferijs Sexagesimæ, duæ Ferijs Quinquagesimæ.

De Feria quarta Cinerum.

C A P. X.

1 **E**st priuilegiata hec Feria, in qua occurrente quodcumque Duplex transfertur, ex Decreto Clementis VI anno 1352. vt ego legi in Martyrologio M. S. antiquo in Bibliotheca Fortunati Scacchi, sacri Palatij Sacræ, de sacris Litteris opime meriti: & habetur in Breuiario edito Venetijs 1549 quia eo die conuenit, vt populus Christianus pœnitentia publica det indicia.

2 Omnia ergo fiunt ut in Quadragesima, ait Microl. *cap. 49.* & ad omnes Horas, inquit *cap. 50.* genufleximus, hoc est, dicuntur Preces. Nam, quia nos angere debemus pensum seruitutis nostræ, præsertim in Precibus, ex S. Gregorio relato à Radul. *Propos. 16.* hinc factum est, ex eodem Radul. quod dicantur his diebus feriales Preces cum Officio Psalmorum, Graudalium, & Pœnitentialium.

3 Duæ Orationes dicuntur quotidie in feriali Officio; quarum secunda est *Vespe-*

Vesperarum propria; quia in Missa duæ item dicuntur super Populum, altera initio, altera in fine: cuius rei causam dedimus, cùm de Missæ Sacrificio, Tomo priore.

4 Nondum dicuntur Vesperæ ante comedionem, vt reserueretur prærogativa Dominicæ sequenti, quæ est caput Quadragesimæ, cuius primæ Vesperæ dicuntur in Choro ante cœnam; & deinceps idem fit in diebus ferialibus, ex Conc. Cabilonen. *de Consecr. Dift. 1. Solent.*

5 Dixi ante cœnam, quia antiquitus soluebatur ieunium hora cœnæ in Quadragesima post Vesperas: & licet horam anticipemus, retinemus tamen vocabulum cœnæ, cui benedicimus ea Prece quæ adhibetur ad cœnam, *Edent pauperes, &c.* vt in fine dicitur Breuiarij. Quia vero non possumus ieunare diebus & noctibus, sicut fecit Christus, ieunemus saltē usque ad horas diurnales inclusuē, hoc est, dictis Vesperris, vt ait Archid. *in cap. Solent. de Consecrat. cit.*

6 Extra Chorum non tenemur ante comedionem recitare Vesperras, quia Concilium Cabilonense intelligitur de publica in Choro recitatione, cui tamen congruum est vt conformemur in priuata quoque Vesperarum recitatione.

De Dominicis Quadragesimæ.

C A P . X I .

I Nuitatorium Dominicæ primæ, *Non sit vobis vanum, &c.* comp. posuit Amal. ex Wion auctore Ligni vitæ lib. 5. & ille ipse meminit *de Ord. Antiph. cap. 35.* vbi docet tamen se transtulisse hoc Inuitatorium in hanc Dominicam à media Quadragesimæ.

gesima, in qua ab alijs cantabatur. Primæ Lectiones interrumpunt quidem Lectiones de Genesi; sed indicant fructus pœnitentiæ, ex Dur. lib. 6. c. 32, Responoria, ex Amal. *de Ord. Antiph. cap. cit.* sunt claves tituli de conversatione & statu totius Quadragesimæ. Oportet enim hoc tempore corrigere mores, ieunare, plorare, orare, patientes esse, vigilare, pœnitere, elemosynam dare, quæ omnia in Responsorijs continentur.

2 Frequentatur Psalmus nonagesimus *Qui habitat, &c.* à quo plures Versus hoc tempore desumuntur: quia, inquit Amal. lib. 4. cap. 19. sumus in his diebus in maiori certamine tentationum; vel inde est, quia male usurpauit hunc Psalmum satanas tentando Christum; contra quem repetimus eumdem in proprio sensu: *Angelis suis mandauit, &c.*

3 Antiphonarum ad Laudes, Cormundum, &c. meminit Amal. *de Ord. Antiph. cap. 36.*

4 Cantabatur in diebus nostris Hymnus *Ad preces nostras* in secundis Vesperris, qui non erat antiquus, & ratione metri scatebat erroribus: tum nullum erat Festum quod quatuor gauderet Hymnis, ad primas Vesperras, Nocturnos, Laudes, & secundas Vesperras, præter Dominicæ Quadragesimæ; & occupatis Ferijs secundis a Festo Duplici (quando Pascha occurrit die 22. Aprilis) eo anno numquam recitabatur. quibus omnibus consideratis, in Recognitione Breuiarij Clementina de Breuiario fuit ademptus. De alijs tribus Hymnis diximus *Sect. 5. cap. 6. pag. 68.*

5 In Feria secunda sequenti adiunt Capitula propria pro omnibus Horis ferialibus Quadragesimæ, de quibus mentio-

mentio est apud Duran. lib. 6. cap. 28.

6 De Quatuor Temporibus nihil fit in Officio. Et de his iam diximus Tomo priore.

7 Dominica secunda cur habeat Euangelium Sabbati præcedentis, habet in Tomo priori. Fortè legitur, quia initio Martij transfiguratus est Christus, si Beletho credimus, *de Diu. Off. cap. 144.* anno Christi vltimo: & in Dominica, hora quarta diei, vt scribit S. Epiph. cit. ab Azor. par. 2. lib. 1. c. 15. quest. 4. Antiphona ad Laudes, *Dominus labia mea, &c.* habentur apud Amalar. *de Ord. Antiph. cap. 38.*

8 Dominica tertia habet easdem Antiphonas ad Laudes, *Fac benigne, &c.* quas recenset idem Amalar. *cap. 40.*

9 In sequenti Feria quinta est Oratio singularis de SS. Colma & Damiano; quia Statio fit in eorum Ecclesia, quā dedicauit Romæ in foro boario Felix IV. ex Rupert. lib. 8. cap. 2. Sed in lib. Sacramentorum S. Gregorij non habetur hæc Collecta; & aliás diximus, à Gregorio II. data esse Officia Ferijs quintis Quadragesimæ. Quis igitur Collectam compositerit, est incertum; cùm in lib. cit. sancti Gregorij I. habeatur Oratio alia cū Secreta & Postcommunione: quarum auctor dicitur Gregorius II. ergo non est Gregoriana, neque Primi, neque Secundi. Non tamen impedit commune Suffragium de ijsdem Sanctis in Ecclesia eorumdem. qua de re in Tomo 1. pag. 236.

De Dominica Passionis.

C A P. X I I.

I N primis Vesperis, etiam si sint de Sancta, teguntur Cruces & imagines; omittuntur Suffragia, seu communes commémorationes

Sanctorum, vt ad Christum hoc tempore sit unicum refugium nostrum; nec de Pace loquimur, quia representatiuè moritur ille, & nondum surrexit, qui deinde dixit, Pax vobis, Duran. lib. 6. cap. 60.

2 Ad Completorium de Tempore, & ad Horas minores (non autem de Sanctis) in Responsorio breui, item in omnibus Responsorijs omittitur *Gloria Patri*, Ordo Romanus; sicut etiam in Inuitatorio, ex Concil. Tolet. can. 15. *Gloria Patri*, inquit Concilium, in fine Responsiorum in latis sequitur, in tristioribus verò reperitur principium: quod idè fit, vt compaginemur humilitati Christi, omitendo excelsa nostra eo tempore quo ipsa Trinitas dehonestatur in persona Christi, ait Alcuinus.

3 In Psalmis tamen nondum tacetur *Gloria Patri*; quia Psalmi, vt diximus suprà, significant opera, & nondum Iudæi operibus, sed linguis tantum, de nece Christi agunt. In triduo verò maioris Hebdomadæ remouetur à Psalmis; quia opere compleuerunt Iudæi necem Christi. Hæc Dur. lib. 6. cap. 60.

4 Ieremias legitur, vt in Ord. Rom. & ex Decreto Gelasij, ob causam allatam suprà Sect. 5. cap. 12. num. 8. pag. 85. De Hymnis diximus eadem Sect. cap. 6.

5 In Feria 2. sequenti habemus eadem Capitula, quæ indicat Duran. cap. 61.

6 In Feria 5. Antiphona ad *Benedictus* & *Magnificat*, contra morem præcedentium Feriarum, discordant ab Euangelio Feriæ. Quare? tum quia de Passione sunt, congruentissimæ temporis; tum quia meminisse debes, Feriam hanc non habuisse proprium Euangelium ante tempora

Q Gre-

122 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. VI. Cap. XII.

Gregorij II. vt dixi *cap. præced. num. 9.*
Et licet in alijs præcedentibus Ferijs
quintis , addito Euangelio , additæ
quoque sint, remotis alijs, concordan-
tes Antiphonæ ; tamen in hac vltima
Feria quinta , addito Euangelio , non
sunt mutatae priores Antiphonæ, vt an-
tiqui ritus vestigium aliquod rema-
neret in hanc vñque diem.

7 In Sabbato Palmarum Euange-
lium legitur , quod historicè contigit
pridie Dominicæ Palmarum : nam ibi
dicitur , *In crastinum autem, &c.* qua
de re scribit Durandus *lib. 6. cap. 66.*
quòd quædam Ecclesiæ hoc idem
Euangelium legebant hac die , non
omnes: nam alia, ex Ruperr. *lib. 5.c.6.*
& eodem Durand. *ibidem*, legebant in
Sabbato, *Ante sex dies Pascha*, & in
Fer. 2. Palmarum , *Cogitauerunt, vt*
Lazarum interficerent. Quem titum
nostrum quis non videat aptiorem
esse ad mysteria quæ celebramus ? &
conformior est Breuiario & Missali-
bus M.S. antiquis, & prælo etiam da-
tis ante annum 1550.

8 Quæritur, An in concursu Festi
nouem Lectionum cum Dominicis
Passionis , seu Palmarum in Respon-
sorio breui Completorij omittendus
fit Versus *Gloria Patri* : & quidem
certum est , quòd in concursu Festi
Duplicis non omittitur , ratione cuius
Completorium est festuum , in quo
idcirco non dicuntur Preces. Contro-
uersia fuit de Festo Semiduplici , de
quo tamen diximus *Sett. 5.c. 14. n. 2.*
quòd in secundis Vesperis Dominicæ
Passionis inchoato Festo per comme-
morationem Semiduplicis , ea quæ
sequuntur festiva censentur: at in pri-
mis Vesperis Dominicæ Passionis , seu
Palmarum , Completorium sequens
habet magis de ratione Dominicæ

iam inchoatae in Vesperis , quām de-
ratione Festi iam finiti; & ideo debet
omitti Versus *Gloria Patri*. Neque ob-
stant quæ in ferè simili casu diximus
Sett. 5.c.6.num. 15. quia aliud est mu-
tare formam glorificationis SS. Trini-
tatis in fine Hymni Completorij ; qua
in re nihil deperit Officio Dominicæ ,
quod eiusdem sit proprium: aliud est
omittere glorificationem eamdem in
Responsorio breui, quod est proprium
Dominicæ Passionis.

De Dominicâ Palmarum , &
Hebdomada maiore.

C A P . X I I I .

1 **E** Vangelium Palmarum cum
Homilia in Officio legi, scri-
bit Microl. *cap. 52.* reliqua
concordant cum antiquis. In Capitulo
Nonæ non genuflectitur ad ea , *In no-*
mine Iesu, &c. eadem ratione qua non
genuflectitur in Responsorijs ad ea ,
Et Verbum caro, &c. neque in Versi-
bus Precum fit signum Crucis ad ea,
Deus in adiutorium, &c. Sunt enim
actus proprij , non communes vbiue
iisdem verbis.

2 In Feria 3. & 4. nulla Homilia;
quia in Missa nullum Euangelium, in
qua Passio Christi secundum Mar-
cum & secundum Lucam legitur. De
Ieremia legitur vt in Dominicâ præ-
cedenti ; quia de Passione Domini
proprijs scribit.

3 Feriæ quintæ discordat Officium
à Missa , quæ est de sanctissimo Sacra-
mento.

4 In Horis Canonis huius tridui
celebramus exequias triduanas mortis
Christi , ait Rupert. *lib. 5. cap. 24.* sine
initio inchoamus Matutinum , Ordo
Rom. & Horas item : & sine fine soli-
to

to imponimus finem; quia Christus moritur, alpha & omega, principium & finis, Ruper. *ibidem cap. 14.* & 25.

5 In uitatorium omittitur, Ordo Roman. in detestationem in uitationis Iudæorum ad conciliabula contra Christum, Alcuin. *cap. In Cœna Domini.*

6 Quindecim candelæ accenduntur in candelabro triangulari, ad fidem de sanctissima Trinitate denotandam, quæ tunc vigebat in B. Virgine, Apostolis, & tribus feminis Mariæ nomine insignitis, ex Io. Beleth *cap. 101.* Numerus autem candelarum erat tunc apud quosdam, quem vniuersalis Ecclesia recepit, vt in Breu. edito Venet. 1550. habetur: antiquiores enim vel non indicant numerum, in Breu. M. S. vel diuersum numerum, in Ord. Rom. 24. candelarum; vel alium numerum in diuersis locis diuersum. lege Io. Belethi *loco citato.* Candelæque debent esse ex cera communi, non alba, ex Cærim. Epis. *lib. 2. cap. 22.* quia color est obscurus; quindecim conformates, *ibidem;* & in Altari sex eiusdem generis ceræ, *ibidem.*

7 Candelabrum triangulare à latere Epistolæ collocandum est, vt in Cærimon. *cit. loco:* quia sinistrum cornu Altaris est, quod in Missa Hebreos significat, ad quos primò venit Christus, Iuo Carnot. *Serm. de Conuenientia noui & veteris Sacrificij.* fuerunt enim Apostoli ex Hebræis: nisi velimus, in sinistro latere portendi sinistros euentus in Christo.

8 Prima Antiphona est, *Zelus domus tuae,* &c. in Ordine Rom. Psalmi verò & Antiphonæ finiuntur cum modica deflexione vocis, ad distinctionem, ex Directorio Chori antiquo; præsertim, quia non dicitur in fine *Gloria Patri*, ob causam allatam

Suprà cap. 12. num. 3. pag. 121. Signum Crucis adhiberi potest ante Antiphonam, *Zelus domus tuae*, vt ante Officium fieri solet ad Vers. *Deus in adiutorium.* Ante omnem actum manus pingat Crucem, ait S. Hier. & his præsertim diebus, quibus Crucis vexillum prodit.

9 Ad vnumquemque Psalmum extinguitur vna candela, Amal. *lib. 4. cap. 22.* vna post aliam; quia Apostoli paulatim defecerunt à Christo, Belethi *cap. 101.* Et primo loco extinguitur ea quæ est ultima in latere Euangelij, Cærim. Epis. *loco citato.* & deinde ab alio latere, & sic successuè, Ordo Rom.

10 In fine Psalmorum cuiuslibet Nocturni dicitur totum secretum *Pater noster;* quia, inquit Durand. *cap. 72.* de Euangeliō est; & Euanglica enuntiatio fugientibus Apostolis cessauit. Christus etiam orauit in Passione australius ab alijs, & valde secreto, idem *ibidem.* Trepidabant Apostoli in precipibus, Gemma *lib. 3. cap. 88.*

11 Neque dicitur, *In te Domne, nec Tu autem Domine,* &c. Ordo Rom. quæ significant, vt alijs docuimus, eentes ad prædicationem, & ab ea redeentes; & hoc loco sic explicat Gemma *loco cit.* vbi etiam addit, non dari benedictionem ante Lectiones, quia Pastor recedit fons omnis benedictionis.

12 Lectiones primi Nocturni sunt de Lamentationibus Ieremiæ, ex Decreto Gelasij *loco suprà cit.* cùm de Lectionibus dicuntur Threni, id est Lamentationes, quæ à Ieremia compositoræ fuerunt post dirutam Ierosolymam, & templum eius exustum, anno mundi 3447. ex Torniello nostro. Threni dicuntur à Beletho c. 101. ob

124 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. VI. Cap. XIII.

Trenarum montem , vbi animarum lamentationes , quæ illic puniuntur , sæpius audiuntur ; sed penes eum sit fides . Durandus ab eo accepit , & approbat cap. 72.

13 Alphabeto distinguuntur Versus Threnorum , Aleph , Beth , &c. quæ & debent dici à Lectore ; tum ex more Hebræorum , qui Alphabeto vtuntur in Canticis nobilioribus , ut David in Psal. 33. & 118. Salomon Proh. 31. vbi laudat mulierem fortem : tum ex Hieron. in Prologo Bibliorum , quia Versus ipsi in Hebræo codice à characteribus Alphabeti ordine Alphabetico incipiunt ; tum verò etiam , ex Duran. loco citato , ad increpationem Iudæorum , qui rem notissimam , ut Alphabetum , Passionem Christi negant . Fusiūs Durandus .

14 Terminus Lectionum Feriæ 5. usquead Cogitauit Dominus , &c. habetur in Ordine Rom. cum exterminatione , inquit idem Ordo , in fine Lectionis : exterminatio verò est ea , Ierusalem , conuertere , &c. ex Io. Beleth loco citato , quæ cum geminatione fit , Ierusalem , Ierusalem ; exemplo Christi , qui Matb. 23. hac geminatione vsus est , vt notauit Mich. Timoth. in Diu. Offic. quest. 68. tract. 3.

15 Lectiones secundi Nocturni , ex tractatu S. Augustini , Exaudi Deus , habentur in Ord. Romano .

16 Lectiones tertij Nocturni de Apostolo , ex Decr. Gelasij , vti etiam præcedentes , nimirum de Eucharistia , 1. Cor. 11. & Responsoria sunt eadem quæ in antiquis Breuiarijs .

17 Antiphona ad Laudes cum reliquis concordant cum antiquis . Non dicitur Capitulum , sed tantum Versus , Antiphona cum Cantico Euangelico , Pater noster , & Oratio secretæ .

Hæc in Ord. Rom. Psal. Miserere , & Oratio Respice , habentur apud Beleth cap. 102.

18 Versus ille , Christus factus est , &c. erat in vsu in Breuiarijs M.S. antiquis , & in edito anno 1550. cum eadem distributione in tres partes , pro triduo , quam nos hodie adhibemus , & ad omnes Horas . Dicitur semper genibus flexis , etiam ad Horas minores ; & in fine Matutini dicitur cum Psalm. Miserere , & Oratione , si Matutinum separetur à Laudibus .

19 Sed cur Capitulum non dicitur , Versus autem dicuntur ? Respondeat Amalar. lib. 4. c. 21. maiorum munus est cantandi Capitulum , vt diximus supra Sect. 5. cap. 15. num. 4. pag. 92. minorum autem est dicere Versus . Cum igitur hoc Officium sit de Christi humilitate , raceant maiores , audiuntur minores ; & hi quoque minores ex Discipulis (vti sunt mulieres) adhæsere Crucifixo .

20 Psalmus Miserere & Oratio humili voce dicuntur in Breuiarijs M.S. ad designandum Apostolorum timorem , Duran. loco citato ; Oratio quæ dicitur non à stante , vt alias Sacerdote , Amalar. lib. 4. cap. 21 sed genuflexo , ex Cærim. Pap. lib. 2. cap. 42. Cærim. Episc. lib. 2. cap. 22. & ex Breuiario ipso in ijs verbis , & omnes surgunt : ergo non priùs Celebrans surgit , nimirum ad imitandum Christi humilitatis exemplum . Neque salutatione Sacerdotali vtimur , hoc est , Dominus vobiscum , ad detestandam salutationem Iudæ . Amalar. ibidem . vel quia summus Sacerdos moritur , Alcuinus . In fine Horarum huius tridui non dicitur Oratio Dominicæ , nec aliud quidquam ; quia nulla est Rubrica quæ id significet : & , quæ necessariò dicenda sunt ,

sunt , satis apertè describuntur.

21 Fragor denique fit & strepitus, qui significant vel tenebras in Christi morte cum terræmotu ; vel concrepationem Iudæ , & tumultum cohortis, Duran. loco cit.

22 Extinctis præter vnam , quæ est in summitate candelabri , candelis omnibus, ex Alcuino, significatur primò defectus fidei circa 14. articulos à sancto Thoma enumeratos , Duran. loco citato. Quæ ratio à modernis Theologis exploditur , si de Apostolis loquatur : deinde tunc nondum erant 14. articuli fidei. Occultata candela, & rursus ostensa populo , vt fragor cesset, designat Virginem Matrem , in qua super Apostolos fides excelluit ; vel denotat Christum mox rediuiuum futurum in resurrectione , ex Amaral. lib. 4. cap. 22. vel fidem Ecclesiæ eo tempore occultatam , Duran. loco citato. Candelas Altaris extinctas cum alijs , significare docet Prophetarum mortem , & Iudæorum cæcitatem , Rup. lib. 5. cap. 26.

23 Horæ minores recitantur demissa voce, vt in Rubr propria, quæ eadem est cum antiquis, & in Ord.Rom. neque legitur Martyrologium , neque dicitur *Pretiosa* , ratione allata supra Seitz. 5. c. 18. n. 17. pag. 104. cùm de Suffragijs Sanctorum. Vesperæ eædem quæ in Ord. Rom. excepta Oratione. Completorium inchoatur à *Confiteor*, ex vñ communiori , quem firmauimus Rubrica clariori in postrema Breuiarij recognitione.

24 Cur autem hæ demissa voce, quæ sunt Horæ diurnæ , alta voce nocturnæ dicuntur? quia Prophetæ obscurius , sed liberiūs de Christo sunt locuti : Apostoli , qui ad diem Christi, quem vidit Abraham , & gauisus est ,

attinent, in passione eiusdem vix audiabantur, Beleth cap. 102.

25 Lectiones Feriæ sextæ eædem sunt quæ in Ord.Rom. vti etiam Antiphonæ, & Psalmi. de Sabbato nihil occurrit noui. Atque in hoc triduo , ait Alcuin. de Cœna Domini, insinuatur, quod Dominus descendens ad inferos, tria hominum genera rapuit, & transuerxit ad nouem Ordines Angelorum , quos designant tres Nocturni cuiusque Officij , hoc est, vt exponit Amal. lib. 4. cap. 21. qui in agro, molendino , & lecto esse dicuntur, Luca 17. qui sub lumine , & lege naturali, qui sub Moysaica, & qui sub Prophetis : vel, vt exponit Dur. lib. 6. cap. 22. Virgines, Coniugati, Continentes.

26 Vesperæ Sabbati in fine Missæ dicuntur, vt in Missali. Extra Missam qui recitarit, dicat *Pater*, & *Ave*, & sine principio, hoc est, *Deus in adiutorium* (quidquid scribant alij contra Rubricam Breuiarij apertam) quia nondum Caput nostrum rediit in resurrectione, cum Antiph. *Alleluia*, ad modum Duplicis, recitet Psalmum, & quæ sequuntur in Breuiario ; quibus finitis, nihil aliud addatur nisi *Pater noster*, vt hæ Vesperæ (quas non habet propriè hoc Sabbathum ex S. August.) careant adhuc principio & fine, quod est firmatum in postrema Breuiarij recognitione.

27 Confuerunt dīci Vesperæ breuiiores in hoc Sabbato, & vñ cum fine Missæ ; tum , ne Neophyti nondum assueri diuinis Officijs tardio afficerentur ; tum, ne finita Missa per *Itē missa est*, populus recederet sine Vesperis Paschalibus, Beleth cap. 111. quo ferè modo idem scribit cap. 98, finiti Missam cum Vesperis in Parasceue.

Q3 28 Com-

28 Completoriū incipit esse Paschale cum principio, & fine. Antiphona ad *Nunc dimittis* dicitur ad modum ritus Semiduplicis, ut expressè dicitur in Breuiario edito 1550. Quod autem dicitur, ad Antiphonam *Regina Cœli*, &c. standum esse, neque genua flecti toto tempore Paschali; hoc postremum intellige de oratione, non de adoratione, quæ semper fit cum genuflexione, vt ad ea verba patet. *Et incarnatus est*, &c. *Et Verbum caro factum est*: *Tecum quæsumus famulis tuis*, &c. Quare ad Salutationem Angelicam, quæ ter in die sonatur cum campana, ex Decreto Ioannis XXII. vt scribit Polyd. Virgil. lib. 6. cap. 12. seu verius, manè & vesperi, ex Decreto Gregorij IX. an. 1239. vt eodem anno scribit Bzouius: & in meridie abrogatum fortasse usum post Ioannem XXII. restituit Callistus III. an. 1456. ex eodem Bzouio, ibidem. si orationem eam esse putas, stare debes; si adorationem, genua flectere. Ego existimo adorationem esse Incarnationis Verbi diuini: sed quia communior est hodie sensus, & usus, quod ea sit oratio, nec ego genua flecto cum alijs.

29 Quæres: An in hoc triduo ad Horas minores accendantur cerei in Altari. Et in Nocturnis quidem & Laudibus accenduntur; extinguntur autem cùm cantatur *Benedictus*, à Versu illo, *Vt sine timore*. In Feria sexta Horæ ante Missam sine cereis accensis dicuntur, Cærimon. Episcop. lib. 2. cap. 25. In Sabbato idem facendum est ante noui ignis benedictionem. In alijs Horis ante Missam Fer. 5. & ad Vespertas quascumque accendi debent, non ad Completorium, nisi Sabatti sancti.

De Paschate, & eiusdem Octaua.

C A P . X I V .

M Atutinum habetur, vt apud nos, in Ord. Romano, cum tribus Psalmis, totidem Antiphonis, Lectionibus, sine Hymno; quibus ternarijs significantur opera trium dierum, quæ Christus se promisit facturū in præsenti sæculo, *Luc. 13.* hoc est, dæmonia ciicere, sanitates perficere, & consummari tertia die: vel significantur Fides, Spes, & Charitas, quæ in hoc mysterio maximè vigent. Hæc Amalar. lib. 4. cap. 23. Vel dicamus cum Ruper. lib. 8. cap. 2. in nomine S. Trinitatis celebratum esse Baptisma, & ideò tres dici Psalmos; tres autem Lectiones, quia adhuc pauci Prædicatores erant, inquit idem lib. 1. cap. 10. Vel triduanam sepulturam recolimus, ex qua Resurrectio ortum habuit, Duran. lib. 6. cap. 87. Certè antiquum esse hunc ritum testatur, & firmavit Decreto Gregorius VII. *De Consecratione, Distinct. 5. In die.*

2 Non dicitur Hymnus, neque ad alias Horas; quia tempus Paſchale significat statum Beatorum, quorum Hymnus est *Alleluia*, Duran. loco cit.

3 Antiphonæ ad Laudes habentur in Breuiarijs M. S. antiquis. Capitulum non dicitur, neque ad Horas; quia in statu Beatorum non est locus exhortationi, quam alias diximus contineri in Capitulis. Ex quo consequenter non dicitur Responsorium breue, vt notat Durand. loco citato. sunt enim correlativa in Horis minoribus Capitulum, & breve Responsorium; sicut exhortatio, & opus bonum, quæ in illis significantur, vt docuimus Sett. 5. neque sunt comprehen-

hensorum, sed tantum viatorum.

4 Non dicuntur Versus nisi in Nocturno, ob eamdem causam; cum significant excitationem animorum & conuersationem ad Deum. In Nocturno dicitur, quia in nocte timor adest, ait Amalar. *de Ord. Antiph. cap. 52.* & ob facilem noctis somnum, cum Versu fugandus est animorum torpor.

5 *Hac dies* loco prædictorum dicitur: qui Versus desumptus est è Psalmo, cui titulus est *Alleluia*, ut notat Ruper. *lib. 7. cap. 11.* Ordo Romanus eundem Versum habet, & significat lætitiae magnitudinem, ex Rup. *lib. 8. cap. 2.* & quod in statu Beatorum sibi inuicem gaudent & gratulantur, *Gemma lib. 3. cap. 128.*

6 Non dicitur ad Primā Symbolum Athanasij; quia in statu Beatorum non est fides, *Gemma loco cit.* qui status repræsentatur in Christi resurrectione.

7 Vesperæ in Ordine Rom. diuidebantur, ita ut duo ultimi Psalmi, *Laudate pueri*, &c. *In exitu*, cantarentur ad Fontes Baptismales, in quibus baptizati facti sunt pueri, & quasi per mare rubrum transentes exierunt de Aegypto: sed ubi non erant Fontes, cantabantur sine diuisione, *Dur. lib. 6. cap. 89.*

8 Feriæ 2. & 3. sunt Festa maiora, quorum meminit Aug. 22. *Cin. Des. c. 8.* & in his, & in sequentibus diebus eadem dicuntur quæ in die primo; quia, ut alias dictum est, octo dies in Octaua una dies sunt, vnde & dicitur quotidie, *Hac dies*. Ordo Rom. eundem habet ritum præscribens Homiliam singulis diebus; quem restituit Pius V. addens Homiliam Feriæ tertiaræ, in qua paulo ante Pium legebatur Sermo sancti Augustini; & item Feriæ sextæ, in qua Sermo S. Ambrosij legebatur,

De Tempore Paschali.

CAP. XV.

1 N Dominica in Albis resumuntur plures Psalmi & Hymni, ex Ord. Rom. ubi additur etiam causa. Deinde, inquit, in sequenti tempore quasi crescentium arborum frondes multiplicantur Psalmi, & recoluntur mores boni diuersorum operum per plures Psalmos. Idem afferit de nouem Lectionibus in hac Dominica Gemma *lib. 4. cap. 117.* Ad Primam non dicitur Psalmus *Confitemini* more Festorum; quia tempus Paschale totum est festuum, etiam in Officio feriali.

2 In secunda Feria leguntur Actus Apostolorum, ex Decreto Gelasij, & Ordine Romano, indicat August. *in Sermone citato à Demochare Tom. 4. cap. 12.* Scripsit Lucas Romæ eadem Acta anno 61. Neronis quinto, ex Baron. *ad eundem annum.*

3 Psalmi dicuntur hoc tempore, feriales præsertim, sub una Antiphona *Alleluia*, ex Gemma loco citato, quia, sicut ex Ordine Romano paulo ante diximus, multiplicantur Psalmi quasi arborum frondes; ita ab una Antiphona, quasi ab una radice, congrue pendunt. Vide *Secl. 5. cap. 7. n. 5. pag. 74.* aliam causam. Ad Laudes ijdem semper Psalmi dicuntur, ex Gemma loco citato; & commemoratione de sola Crucifixione in Breuiarijs M. S. antiquis; quia fuit causa lætitiae Paschalis, inquit Azor. *lib. 10. cap. 16.* & quia Christus ipse ad gloriam Crucis Vulnera retinuit, ab ea, vel in ea eidem inficta; quæ passim Apostolis & alijs ostendit his diebus. Oratio vero de Crucis desumpta est à Sacramentario S. Gregorij; sed

sed est Ambrosiana , vt dictum est virtute magna reddiderunt Apostoli Tomo primo.

4 In Dominica secunda post Pascha continuatur Lectione Actuum Apostolorum; quia est exemplaris, cùm antiqui legerent in hac & sequenti Dominica Apocalypsim, vsq; ad annum 1550. & Responsoria congruent Lectionibus, repetita in tribus Hebdomadibus, tamquam propria Resurrectionis eius qui tercia die resurrexit.

5 Dominica tercia legitur Apocalypsis, quam scripsit Ioannes Apostolus in Patmos: ad quam Insulam relegatus fuit à Domitiano anno decimo eius Imperij, & 14. eiusdem eam scripsit, qui fuit annus Christi 97. ex Baronio *eodem anno in Annal.*

6 In Dominica quarta legitur Epistola Iacobi , quam Eusebius lib. 2. Hist. cap. 22. appellat primam earum quæ Catholicæ nominantur; non quod Iacobus ante Petrum scripserit, sed quia in Canone prima collocatur. Obiit ille anno 63. ex Baronio; & facilè eam scripsit, occasione Hæresim Simonis Magi. Responsoria Davidica habentur apud Amal. de Ord. Antiph. cap. 54. Quod si hæc Dominica occurrat die 2. Maij, cùm pridie legi debeat initium Epistolæ Iacobi , ob eiusdem Festum , legantur in hac Dominica Lectiones Feriarum 2. sequentis, ad varietatem , vti decretum est in postrema Breuiarij recognitione.

7 In Dominica quinta legitur Epistola prima S. Petri , scripta anno 45. cùm esset Romæ, quam in fine Epistolæ , more illorum temporum ab Apostolis visitato, Babylonem appellat. Et hæc de Dominicis post Pascha ; in quibus cur legantur Apostolica facta , & scripta præter Gelasij Decretum, addit causam Ruper. lib. 10. cap. vlt. quia

virtute magna reddiderunt Apostoli testimonium Resurrectionis Christi. Orationes à Dominica secunda ad quintam sunt alia à Missis , quæ habentur in Sacramentario Gregoriano.

De Litanij maioribus & minoribus.

C A P . X V I .

Si occurrant Litaniæ maiores in Paschate , quod accidit anno 1666. & quando littera Dominicalis est C, & Epacta xxv. vel xxiv. vt videre est in Tabula nostra 35. Ordinis perpetui, eo casu transferendæ sunt in Feriam tertiam, ex Decreto S. Rituum Congregationis die 25. Septemb. 1627. cum Processione , in diem quidem Festum , vt populus adsit; non in die Paschatis , né populus impediatur à Communione Paschali; neve tristari videatur vel minimum in tanta solemnitate , colore violaceo adhibito, & Missa cantata de luctu : & consequenter Litaniæ à priuatis in eadem Feria recitandæ erunt.

2 Alijs non habebatur in Breuiario Officium de Rogationibus , sed Missa tantum dicebatur: nunc autem Homilia legitur super Euangeliū Missæ & dicitur in Officio Oratio Missæ , quæ habetur in Sacramentario Gregor. De Feria tercia Rogationum nulla fit in Officio de Feste , etiam Simplici, commemoratione.

3 Qui non intersunt Processionibus dicant priuatim Litanias, &c. quo verbo præcipitur omnibus qui tenentur recitare Horas Canonicas sub mortali, ex Suar. lib. 4. de Hor. Can. cap. 25. num. 8. & 9. Neque de his loquitur Pius V. in Bulla, quando tantum hor-

tatur

tatur ad Psalmos Pœnitentiales, &c. Et licet oremus stantes tempore Pa-schali; tamen ij qui non intersunt Processionibus, flexis genibus eas recitare debent, *Io. Beleth c. 121.* mœ-rem enim habent cum colore viola-ceo, & recitantes peccatorum potius statum repræsentant quām iustorum, vnde in ijs dicunt, *Peccatores, &c.* De auctoribus Litaniarum maiorum & minorum diximus in primo Tomo.

4 Cœcant ij qui in Processione fa-bulanter, & materialiter tantū can-tant cum alijs Litanias, vel non can-tant, ne rei fiant coram Deo: com-munis enim est opinio, eos teneri ad priuatum earumdem recitationem; quia inter absentes eo modo nume-rantur.

5 An verò in Processione sint can-tanda Litaniae cum repetitione, vt fit in Sabbato sancto. Nonnulli eas can-tant cum repetitione in Litanijis mai-oribus, non in alijs, alij semper cum re-petitione. Standum videtur consuetu-dini locorum, habita ratione quoque longioris aut brevioris viæ: sed repe-titio propria est Sabbati sancti & Pen-tecostes. Si fiat Processio, non antè discedatur ab Altari, quām sit canta-tum inclusuè, *S. Maria, ora pro nobis,* vt dicitur in Rituali Pauli V. In lon-giori Processione vel repitantur, vel addantur Psalmi Pœnitentiales, seu Graduale, *ibid.* terminetur autem cum Precibus & Orationibus, quæ habentur in fine Litaniarum Breuiarij Romani, *ibid.*

6 Quæsitum fuit: An ille qui feci-tat vesperi Matutinum cum Laudibus, possit etiam statim recitare Litanias: & respondi, posse, quia Rubrica con-iungit Litanias cum Laudibus, quibus idcirco adimitur *¶. Fidelium tit. 30.*

de Oratione num. 3. & accessoriis se-quitur naturam sui principalis: quod in hoc casu sunt Laudes.

De Feste Ascensionis Domini.

C A P. X V I I.

1 **V**igilia Ascensionis non ha-bet iejunium, quia de tempo-re Paschali est; vnde & ad-mittit Hymnum *Te Deum*. Habet Homiliam de Euangeli Missæ, de no-uo iure Pij V. vt concordet Officium cum Missa. Microl. cap. 55. meminit ieuniij; ergo post eum cessauit, vel alicubi tantū fuit seruatum.

2 Ascensio Domini indicitur festi-ua cum Antiphonis ad vnumquemque Psalmum, puto ad feruorem cha-ritatis excitandum, quæ in Antiphonis significatur, vt diximus suprà *Sect. 5. c. 7. n. 3.* & in Ordine Rom. leguntur Lectiones primi Nocturni de Acti-bus Apostolorum, quæ à nobis. Amal. de *Ord. Antiph. c. 56.* indicat Officium idem quod nos recitamus. Oratio ha-betur in Sacram. Gregor. Habet Octa-uam, ex Radul. *Propos. 19.*

3 In sequentibus diebus prosequi-mur reliquas Epistolas legere Aposto-lorum Petri, Ioannis, & Iudæ, vs-que ad Pentecosten, ex Decreto Gela-sij. Et binæ Petri, ternæ Ioannis ha-bent rationem vnius libri, sicuti dixi-mus de Epistolis Pauli; vt idcirco ni-hil cures, si earum initia legi non pos-sint, impeditis proprijs Ferijs. quod in postrema Breuiarij recognitione ex-a-minauimus.

4 Scriptit autem Petrus secundam Epistolam anno Christi 68. paulò ante martyrium, vt idemmet significat in Epistola, Baron. eo anno. Sanctus Joannes scriptit primam, quæ legitur

R in

in Dominica infra Octauam Ascensionis, anno 99. occasione haeresis Basiliensis, qui negabat veritatem carnis in Christo; eodemque anno scripsisse creditur alias duas, quae leguntur in Feria quarta & sexta sequentibus. Iudas autem, ut putat Baronius, scripsit post 2. Petri, anno 68. cum sit eiusdem ferè argumenti; & ultimo loco ponitur, quia in Catalogo Apostolorum erat auctor de postremis: neque insignis ea fuit aestimata, ut Epistola Iacobi, quae ceteris praeposita fuit, ut merito Iude Epistola cesserit locum Epistolis S. Ioannis posterius scriptis, ut diximus, anno 99. Et haec de auctoribus Epistolarum.

5 Octaua Ascensionis erat Semiduplex in Breu. edito Ven. 1521. hodie Duplex: & habet Officium quad Lectiones proprium; alias enim ut in Festo legebatur. Habet primas & secundas integras Vesperas, si concurrant cum Dupli maior, ut in postrema Breuiarij recognitione decreatum est.

6 In Feria sexta & Sabbato sequentibus Officium est de Ascensione, & de Dominica infra Octauam Ascensionis. Sed cur in secundis Vesperis Octauæ Ascensionis non fit commemorationis sequentis Officii Semiduplicis per Antiphonam ad *Magnificat* Dominicæ; sicuti in secundis Vesperis Octauæ Innocentum fit de sequenti Offic. Semiduplici, Vigiliae Epiph. & per Antiphonam Dominicæ infra Octauam Nativitatis? eadem enim videtur esse ratio. Non est tamen eadem: nam concurrente Octaua Innocentum cum sequenti Vigilia, fit cursus inter Festum de Sanctis, & Officium de Domino Sanctorum sub minori ritu; & ideo de Dupli sunt

Vesperæ cum commemoratione sequentis Semiduplicis. At in Octaua Ascensionis cum sequenti Officio non debet esse concurrentia; quia utrumque Officium, licet Duplex alterum, alterum Semiduplex, est tamen de eodem Domino; de quo non conuenit facere Festum, & simul commemorationem, ideo omittitur commemorationis.

7 Si Feria 6. occurrat Festum Semiduplex, in secundis Vesperis fit tantum commemorationis Feriae textæ: & ratio est, quia potius est occurrentia Festi & Feriae, quam concurrentia cum Sabato sequenti; quod neque est Festum Semiduplex, neque dies infra Octauam, sed Officium Semiduplex repetitæ Dominicæ usque ad Nonam inclusiæ. Si occurrat Festum Duplex, fit de eo cum commemoratione Feriae in Laudibus, & secundis Vesperis, sine Lectione Homiliae, cuius Euangeliū in Dominicæ sufficieret fuit lectum. De Festo autem Semiduplici translato fit in hac Feria 6. ut alias in Breuiario Clementis VIII.

8 Dices: Cur in Sabbato, Vigilia Pentecostes, non dicitur in Officio Oratio Missæ, & legitur in eodem Euangeliū Missæ? Respondeo, quod Oratio Missæ ad baptizatos pertinet, ut patet ex eiusdem verbis; & hi baptizantur cantata Nona, & finito Officio.

9 Ad Primam in his duobus diebus, licet sint Officia Semiduplicia, & extra Octauam, omittuntur tamen Preces, de iure nouo Clementis VIII. quod tamen erat in usu in Breu. edito 1550.

10 Per decem vero dies fit Officium de Ascensione, Amal. de Ord. Antiph. c. 54. quia per obseruantiam Decalogi acceperant Apostoli Spiritum sanctum in Pentecoste, Duran.

lib.

lib. 6. cap. 105. Oratio Dominicæ alia est ab Oratione Missæ, quæ habetur in Sacramentario Greg.

De Pentecoste.

CAP. XVIII.

Habet in Matutino tres Psalmos cum totidem Lectionibus, ut in Paschate, Ordo Romanus, & ex Greg. VII. de *Consecrat. Dist. 5. cap. In die.* vbi assertur fieri de antiquo more, quamvis apud Romanos fuisse suo tempore Festum nouem Lectionum scribat Amalarius Gregorio longè antiquior in *Prologo de Ord. Antiph.* contra Ordinem Romanum Amalario antiquorem.

2 Restitutus est ergo ritus à Gregorio VII. vel firmatus Decreto: quo ritu idem significatur, quod diximus supra in Paschate *cap. 14. num. 1.* exceptis proprijs causis ad resurrectionem pertinentibus. Antiphonas, quæ in hac die dicuntur in Nocturno, recenset Amalar. *lib. 4. de Diu. Offic. cap. 27.* ut demonstretur, inquit, unum opus esse in potentia miraculorum S. Trinitatis, tum in resurrectione Filij, tum in aduentu Spiritus sancti. Tres Psalmos dici ob Baptismum, qui datur in Pentecoste in nomine Trinitatis, tradit Gemma *lib. 3. cap. 144.* Antiphonarum ad Laudes, quæ apud nos, meminit Amal. *de Ord. Antiph. cap. 57.* Antiphona quarta non videtur aliquibus congruere Festo: sed recolant, quod in Genesi dicitur, *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* De Hymnis, & eorum fine, vide sup. *Secl. 5. cap. 6. num. 5. &c. 12. pag. 67. 72.*

3 Ad horam Tertiam dicitur Hymnus *Veni Creator;* quia hora Tertia

super Apostolos Paracletus descendit. Et licet quotidie ad eamdem Horam inuocemus eundem Spiritum, *Nunc sancte nobis Spiritus;* tamen conuenit hac die, ut Hymno longiori & proprio Festi eum inuocemus, & ad nos inuitemus.

4 Per Octauam leguntur Euangeliæ cum Homilijs, quæ apud Duran. habentur *lib. 6. a cap. 110.* & deinceps: nam tempore Ruperti alia legebantur in Quatuor Temporibus Pentecostes, ut ipse scribit *lib. 10. cap. 27.*

5 De Feria quarta, sexta & Sabbatho Quatuor Temporum, quæ sunt Tempora aestiva, diximus Tomo priore. In his autem ad Horas non fletimus genua, ex Ord. Rom. quia tempus adhuc Paschale est; & ideo dicitur etiam *Te Deum.*

De Dominica Trinitatis.

CAP. XIX.

Præter ea, quæ diximus Tom. 1. par. 4. tit. 12. pag. 280. de origine Festi sanctissimæ Trinitatis, inuenies apud S. Augustinū Tom. 10. nonnullos Sermones in eodem Festo habitos, seu, quod puto verius, eidem Festo à Collectoribus assignatos: nam in ijs ne verbum quidem habetur, quo Festum hoc tunc temporis indicetur. Atqui post Alexandrum III. in Romana Ecclesia decretum est hoc Festum, *cap. Quoniam. de Ferijs.*

1 Officium, quod hodie recitatur, antiquum appellatur in Breuiario edito Venetijs 1550. & puto esse illud, quod à sancto Stephano Leodiensi compositum fuisse scribunt Duran. I. 6. c. 114. & Trithemius in *Chron. Hirsa- gieni.* Aliud Officium ego legi à Romana Ecclesia usurpatū, à Io. Pechano

R 2 At-

Archiepiscopo Cantuar. compositum, à Francisco Titelmanno expositum: quod fuit in vſu circa annum 1290. quo viuebat Pechanus: sed quia stylus est difficultior, & obscurissimus, eo abrogato, illud est sufficetum denuo, quo nos vtiimur; in quo tamen Pius V. mutauit Hymnos & Lectiones; addidit primum & ultimum Responoriū, media aliqua mutauit in meliora; ad Laudes autem iussit repeti Antiphonas in primis Vesperis positas, reliqua non sunt mutata. Oratio habetur in Sacramentario S. Gregorij, in *Missa de nocte Pentecostes, editionis Romanae*. Fit commemorat. Dominicæ primæ Pentecostes, ne omittatur Dominicæ, cuius Oratio est Ambrosiana. In secundis Vesperis, si concurrent cum Feito primæ classis, fit de sequenti, cum commemoratione Trinitatis tantum: si cum Feito secundæ classis, integræ Vesperæ erunt de Trinitate, ex Rub. de *Concurrent. num. 2.* quæ Vesperas integras assignat maiori Festo, & commemorationem minori. Ipsamet Trinitas sic voluit, à qua regitur Ecclesia; quidquid contraria scriperit Petrus Ruiz. Et hæc Dominica prima post Pentecosten ut sic, est eiusdem rationis cum Dominicis sequentibus: non enim de ea intelligitur Rubrica sub titulo Dominicarum primæ classis, quæ numquam omittuntur, nempe Dominicæ Trinitatis: & patet, quia de illis fit totum Officium, de hac vero commemoratione tantum: & ipsa commemoratione omittitur in secundis Vesperis, si Feria secunda celebretur Festum secundæ classis, vel primæ. Neque mireris, quod Festum Trinitatis nunc dicatur Festum, nunc Dominicæ; nam utrumque verum est: & ratione Dominicæ, in qua semper occur-

rit, habet hoc, quod numquam omittitur Officium de Trinitate, licet eodem occurrat alicubi primæ classis Festum; ratione vero Festi habet ea tantum quæ sunt propria Festorum secundæ classis, puta commem. de Simplici in Laudibus tantum, & in Missis priuatis. Neque in Rubricis potuit congruè aliter fieri ad utrumque decernendum, quidquid obiecerint non pauci.

2 Octauam in Octauario nostro descriptam arguunt aliqui; quia Microl. non laudat Festum: sed aliud est loqui de Ecclesia vniuersali, in qua quilibet Dominica Trinitati erat dictata; aliud est loqui de Titulo Ecclesia particularis. & in hoc sensu sacra Rituum Congregatio decrevit Octauam sanctissimæ Trinitatis, & dignorem in propria Ecclesia esse quam Octauam Corporis Christi. An vero infra Octauam dicatur Symbolum S. Athanasij, vide supra *Sect. 5. c. 20. num. 4. pag. 101.*

3 In tertia Antiphona ad Laudes, vox *omnium coniungenda* est cum *ore*, non autem cum *Patri*, ita, ut dicas, *in ore omnium*.

4 In Feria secunda sequenti, cum pridie non potuerit legi ob Festum Trinitatis, legitur primus liber Regum, Microl. *cap. 59.* & Gemma lib. 4. c. 117. quem librum à Samuele fuisse compositum, testatur liber 1. Paralipom. *cap. vlt. 1.* hoc est, usque ad cap. 24. nam in sequenti narratur eiusdem obitus. Dauidem suppleuisse ait Isid. lib. 6. *Originum cap. 2.* quem sequuntur alii: Nathanum, & Gadum alii, ex cap. vlt. 1. Paralipom. Ieremiam potius Torniellus noster existimat probabilius, *sub anno mundi 2977. num. 2.* Res est incerta.

Leg.

Legitur autem de libris Regum, ex Decreto Gelasij, ut diximus *Sect. 5. cap. 12. num. 8. pag. 85.*

De Festo Corporis Christi.

C A P. X X.

Officium scripsit sanctus Thomas. & habetur in *Opus. 57.* iuxta ritum illorum temporum. Hodie concordamus cum auctore, seruato ritu Pij V. in Officio toto, his exceptis. Capitulum in primis Vesperis erat aliud. Lectiones primi Nocturni erant de Scriptura veteri: amoto quarto Responsorio S. Thomae, additum est sextum de novo, Pij V. iussu.

2 Per Octauam non mutatur amplius Inuitatorium, neque Antiphonæ ad *Benedictus* & *Magnificat*. Lectiones quoque pro tribus Nocturnis additæ sunt à Pio V. in quibus apparent congruentiae cum mysterio, etiam in primis Lectionibus, quæ de Arca Testamenti, Eucharistiae figura, narrationem continent.

3 De Priuilegijs huius Octauæ, si concurrat cum Festo, & Octaua sancti Ioannis Baptista, & qua ratione excludat Semiduplicia Festa, & Duplicita translata, diximus *Sect. 3. cap. de Octauis.*

4 De Simplici fit tantum commemoratione infra hanc Octauam. An nona Lectio erit legenda? Negant aliqui, quia hoc non dicitur in propria Rubrica; quod tamen dictum fuit in Rubrica posita infra Octauam Ascensionis: sed una Rubrica explicat aliam, prior posteriorem. & patet debere legi, ex Rubr. gen. de Commemor. 9. num. 10.

5 Indulgentiae concessæ ijs qui in-

tersunt Horis Canonicas in Festo, & per Octauam, valent, etiam si Officium dicatur de Sanctis occurrentibus, ex Decreto Ioannis XXII. quod ego legi in antiquo M. S.

De Dominicis post Pentecosten.

C A P. X X I.

Non minorem viginti tribus, nec maiorem viginti octo Dominicarum numerum post Pentecosten fore usque ad Aduentum, satis superque patet; quæ supplentur cum Dominicis quæ superlunt post Epiphaniam, ut docuimus *Sect. 3. c. 5. de Dominicis pag. 25.* Ponuntur autem in Breuiario Dominicæ viginti quatuor cum proprijs Orationibus & Euangelijs, quæ fuerunt optimè per Dominicas distributa; Orationes quidem à sancto Gregorio, Euangelia vero à sancto Hieronymo: quorum auctoritas sufficiat pro ratione, cur potius hæc vel illa Oratio; cur hoc vel illud Euangelium legatur; & hac vel illa Dominicæ. Idem ferè, paucissimis mutatis, tum textus, tum ordo Euangeliorum hodie perseverat à sancto Hieronymo præscriptus, ut vidimus in eius Comite, seu Lectionario: in primis autem Dominicis post Pentecosten apud minus antiquos erat alius ordo, vel mutata sedes aliquando Dominicæ pro diuersarum Ecclesiarum usu; quod videre est in Ruper. 100 lib. 12. de Divinis Offic. in Gemma lib. 4. 100, & in Durando lib. 6. 100. Orationes item, quæ mox sequuntur, Ambrosianæ sunt, & à sancto Gregorio aliter distributæ, nimisrum, Dominicæ quintæ, nonæ, & vigesimali prime, reliqua Romanae.

R 3

2 Tem-

2 Tempus autem hoc totum à Pentecoste ad Aduentum, ex Amal. de Ord. Antiph. cap. 58. insinuat humilitatem illam; quam solet sustinere Ecclesia propter absentiam Christi sui Sponsi.

3 De ordine, quo legitur Scriptura sacra hoc tempore, & quam ob causam, scripsimus supra Sect. 5. cap. 12. num. 8. pag. 84.

4 Et quidem usque ad Augustum legimus libros Regum, quorum secundum scripsit vel Nathan, vel Gad, vel Ieremias; tertium & quartum Ieremias, ex Gemma lib. 4. cap. 117. qui hausit ab Isid. lib. 1. de Diuin. Offic. cap. 12. & est opinio constantior.

5 Mense Augusto leguntur Sapientiales libri; inter quos Cantica cantorum infra Octanam B. Virginis Assumptæ, in eiusdem laudem: & quidem Proverbiorum, Ecclesiastæ, Cantici cant. est sine dubio Salomon auctor; Sapientia vero libri facit auctorem eundem Salomonem Isid. loco citato, Philonem S. Hieronymus. qui conciliantur à Bellarim. de Scriptoribus Ecclesiasticis, quod sententiae Salomonis sunt; earum collector Philo, qui Græcè scripsit, antiquior alio Philone, qui sub Caio Imperatore floruit. Ecclesiasticus quoque legitur per duas Hebdomadas, nisi dematur altera, ob breuitatem temporis, appropinquante Septembri: quem librum scripsit Iesu filius Sirach, nepos Iesu Sacerdos, cuius meminit Zacharias, ut tradit Isid. de Diuin. Offic. loco citato.

6 Mense Septembri legitur primo Iob: cuius historia vel ab ipso met, vel à Moysè, vel ab aliquo ex Prophetis scripta est, ex Isid. lib. 6. Originum c. 2. Bellarminus loco citato putat à Iob fuisse adnotatas res à se gestas lingua

Arabica, & à Moysè deinde ex ijs compositum fuisse librum, quem nunc habemus lingua Hebraica; tum quia Hebrei hoc idem asserunt esse opus Moysis; tum quia dicitur Moyses primus sacrarum Litterarum scriptor, qui fuit tamen longè posterior Iobo, & hac ratione in Canonem Scripturarum ab Hebreis admissus fuit hic liber legitur autem per duas Hebdomadas Septembres.

7 Legitur præterea Tobias in tercia Hebdomada, cuius Historia auctor vel fuit Tobias senior, vel junior, ait Bellarm. Incertum esse auctorem, scribit Isid. de Diuin. Offic. loco citato. Sed parum de eo legitur, propter Ferias Quatuor Temporum, de quibus in priore Tomo diximus; & in Officio earum Feriali nihil occurrit specialiter notandum.

8 Circa finem Septembres in Hebdomada quarta & quinta legitur Iudith cum Esther; libri vero Iudith fuit auctor incertus, ex Isid. loco citato, Bellarminus ex Josephi historialib. 1. contra Appionem, Sacerdoti Eliachim tribuit, qui & Ioaichim. de quo cap. 4. & 15. Iudith. Achiorem vult esse auctorem Gemma lib. 4. cap. 117. Esther historia ab Esdra scripta fuit, ex Isid. lib. 6. Originum c. 2. sed Bellarmino magis placet, quod fuerit auctor Mardochæus. Lege Torniellum nostrum anno 3650. num. 3. & Gemmam loco citato.

9 Mense Octobri leguntur libri Machabæorum: quorum primus habet auctorem incertum, ex Isid. lib. 1. de Diuin. Offic. c. 12. Probabile videtur Bellarmino, fuisse scriptum à Ioanne filio Simonis; sed Gemma loco cit. docet, Simonem scripsisse prima capita, posteriora Ioannem. Secundum vero librum

librum scripsit Philo Iudaeus, ex Gemma *loco citato*, vel Iudaeus agrestis, sed eruditus, vtrat Duran. lib. 6. cap. 130. vel certius, Iason Cirenæus, vt *loco cit.* docet Bellarminus.

10 Mense Nouembri legitur primò Ezechiel per duas Hebdomadas, nisi Aduentus præproperè occupet Novuembrem, cuius reuelationes, sicuti & Danielis, & 12 minorum Prophetatum Synagogæ sapientes viri collegere, ex Isid. lib. 1. de Dis. Off. cap. 12. Auctores tamen ijdem dicendi sunt qui prophetauerunt. Maiores dicti sunt Prophetæ, Isaías, Ieremias, Ezechiel, Daniel, minores alij duodecim, tum ex August. 18. Ciu. Dei cap. 29. quia prolixiora Volumina illi scripserunt, hi Sermones breues; tum ex Bellarm. quia minorum Prophetatum libri omnes unico libro comprehenduntur apud Hebræos; illi singulos edidere libros. Ordinem autem temporum, quo scripserunt, habes suprà Sect. 5. cap. 12. num. 7. pag. 84.

11 In gratiam martyrij septem Machabæorum, si forte desit Dominica quinta Octobris, iubemur legere de eo Fer. 5. præcedente dictam Dominicam; & eodem modo, si Dominica quinta & Feria sequentes fuerint impeditæ, quo minus de Scriptura legi possit, leguntur in alijs sequentibus Ferijs post Feriam tertiam, ita ut saltem inchoentur, si minus omnes de eorumdem martyrio possunt legi Lectiones. Nulla enim est obligatio legendi totam historiam de martyrio septem Machabæorum, vt ex Rubrica patet in Breuiari. posita ante Fer. 5. Hebdom. 4. Octobris: ex qua vel leguntur in Feria 5. 6. & Sabbato Domin. 4. vel ijs impeditis, omittuntur quæ legi non possunt: vel in sua propria Hebdoma-

da quinta leguntur in suis proprijs Ferijs, vel in sequentibus 4. vel 5. vel 6. vel Sabbato, iuxta ordinem historiæ; numquam vero ultra tres Lectiones in qualibet Feria, ne grauetur Clerus. & fuit hoc sanctum, me præsente, in Recognitione Breuiarij sub Clemente VIII. Qui vero voluerit uno eodemque die eas omnes nouem unâ simul legere, impeditis alijs diebus, legat arbitratu suo; sicuti quilibet etiam legere potest integrum totum textum trium Lectionum pro initio cuiusque Prophetarum, & Lectione una: at in Calendarijs Ecclesiarum sat is est imponere necessarium onus Lectionum, non autem arbitrarium, quod & nos præstitimus in Ordine nostro diuini Officij perpetuo in Tabulis eiusdem. Habent autem SS. Machabæi Festum proprium 1. die Augusti, quod omissionem harum Lectionum supplere videtur.

12 Initia Lectionum minorum 12. Prophetarum legi debent, licet dixerimus apud Hebræos constituere unum librum; quia plures nihilominus sunt auctores, vt in Rubrica de Lectionibus dicitur num. 7. ita vt, inquit, aliquo modo ponatur initium Prophetæ vel in sequenti, vel in præcedenti Feria non impedita simili initio Scripturæ ponendo, vel plura simul initia uno die, vt diximus suprà Sectione 5. c. 12. num. 12. pag. 86.

13 Quid si, verbi gratia, Festum S. Catharinæ sit Duplex primæ classis in sua Ecclesia, in quo legi idem debent Lectiones primi Nocturni de Communi Virginum; neque dies amplius vacet ad legenda reliqua initia Prophetarum? saepè accidit in longiori Aduento; & tunc omitti possunt quæ locum non habent: nam Rubrica citata

citata num. 7. ait, *quoad commode fieri poterit*; parumque refert, si in Ecclesia aliqua particulari non legatur de omnibus Prophetis aliquo anno.

14 Lectiones autem secundi Nocturni in prædictis Dominicis concordant cum Lectionibus primi Nocturni, ita, ut sint quasi earumdem Commentaria, excepta Domin. 3. Septembris, in qua sanctus Leo nos invitat ad ieunium septimi mensis, & Dom. 5. Nouembrit, in qua sanctus Basilius timorem Domini docet; eò quod ea Dominica ultima post Pente-

costen, in Euangelio de fine mundi & de iudicio vniuersali agitur.

15 Responsoria denique Lectionibus respondent, ut nihil magis: sicut etiam Antiphonæ ad *Magnificat* in primis Vesperis Dominicæ desumuntur è Scriptura legenda in primo Nocturno Dominicæ eiusdem; ad *Benedictus*, & *Magnificat*, in secundis Vespetris, ex Euangelio eiusdem Dominicæ lecto in Nocturno tertio, ita, ut ipsæmet Antiphonæ sint de veteri vel nouo Testamento. Atque hæc de Proprio de Tempore.

SECTIO SEPTIMA.

De Proprio Sanctorum.

SECTIONIS SEPTIMÆ CAPITA XIII.

- 1 De Vigilijs, Festis & Octauis Sanctorum.
- 2 De Festis Sanctorum mense Decembri.
- 3 De Festis Sanctorum mense Ianuario.
- 4 De Festis Sanctorum mense Februario.
- 5 De Festis Sanctorum mense Martio.
- 6 De Festis Sanctorum mense Aprili.

De Vigilijs, Festis & Octauis Sanctorum.

- CAPUT I.
DE his vide in primo Tomo, & in Præfatione ad Octuarium Romanum.
 2 Historias singulorum Sanctorum, de quibus in Breuiario fit Officium,

- 7 De Festis Sanctorum mense Mais.
- 8 De Festis Sanctorum mense Iunio.
- 9 De Festis Sanctorum mense Iulio.
- 10 De Festis Sanctorum mense Agusto.
- 11 De Festis Sanctorum mense Septembri.
- 12 De Festis Sanctorum mense Octobri.
- 13 De Festis Sanctorum mense Novembri.

non est huius loci recensere; aliorum est prouincia, non nostra.

3 Quare hoc loco tantum est dicendum: Primò, quandonam cuique Sancto, de quo fit Officium, fuit assignata sedes in Calendario Romano; seu, quod idem est, in Breuiario. Secundum autem intellige eum diem quo quisque descriptus est in Calendario Roma-

Romano: quæ sedes est ita propria cuiusque, ac si eo die obijsser; licet verè alio die obierit, & in diem præscriptum alia de causa translatus fuerit, taluis tamen Rubricis circa diem obitus. Deinde, quo ritu quisque collendus est, & à quo præscriptus. Terzò, quis auctor Officij quod de vnoquoque recitat. Quartò, circa Vigilias & Octauas quæcumque occurserunt notanda.

4. Ut autem assequamur primum, citabo Micrologum, qui floruit circa annum 1080. tum Durandum, qui circa annum 1280. tum Radulphum, qui Calendaria collegit Sanctorum, & obiit anno 1403. tum Missalia & Breuiaria M. S. Bibliothecæ Vaticanæ, tum Appendicem M. S. Sacramentarij S. Gregorij, eidem Sacramentario additam non longè post tempora S. Gregorij, quæ in Biblioteca eadem habetur; & redolent illa M. S. antiquitatem saltem supra trecentos annos, & ultra. Quæ in Sacramentario ipso S. Gregorij habentur in hanc causam, suis locis non omittam. Alios quoque Auctores referam, de quorum fide non videtur dubitandum esse.

5. Ritus verò Duplicis, Semiduplicis & Simplicis Officij à quo datus, seu mutatus fuerit in vnoquoque Sanctorum Feste, ex antiquis solus Durodus indicare poterit, qui Duplicium & Semiduplicium satis distinctè meminit lib. 7. cap. 1. Micrologus quandoque indicat, Radulphus parcissimè. M. S. Breuiaria suppeditabunt multa. Et quidem ante Nicolaum III. pauciora erant Sanctorum Festa cum nouem Lectionibus apud Romanos: ex quibus Pontificum Romanorum martyrum pleno Officio, id est, cum nouem Lectionibus, ait Microl. c. 43. age-

bantur Festa, ex Decreto Gregorij VII. quo tempore Micrologus videbat; sed Nicolaus (cuius ætate videbat Durandus) amotis ab Vibe alijs Breuiarijs & Missalibus, mandauit, ut adhiberentur tantum Breuiaria Fratrum Minorum, ut scribit Radulphus Propos. 22. indeque omnes libri Romæ de diuinis Officijs fuere noui, & Franciscani; contra quos idem Radulphus acriter inuehit, quod plures Sanctos in Calendarium inuexerint quām ante, & cum nouem Lectionibus, nullos ferè cum tribus, in prædictum Psalterij.

6. Dixi ex Micrologio, decreuisse Gregorium VII. Officia nouem Lectionū, seu plena, SS. Pontificibus Romanis Mariyribus: quod tamē hodie non est de omnibus in vsu; & negat Radulph. hunc usum Propos. 22. Sed conciliari possunt hoc modo: quod vel Decretum Gregorij VII. non fuit vsu receptum; vel Romæ tantum, non ubique; vel per non usum deinde paulatim per trecentos annos, qui inter Micrologum & Radulphum intercessere, in aliquibus Festis abrogatum esse. Variorum horum rituum causam attulimus Selectione 3. cap. 2. num. 1. pag. 20.

7. Quod attinet ad Auctores Officiorum, quando certos habuerimus, eosdem nominabimus. Illos esse Auctores putat regulariter Cornelius Schultingius Tom. 3. Biblioth. Eccles. par. 1. qui eorumdem Sanctorum Feita decreuerunt, eorum enim auctoritate fuere composita, & edita.

8. Si quæ ex his nos fugerint, traditioni Ecclesiæ, auctoritati Pij V. & Sedi Apostolicæ ea reseruata esse intelligentur. Gregorius creditur eorum auctor, quorum nomina sunt in eiusdem Sacramentario.

9 Denique sequemur Ordinem mensium à Vigilia sancti Andreæ, qui est ordo Breuiarij in Proprio Sanctorum; licet attineat ad finem mensis Nouembris.

De Festis Sanctorum mense Decembri.

C A P. II.

Die 29. Nouembris. Vigilia S. Andreæ. Extat Decretum de Vigilia Apostolorum apud Clementem lib. 8. Conf. Apost. cap. 39. & Innocentium III. de Observ. ieiun. cap. 2. Officij auctoꝝ Pius V. est, qui Vigilijs omnibus addidit Homiliam super Euangelium Missæ, & Orationem eiusdem Missæ: nec anteā fiebat de Vigilia, nisi in Missa; quod hoc loco satis sit semel dixisse. Officium Missæ huius habetur in Antiphonario sancti Gregorij, & Orationes in Sacramentario eiusdem. Epistola, & Euangel. vt in Comite seu Lectionario sancti Hieronymi.

In Aduento nihil fit de Vigilia, nisi in Missa, quia cedit Vigilia Fer. Aduentus digniori. Missa verò dicitur de Vigilia cum commemoratione Feriæ, & S. Saturnini; quibus additur quarta, Fidelium, si incidat in Feriam secundam, & quinta de B. Virgine, iuxta Rubr. gener.

Saturnini. Fiebat de eo Officium in Breu. 1550. Venet. edito; nunc à Pio V. decreta est tantum eiusdem commemoratio. Habentur Orationes Missæ omnes in Sacramentario S. Gregorij.

30. Nouembris. Andreæ Apostoli Festum à primitua Ecclesia, ex Clemente suprà cit. quod Bonifacius VIII. Decreto firmauit, in honorem omnium Apostolorum. Vide Azor.

par. 2. lib. 1. cap. 24. initio. Idem Bonifacius Duplicem stabiluit ritum. Epistola, & Euangelium, vt in Comite Hieronymi. Officium Horarum à S. Gregorio I. qui eidem' Apostolo impensè addictus erat, fuit compostum, ex Beleth cap. 164. tamen Radulph. Propos. 12. affirmat, Antiphonas à Gallis compactas. Officium Missæ, præter Communione, habetur in Antiph. Gregoriano, & in Sacramentario Orationes omnes.

2. Decembri. Bibianaæ Festum in Breu. M. S. antiquissimo Vaticano vol. 4753. Simplex in Breu. 1550. Nunc Semiduplex ab Urbano VIII. anno 1628.

4. Barbaræ. In Appendice Vatic. Sacramentarij Gregor. vol. 3806. meminit Manuel tit. de Feriis. testatur Rad. Prop. 17. à Teutonicis Festum fieri. Simplex erat in Breuiario 1550.

5. Sabbæ. In Breu. Vatic. 4760. Radulph. cit. loco, Romæ fieri scribit. Simplex in Breu. 1550.

6. Nicolai Episc. In Appendice citata Gregoriana. Zonaras in Vita Alexij afferit, hoc Festum institutum vndecimo saeculo, hoc est, circa annū 1100. S. Bernardus Sermonem habuit in hoc Festo. Manuel habet in tit. de Feriis. Radul. loco cit. testatur, ab omnibus receptum. Semiduplex apud Duran. lib. 7. cap. 1. Pius V. Homiliam legi iuxta Rubricas, & Lectiones secundi Nocturni emendatores & breuiores edi curauit. si transfertur, muta tertium Versum in Hymno, *Iste confessor.*

7. Ambrosij. Ordinationis Festum est, quia obiit in Sabbato sancto. in dicta Appendice Gregor. habetur, ratione obitus, in Aprili. Bonifacius VIII. Decreto suo Doctores Ecclesiarum Duplici ritu colipræcepit. Officium de Com-

Communi, præter 2. Lectiones. Paulò ante Bonifacium Doctores quatuor Latini habuere Officium Semid. apud Ordinem Minorum anno 1260. vt scribit VVadingus in Annal. Minorum. In Hymno, *Iste Confessor*, mutatur Versus tertius, vt in Breuiario recognito.

8. Conceptionis B. Virginis. A. S. Nicolao habuisse ortum, scribit Ribadeneira; sed vnde probat? puto falli, quia dicitur S. Nicolaus Pontificali ueste indutus apparuisse Abbatii Elsi-
mo, de quo S. Anselmus, & monuisse,
vt celebaret hoc Festum. Et Petrus quidem de Natal. lib. 1. Catal. Sanctorum cap. 41. nominat Nicolaum; sed Anselmus scribit de illo Pontifice qui apparuit, vti anonymo. vnde ergo hausit nomen Petrus de Natalibus? Quidquid sit, in Hispania primùm ce-
lebratum esse hoc Festum Trithemius asserit sub S. Ildephonso; sed negat Salazar de Conceptione B. Virginis cap. 35. num. 53. & cum Bernardino Busto facit auctorem Gondisaluum Episcopum Tholosanum, qui paulò post Ildephonsum vixit, ante an-
num 800. antequam Graeci & Latini celebrarent, & ibidem num. 54. id pro-
bat fusiūs. Deinde Fridericus Patriar-
cha Aquileiensis in suis Ecclesijs Fe-
stum egit, qui obiit anno 897. ex lib 4.
Ligni vita. In Anglia Anselmus Fe-
stum edixit, seu Elsimus Abbas, ex lib.
Ligni vita 5.c.103. anno 1109. tum ex
Baron. in Martyrologio. In Gallia di-
latatum est circa annum 1145. Manuel commemorat tit. de Ferijs. Ab Ordine
Minorum ab anno 1263. celebrari de-
cretum est, ex Annal. Min. citatis su-
prā. A Romanis ante annos trecentos
fuisse celebratum Romæ in domo
Carmelitarum, cum Cardinalium in-

teruentu, Missa solemini, & Sermone de eodem Festo, singulis annis, tam-
quam de re annotum multorum ante
se, scribit oculatus testis lo. Bacconus
in 4. Dist. 2. quæst. 4. art. 3. Postea Six-
tus IV. euulgauit in omnem Eccle-
siam anno 1483. Quare ducentis ab-
hinc annis est Festum vniuersale Ro-
manæ Ecclesiæ: quod à Concilio quo-
que Basilensi anno 1438. Seff. 36. fue-
rat approbatum. Duplex à Sexto IV.
Officium autem de Natiuitate dicitur
ex reuelatione Angelica, de qua scribit
Anselmus in Epistola ad Episcopos
Angliae. Pius V. innouauit Lectiones.
Clemens VIII. Duplex maius esse de-
clarauit. Nonnulli putant, in tertia
Antiphona ad Laudes pro exorta, dici
debere *concepta*: sed vsu communi
non mutatur hoc verbum, & est com-
mune Conceptioni & Natiuitati, vt
ritè intelligenti patet.

10. Melchiadis. Ex Decreto Grego-
rij VII. citato à Microl. cap. 43. in Ap-
pendice Gregoriana. Simplex in Breu.
M. S. & in edito 1550. Vbi fit de eo
Festum nouem Lectionum, dicitur
octauum Resp. *Domine præuenisti*:
quia in Martyrologio multa quidem est
passus; non tamen effudisse sanguinem
dicitur: quod enuntiatur in Responso-
rio, *Hic est verè martyr*, &c. idcirco
omittendo.

11. Damasi. In d. Appendice Greg.
& in Cod. Pameliano Sacram. Gre-
gor. cum Orationibus, alijs à nostris.
Semiduplex à Pio V. cum Officio
proprio, excepta Oratione quæ habe-
tur in Breu. M. S. & edito 1550. sub
ritu Simplici. Si transfertur, muta
Versum tertium in Hymno, *Iste con-
fessor*.

13. Lucia. In Antiphonario & Sa-
cramentario S. Gregorij, sed post
S. 2. Gre-

140 Comm. in Rubr. Breuiarij. Sect. VII. Cap. II.

Gregorium, ex Pamelio *ibidem*. Semid. apud Dur. & in Breu. 1521. Duplex à Pio V. addita Homilia ab eodem. Oratio Secreta & Postcommunio discordant à citato Sacramentario Romæ edito, non autem à Codice Pameliano.

15. Eusebij Vercell. Ordinatio: nam ob: jt Cal. Augusti; & quia tunc fit cōmemoratio SS. Machabœorum, Clemens VIII. assignauit illi hanc diem, Io. Stephano Ferrerio Episcopo Vercellensi procurante. S. Ambrosius habuit duos Sermones in eius laudem.

20. 21. De Vigilia & Festo S. Thomæ Apostoli eadem, quæ diximus de sancto Andrea Apostolo. Officium à Gelasio, ex Schulting. Oratio prima, & Secreta Missæ in Sacram. Gregor. Si Vigilia incidat in Feriam Quatuor Temporum, in Missa de Quatuor Temporibus fit commemoratio Vigiliæ, in Officio nihil fit de Vigilia. At, cur non dicuntur duæ Missæ, de Temporibus, & de Vigilia? quia ambæ dicendæ forent post Nonam, nulla Hora mediæ inter eas: quod non conuenire docuimus *To. 1. par. 1. tit. 7. n. 2. p. 16.* Si Festum S. Thomæ sit titulus Ecclesiæ, & occurrat in Dominica quarta Aduentus, in Sabbato dici debent Antiphonæ ad Laudes Dominicæ quartæ, cum Antiphona *Expectet*. & in Feria secunda Antiphonæ eiusdem Feriæ, quia Octaua non fit amplius, & Rubrica præcipit in Sabbato eas dici quæ occurruunt ipsa die S. Thomæ, si non transfertur.

25. Anastasiæ. In Sacramentario & Append. Greg. & non fit de ea, nisi in secunda Missa Natiuitatis.

De SS. Stephano, Ioanne, & Innocentibus, vide supra *Sect. 6. cap. 6. pag. 113.*

29. Thomæ Cantuariensis. Calendarium Cisterciense editum Diuione anno 1617. tradit, obiisse die 25. Decemb. iisque diebus impeditis fieri Festum hac die. Ciacconius in Alexander III. scribit, in Festo Innocentum ad Aram fuisse percussum, sed Breuiarium Romanum die 29. occupuisse tradit: cui magis est credendū. Festum circa annum 1200. fuisse institutum, scribit Continuator Sigeberti. Semidup. in Breuiario M. S. Auctor Officij creditur Alexander III. à Schult. Pius V. addidit Homiliam.

31. Siluestri. In Sacram. S. Gregorij. Semid. in Breu. 1550. Duplex à Pio V. Officium à S. Gregorio, ex Cornel. Schultingio. Habetur Officium Missæ in cit. Sacram. & in citato Antiphonario. in Comite S. Hieron. erat Euangel. *Vigilate*.

De Festis Sanctorum mense Ianuario.

C A P. I I I.

D E Octauis SS. Stephani, Ioannis & Innocentum, diximus supra *Sect. 6. cap. 6. pag. 114.*

5. Telephori. In Append. Gregor. restituitque Festum Clemens VIII. vel potius instituit commemorationem.

11. Hygini. In dicta Appendice Greg. Simplex in Breu. 1550.

14. Hilarij. In Appendice Gregor. Semid. à Pio V. qui & Officium adidit. erat enim Simplex 1550. Si Festum hoc transferatur, Versus erit, *Iustum deduxit*, &c. quia cessat ratio mutationis in concursu aliorum duorum Confessorum. Vbi verò est primæ classis, dividatur octaua Letatio in duas. In Hymno *Iste confessor mutatur tertius* Versus, ut in Breu. quæ

quæ mutatio fit etiam in sequenti
Festo; quia ambo obiere extra hos
dies: Hilarius die 13. Paulus die
10. Ianuarij.

Felicis in Pincis. In Comite S. Hieron. & in Sacrament. Gregor. Simplex in Breu. M.S. Officium à Paulino Nolano, ex Schult. Vbi fit de eo Festum nouem Lectionum, dicitur octauum Respons. *Domine præuenisti.* quia non fuso sanguine mortuus est.

15. Pauli primi Eremitæ. In Append.
Greg. Simplex in Breu. 1550. Semid.
à Pio V. cum Officio.

Mauri Abbatis. In Missal. Vatic.
vol. 4743. apud Teuton. ex Radul.
Prop. 17. Simplex in Breu. 1550. Le-
ctio eiusdem à Clemente VIII.

16. Marcelli. In Comite S. Hieron.
in Sacrament. S. Gregorij. Semid. à
Gregorio VII. ex Microl. 43. Officium
à Gregorio I. *ibidem* Microl.

17. Antonij Abbatis. Ante annos
1200. ex Actis S. Euthymij, ut Baron.
ait in Martyrol. in Appendice Greg.
reperitur. Simplex in M.S. Breuiar.
Semid. 1550. Duplex à Pio V. qui ad-
didit Homiliam.

18. Cathedræ Petri Rom. S. Augustinus duos habuit Sermones. Beda meminit. Baronius deducit ex Appéd. Greg. Restituit Paulus IV. 1558. à quo ritus Duplex. Officium autem de sumptu est ab Antiochena Cathedra: quod est Gregorianum, ex Schult. Ad didit Clemens VIII. quod sit Duplex maius, & Homiliam S. Hilarij.

Priscæ. In Sacr. Gregor.

19. Marij, Marthæ, &c. In Appen.
Greg. Simplex in Breuiar. M. S.
& 1550.

20. Fabiani & Sebastiani. S. Aug.
*Sermone 100. de Diuersis agit de S. Se-
bastiano, Vterque in Comite S. Hie-*

ton. & Sacram. Greg. Semid. 1550.
Duplex. à Pio V. addita Homilia. Offi-
cium est Gregorianum.

21. Agnetis. Eius Festum celebrans Ambrosius incepit libros de Virgin. Habetur in Comite Hieron. & Sacrament. Gregorij. Semidup. apud Dur. & in Breu. 1550. Duplex à Pio V. Officium à S. Ambroſio, ex Schult. Pius V. addidit Homiliam. Lectio-nes secundi Nocturni, quæ sunt S. Ambroſij, iussit legi Clemens VIII. ob eius autem fortitudinem ege-riam, tam in Matutino quam in se-secundis Vesperis, dicuntur Psalimi de Communi virorum Sanctorum: ij-demque dicendi sunt in primis Vespe-ris in propria Ecclesia, sicuti dicuntur in Feste S. Agathæ. Mendum aliqui putant esse in textu Lect. 4. editionis. Vaticanæ, sub Clemente VIII. in ijs verbis, *Natalis est S. Agnes*, qitæ ha-bentur in textu S. Ambroſij: at in caſu genitiuo *Agnes* erat in vſu apud SS. Patres, & apud S. Hieronymum, cuius verba in Martyrologio Romano ſunt: *Agnes vita laudata est. vtro-que igitur modo potest legi, Agnes, & Agnetis.*

22. Vincentij. & Anastasij. De pri-
mo Augustinus habuit Sermones.
duos, adeo etiam in Sacram. & Anti-
phon. Greg. sed Pamelius negat Offi-
cium Missæ à sancto Gregorio com-
positum. Vtrinque ritus Simplex
in Breu. 1550. Semid. in Breu. M. S.
Officium à S. Gregorio, addidit Ho-
miliam Pius V.

23. Emerentianæ. In Appendice
Gregor. Simplex in Breuiar. M. S.
& 1550.

24. Timothei. In Missali Vaticano. volum. 3808. apud Teutonicos, Radul. Prop. 17. Simplex in Breu. 1550.

142 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. VII. Cap. III.

Semidup. à Clemente VIII. Homilia addita.

25. Conuersonis S. Pauli. Augustinus Sermonem habuit. In Sacramentario Gregor. & ex generali consuetudine fit, ex Radul. *Prop. 17.* Semiduplex apud Dur. *lib. 7 cap. 1.* Duplex apud Radul. *loco cit.* In uitatorium est Hermanni Contracti, ex Schulting. qui & inde argumentatur, eumdem esse auctorem totius Officij. sed, exceptis Lectionibus, idem est Officium ac Commemorationis, 30. Iunij, quod à S. Gregorio fuisse compositum, docet Microl. *cap. 42.* quod neque negat Schultingius. Homiliam Bedæ addidit Clemens VIII. & declarauit, esse Duplex maius.

26. Polycarpi. Smyrnensis Ecclesia statim ac obiit Festum indixit, vt ex eiusdem Epistola patet. In Append. Greg. habetur 1. Februar. Simplex in Bren. 1550. Semidup. à Clemente VIII.

27. Ioannis Chrysostomi. Translatio est, ait Menologium & Martyrologium Rom. nam obiit 14. Septembris, quo die fit Festum Crucis. In mense Septembri fuit hoc Festum celebrari cœptum die 26. anno 427. ex Ciacconio in Cælestino I. seu ex Baronio ad eumdem annum, *num. 20.* habetur ante Festum Crucis in Breu. Vatic. *vol. 4751.* in Ianuario vero in Missali Vatic. *vol. 3808.* Simplex, in Breu. 1550. Duplex, à Pio Quinto, vna cum Officio. In Hymno *Iste confessor* mutatur tertius Versus, vt in Breuiario.

28. Agnetis secundò. In Sacramentario Gregoriano: eratque titulus in Appendice Gregoriana, *De nativitate Agnetis;* quia nata est hodie, ex Gemma *lib. 3. cap. 23.* explicat

Durandus *lib. 7. cap. 3.* non esse Octauum Festi: sed nativitatem hoc loco intellige, quod nata est caelo, non autem natalem illius diem in carne, vt notat Pamelius in Sacramentario Gregor. tum quia nata est vt alij; tum quia, ex Augustino *Sermone 20. de Sanctis,* nullius hominis nativitatem legimus celebrati post Natalis Domini diem, nisi solius beati Ioannis Baptistæ. Et licet post Augustinum celebrari cœpta sit Nativitas B. Virginis, & potuerit S. Gregorius Augustino posterior iadicere Festum cum titulo, *De nativitate B. Agnetis:* cùm tamen illa B. Virginis vbiique recepta fuerit Festiuitas, vti de sancta Nativitate; de sancta vero Agneta non habeamus, quod fuerit in utero matris sanctificata; hinc fit probabilius, Festum fieri ob apparitionem eiusdem parentibus, & Constantiæ, vti narratur in Lectione Breuiarij, quæ facta est octaua die, ait Baron. in *Martyrolog.* Quare, abrogato dicto titulo, in Calendario dicitur aptius, *Agnetis secundò.* Sex Lectiones, & Officium, vt in die, habuit in Breuiari. M. S. & 1550. nunc Simplex à Pio V. Officium, & Gregorianum est, sumpta coniectura ex Sacramentario eiusdem à Cornelio Schultingio. Vbi celebratur Octaua S. Agnetis, dicuntur omnia vt in die, excepta Oratione, Antiphona ad *Magnificat* in primis Vesperis, Lectionibus 1. Noct. de Scriptura occurrente, & Lectione 4. quæ est de S. Agneta secundò; quinta & sexta de Communione Virginum, vel, vt in Octauario Romano. Reliqua vt in Festo seu Octauario.

D

De Festis Sanctorum mense
Februario.

C A P. I V.

IGnatij. Extat Sermo S. Ioannis Chrysostomi. Manuel meminit tit. de Ferijs. Appendix Sacramentar. Gregoriani habet Festum in Decembri, sed in Breuiario Vaticanum volum. 4751. in Februarij primo. Lectiones nouem habebat in Breuiario impresso 1521. & 1550. Homiliam addidit Pius V. & Lectiones secundi Nocturni.

2. De Purificationis beatæ Virginis F. sto, vide quæ diximus in primo Tomo. Duplex apud Duran. loco cit. Officium habetur in Ordine Romano. Pius V. addidit primas Lectiones de Scriptura. Nota, quatuor esse solemniares B. Virginis Festiuitates, Purificationem in Hieme, Annuntiationem in Vere, Assumptionem in Aestate, Natiuitatem in Autumno. Si occurrat hoc Festum in Dominicis priuilegatis, transfertur in Feriam secundam, ex Decreto Clementis VI.

3. Blasij. In Appendix Gregoriana. Simplex, in Breuiar. 1550. erat Semidup. in Breuiar. 1521. nunc Simplex à Pio V. Gemma lib. 3. cap. 25 meminit cum luminum vñ. An forrè ad signandum guttur, quod in Provincia Mediolanensi adhuc est in vñ cum candelis accensis pridie benedictis?

5. Agathæ. In Antiphonario & Sacramentario Gregorian. sed post Gregorium, ait Pamelius in *Antiphonario eiusdem*; & ex Radulph. *Propos. 17.* de consuet. generali. Semidup. apud Durand. & Radulph. *locis citatis.* mutauit Homiliam Pius V. cum Euangelio: & ob eius præclara merita dicuntur

Psalmi in toto Officio de Communi Sanctorum virorum.

6. Dorotheæ. In Appendix Gregoriana. Simplex in Breuiar. M. S. & 1550. Hymnus eius extat in Breuiario Toletano.

7. Romualdi. Clemens VIII. 9. Iulij 1595. Semid. ritu, vñ cum Officio, Breuiario apposuit. qua die fuit translatum eius corpus Fabrianum in Piceno, ex Baron. in *Martyrologio*: nam obiit die 19. Junij, impedita Festa SS. Gerualij & Protalij; quorum Missa non erat expungenda de Missali, quæ habet Introitum proprium (vti dicemus suo loco) vt eius vice peneretur Missa S. Romualdi cum sola commemoratione SS. Martyrum: & ideo in Hymno *Iste confessor* mutatur tertius Versus.

9. Apolloniae. In Missali Vatic. vol. 3808. Simplex, & in Breu. 1550.

14. Valentini. In Comite S. Hieronym. & Sacramentario Gregorian. Simplex, 1550. & nullam Lectionem habet in Breuiarijs M. S. neque apud nos.

15. Faustini & Iouitæ. Appendix Gregor. Simplex in Breu. 1550.

18. Simeonis. In Brediar. Vatic. volum. 4751.

22. Cathedræ S. Petri Antioch. In Comite Hieron. Antiphonario Gregor. & in eiusdem Sacramentario; vbi additur in Roma, in editione scilicet Romana, non autem in Pameliana. Dictam fuit Festum S. Petri epularum, quia vinum & epulae offerebantur pro mortuis, Ioh. Beleth cap. 93. Semidup. apud Duran. loco cit. Duplex ex consuetudine generali apud Radulph. *Propos. cit.* Officium vel à S. Gregorio, vel à Gelasio, ex Ordine Romano conjectur. Orationis Auctor

S. Leo

S. Leo II. ex Duran. lib. 7. cap. 15. Homiliam S. Leonis addidit, & haberi Duplex maius iussit Clemens VIII. Notat Beleth *loco citato*, sub nomine Antiochenæ comprehensam fuisse etiam Romanam Cathedram suo tempore; nunc distinguuntur. Si concurrat hoc Festum cum Dominica Sexagesimæ, vt in Tabulis nostris 29. 30. nihil refert, dici bis Orationem de S. Paulo sub diuersa ratione formaliter, de qua vide in Tomo 1. par. 4. tit. 5. num. 15. pag. 235.

23. Vigilia S. Mathiæ. Eadem, quæ de Vigilia S. Andreae. Officium à Pio V. Si dies sequens fuerit Festa quarta Cinerum, & ideo transferatur Festum sancti Mathiæ in Feriam 5. eo casu in secundis Vesperis Vigiliae dicuntur Preces feriales cum Oratione Dominicæ, non Vigiliae, vt in Rubricis generalibus tit. de Preciis num. 5. Vide supra pagina 97. n. 10. & quia causus est singulatis huius loci proprius, ideo & hoc loco adnotauimus. In anno bissextili in lectione Martyrologij transfertur pronuntiatio huius Vigiliae & Festi sequentis, vt dicitur in eodem Martyrologio.

24. Mathiæ. Vti diximus de S. Andrea, quoad originem Festi, habetur in Sacramentario Gregorij. Duplex à Bonifacio VIII. Pius V. addidit Evangelium cum Homilia, & Lectiones secundi Nocturni mutauit. Quod autem in bissextili anno fiat Officium die sequenti 25. Alexander III. præcepit, de Verb. signific. cap. 14. Concionem de S. Mathia habuit Berno. Secreta Misericordia alia est in Sacrament. Greg.

Circumfertur Officium sancti Conradi 19. Februarij, & quod peius est, Veneuis intra Breuiarium impressum est sine Decreto sacre Rituuum Con-

gregat. quæ illud concessit Placentini & Nettinii in Sicilia tantum, sub ritu Semidupl. 19. May 1614. deinde ab Urbano VIII. etiam Ordini Minorum S. Francisci, die 13. Septemb. 1625. quocirca non est cuique datum illud recitare, neque fuit ad licitum concessum.

De Festis Sanctorum mense Martio.

C A P. V.

Festa Sanctorum in Quadragesima ab antiquis non celebabantur: quem ritum retinet mordicus Ecclesia Ambrosiana: longè tamen ante Micrologum cœptæ sunt colii in Quadragesima, vt idem significat cap. 48.

4. Casimir. Extat Decretum, Pauli V. Pontifice, Sacrae Rituum Congregationis, quod fiat Semiduplex, die 23. January 1621. Officium autem sub Clemente VIII. fuerat editum pro Regno Poloniae; deinde à Paulo V. ad vnum communem approbatum fuit die 7. Augusti 1621. In lectione Martyrologij legatur primo loco, iuxta leges Martyrologij.

Lucij. In Appendice Gregoriana. restituit Clemens VIII. ob eiusdem corpus inuentum cum corpore SS. Valeriani & Tiburtij in Ecclesia S. Ceciliae.

7. Thomæ Aquinatis. A Ioanne XXII. anno 1323. vii Doctoris, à Pio V. 1567. Simplex in Breuiario 1550. à Pio V. Duplex, cum Officio si transferatur, mutatur tertius Versus Hymni, *Iste Confessor.*

Perpetua & Felicitatis. S. Augustinus in hoc Festo tres tractatus habuit, ex Possidio; & habetur Festum in calce

calce Sacramentar. Gregor. Simplex in M. S. & 1550. vt hodie.

9. Quadraginta Martyrum. Basilius & Nyssenus Orationes habuere in eorum Festo, Manuel in tit. de Ferie. in Appendice Greg. habetur Festum; Simplex in M. S. & 1550. Semidupl. à Pio V. cum Officio.

12. Gregorij Papæ. In Sacramentar. Gregor. hac die, cui statim additum fuit in calce hoc Festum post eius obitum; sed Orationes Missæ discordant à nostris in editione Romana, concordant in Pameliana. In Septembri, quando fuit ordinatus, die 3. Festum agebatur, ex Radul. *Proposit. 17.* eo tempore quo in Quadragesima natalitia Sanctorum non colebantur. Officium ab eiusdem successoribus statim, ex Schultingio. Duplex à Bonifacio VIII. si transferatur, mutatur in Hymno *Iste confessor tertius Versus.* quæ mutatio quoque fit, si transferantur sequentia Festa.

17. Patricij. Ab Urbano VIII. in recognitione Breuiarij. sine Lectione, quia semper occurrit in Quadragesima: & in Martyrologio erit de eo legendum in primo loco.

19. Ioseph. In Append. Gregor. cum hoc tit. Nutitoris Domini. Renouavit Festum Sixtus IV. Praecipit diem populo Festum Gregorius XV. cum Decreto sacræ Rituum Congregat. 8. Maij 1621. Duplex in Breuiarij. 1550. Pius V. mutauit Officium, quod prius erat totum de eodem propriissimum.

20. Ioachim. A Gregorio XV. qui Duplici ritu celebrari iussit 2. Decemb. 1622. Officio approbato die 18. Marij 1623. Conuenit in Quadragesima legi Lectionem nonam aditam octauæ, cùm in ea contineatur summum priuilegium S. Ioachim,

quod sit nimirum pater B. Virginis, & in huīs rei gratiam legitur Euangeliū de generatione Christi.

21. Benedicti. In calce Sacramentarij Gregor. & intra Antiphonarium eiusdem, sed posterius est Gregorio, ait ibidem Pamelius; & de generali consuetudine, Radulph. *Proposit. 17.* qui & Semiduplex asserit habuisse Officium, quod durauit ultra annum 1521. vt ex Breuiarij. eodem anno impresso constat. Duplex in Breuiarij. 1550. vt hodie. Officium est Gregorianum, vel, vt ait Schulting. à sancto Bernardo, vel à Petro Damiani, vel Odone Floriensi; aliad tamen Officium Missæ habetur in Antiphonario Gregoriano in mense Iulio.

25. Annuntiationis B. Virginis. Orationem habuit (creditur in eius Festo) S. Gregor. Thaumaturgus, quam in Latinum transtulit Card. Sirletus, seu verius, ex Notis Baronian. in Martyrologium, eo prodente Græcam latinitati donauit Willelmus Lindanus Ruremunderensis Episcopus. meminit Festi S. Athanasii. *Enarratione de Deipara;* quæ tamen videtur tribuenda Cyrillo, cùm ibi pugnet auctor contra Nestorium. Sexta Synodus cap. 12. meminit Festi tamquam antiqui, citata à Baron. in Not. Martyrolog. S. Augustinus Sermonem de eadem habuit, S. item Petrus Chrysologus. Festum habetur in Sacramentario Gregoriano. Duplex apud Duran. *supra.* Lectiones primi Nocturni habentur eadem hodie quæ in Ordine Romano. reliquum Officium Schultingius Ildephonso tribuit. Orationes Missæ habentur in Sacramentario Gregoriano. Quid agendum sit, quando Festum hoc incidat in ultimo biduo maioris Hebdomadæ, An populus audire

T Mis-

Missam teneatur, an queat communi-
care, diximus in primo Tomo, cùm
de ijs quæ ad Missam spectant,
pag. 262. & 272. Si transferatur post
Dominicam in Albis, primæ Vesperæ
erunt de beata Virgine cum comme-
moratione Dominicæ.

*De Festis Sanctorum mense
Aprilis.*

CAP. VI.

Francisci de Paula. In Missali
Romano fuit anno 1557 resti-
tuit Sextus V. 1585 qui & Dup-
plex Officium recitari iussit: quod mu-
tatum quidem fuit in Semidupl. à Cle-
mente VIII. ne Officium Dominicæ
impediret (quod in sequentibus simi-
libus mutationibus oblerua) sed resti-
tutum denuò Duplex (quia Ordinis
Fundator) à Paulo V. fuit. Officium
verò à Sixto V. fuerat euulgatum. si
transferatur, mutatur Versus tertius
Hymni, *Iste confessor.*

11. Leonis. In Appendice Gregoria-
na: non tamen fuit in Breuiarij M. S.
& 1550. à Pio V. deinde cum Dupli-
ci ritu & Officio fuit restitutum. In
Octauario Romano pro Octaua san-
cti Leonis potuissent legi (monet Pra-
xix Cærimoniarum Author) Lectio-
nes, seu Homiliae in Festis sancti Pe-
tri 29. Junij & 18. Ianuarij: sed Bellar-
mino placuit, Homiliam tantum infra
hanc Octauam legi à S. Leone com-
positam, in qua de se loquitur, &
cuius gratia datum est huic Festo tale
Euangelium. si transferatur, mu-
tatur tertius Versus in Hymno, *Iste
confessor.*

14. Tiburtij & Valeriani, &c. In
Sacramentarij. Gregor. Simplex in
M. S. & deinceps. Officium Grego-

rianum. Non diebitur, *Hæc est vera, &c.*
quia non est p. Paschale, neque sunt
omnes fratres.

17. Aniceti. In Appendice Gregor.
Semid. ex Microl. cap. 43. Romæ tan-
tum, Radulph. Propos. 22. Simplex in
Breuiarij. M. S. & 1550. ut hodie.

22. Soteris & Caij. In Appendice Gregor.
Soteris tantum, Radulph. Propos. 22. Se-
mid. ex Microl. cap. 43. Simplex in
M. S. & 1550. à Pio V. restitutus est
ritus Semidupl. vñà cum Officio.

23. Georgij. In Antiphon. & Sacram.
Greg. sed additum putat Pamelius
ibidem post S. Gregorium, Manuel. tit.
de Feris. Simplex in M. S. Breuiarij.
& 1550. à Pio V. Semiduplex cum
Oratione sumpta à Festo sancti Barna-
bae. Nulla Lectio propria in antiquis,
neque in recentioribus.

25. Marci Euangelistæ. Ordo Ro-
man. Sacramentarij. Gregor. Decretum
Bonifacij VIII. qui ritum Duplicem
præscripsit. De Litanis maioribus,
vide præcedentem Sectionem cap. 16.
pag. 128. Decreuit sacra Rituum Con-
gregatio Litanias maiores occurrentes
in die Paschatis differendas esse in
Feriam tertiam sequentem: quod, me
petente, sanciuit die 25. Septem. 1627.
eo quia Missa Episcopalis, Commu-
nio totius populi, & Cleri ob has cau-
cas occupatio, impediunt Processio-
nem, in die tamen Festo facien-
dam, ex institutione sancti Grego-
rij. quare hæc translatio solius erit
Paschatis diei priuilegium, non au-
tem dierum qui sequuntur. Obij-
ciebatur Concilio matutina; at hæc
vel ante vel post Processionem habe-
ri poterit, vel à prædio, ut in
Paschate.

26. Cleti & Marcellini. In Appen-
dice Gregor, Semidupl. ex Micro-
log.

log. 43. Romæ tantum, ex Radulph. *Propositi*, 22. Simplex in M. S. & 1550. Semidupl. à pio V. restitutur, à quo & Officium.

28. Vitalis. In Antiphonar. & Sacramentar. Greg. In hoc Festo Sermonem habuit Petrus Card. Damiani, apud Surium *Tom. 2.* Simplex in M. S. & 1550. vt hodie.

29. Petri Martyris. In Breu. Vatic. vol. 4760. restituit Sixtus V. 1586. qui & Duplex cum Officio instituit. Semiduplex iussit esse Clemens VIII.

30. Catharinæ Senensis. Clemens VIII. commemorationem ordinavit in præcedenti die, suggestente Roberto Card. Bellarmino: at Vrbanus VIII. Semid. Officium esse voluit 7. Aug. 1628. Lectiones proprias & Orationes addidit, præsertim ad varietatem Orationum in Officio & Missa, quando contingit hoc Festum transferriri in diem 4. Maij, in qua occurrit Festum S. Monicæ.

De Festis Sanctorum mense Maio.

C A P. V I I.

PHILIPPI & IACOBI. Sine Vigilia, ex Innoc. III. de *Obseruacione*, cap. 2. Officium Vigiliæ adhuc legitur in Sacrament. Gregoriano pro Missa tantum. Festum, vt de S. Andrea dictum est. Officium creditur à Schulting. esse Pelagij Papæ, qui eorum corpora condidit in Basilica duodecim Apostolorum, & uno eodemque die utriusque Festum celebrari iussit. Habetur in Comite Hieron. in Antiphon. & Sacramentario Gregoriano Offic. Missæ. Si occurrat hoc Festum in Sabbato Dominice 3. post Pascha, tunc in Dominica 4.

debent legi Lectiones Feriæ 2. seqq. ne bis initium Epistolæ S. Iacobi legatur immediatè duobus diebus; vt suprà diximus *Sect. 6. c. 15. num. 6. pag. 128.* quod si contingat eos diuidi iuxta Rub. de qua sup. *Sect. 3. cap. 10. n. 13. pag. 38.* eo casu in Ecclesia S. Philippi Lectiones primi Nocturni erunt de Communi Apost. reseruata Lectione Epistolæ sancti Iacobi Officio eiusdem, cuius est propria. Lectiones 2. Nocturni quinta & sexta sumuntur de Communi Apostolorum: *Lect. 3. Noct.* cum Antiphonis in Laudibus, vt in proprio Festo; quia sunt magè propria de S. Philippo. In Officio vero S. Iacobi, quod transferri debet in primam diem non impeditam, etiam intra Octauam S. Philippi Titularis (hoc est, in diem 4. Maij, vel, si ea dies Dominica est, in diem quintam) primæ Lectiones, vt dictum est, erunt de Epist. Iacobi; secundæ erunt propriæ, addita sexta de Communi Apostolorum; tertiae Lectiones erunt de Euang. *Ecce nos reliquimus omnia*, vt in eodem Communi Apostol. Antiphonæ omnes de Communi Apostol. tempore Paschali. De S. Monica fiet comm. ita Laudibus tantum cum nona Lectione, ex duabus una. Pro varietate Orationum, quæ necessaria certè erit in secundis Vesperis S. Iacobi, si die sequenti fiat de die infra Octauam S. Philippi, sumi poterit Oratio de S. Iacobo maiore 25. Iulij. eadem seruanda erunt vice versa, si Festum S. Iacobi minoris sit Titularis Ecclesiæ.

Vbi fit Octaua, si intra eamdem occurrat Feria 2. Rogationum, vel Vigilia Ascensionis, Lectiones primi Nocturni sumuntur de Communi Apostolorum.

T 2 2. Atha-

2. Athanasij. In Appendice Greg. Orationem Nazianzenus habuit in eius Festo, Manuel. *tit de Feris*. Simplex in Breu. 1550. Duplex à Pio V. cum Officio. In Octauario nostro non damus Octauæ huius Sancti tria Euangelia, quod scripsit aliquis: sed in die Octaua legitur in idem Euangelium Festi Homilia Festi S. Polycarpi, quæ explicat postremam partem Euangelij Festi S. Athanasij. Homilia ergo, non Euangelium Festi S. Polycarpi legi debet: si transferatur, mutatur Versus tertius in Hymno, *Iste confessor*.

3. Iuentionis sanctæ Crucis. Decretum Eusebij Papæ, *Dist. 3. Crucis*. à S. Siluestro institutum fuit, ex Fl. Lucio Dextro in *Chronico* (si tamen illius est, quod nuper editum est) anno 424. num. 12. Comes Hieron. Ordo Roman. Sacramentar. Gregorian. Semidupl. apud Duran. *loco citato*. Duplex apud Radulph. *Proposit. 17*. Officium ab Eusebio, & habetur apud Microl. cap. 55. Alij in Breuiar. Venet. 1521. auctorem faciunt Petrum Episcopum Singalensem, apptobante Gregorio XI. Oratio est Ambrosiana, & habetur in Sacramentario Gregoriano cum alijs duabus quæ dicuntur in Missa; Officiumque Missæ in Antiphonario. Clemens VIII. inter Festa secundæ classis collocavit, mutauitque Antiphonas ad Laudes, vt essent eadem quæ in Exaltatione; quia priores historiam continebant dubiam. Si concurrant Festa Ascensionis & Iuentionis S. Crucis, fiat commemoratio de Festo S. Crucis, licet videatur Festum de eodem Domino; & differentia satis patet in diuersitate mysterij, quidquid alij contrâ scripserint.

Alexandri, &c. cum Iuuenale Confessore. Primorum trium mentio est in Sacramentario Gregoriano; Iuvenalis quoque in Antiphonario Gregoriano; omnium simul in Missali Vaticano, omnium antiquissimo, *volum. 4770*. Simplex 1550. Officium Gregorianum. In Oratione titulus (Martyrum) omittitur, quia Iuvenalis non fuit martyr.

5. Monicæ. In Breuiari. Vatican. *volum. 4753*. Simplex in M. S. & à Pio V. cum Officio. Pro Octaua eiusdem (quæ celebratur vt plurimum apud alumnos sancti Augustini, & proprias habent Lectiones) indicatum est satis in Octauario, dataeque idem sunt Lectiones de Communi; possunt tamen etiam legi in die Octaua, quæ Fer. 5. Dom. 4. Quadrages. habentur in Breuiario.

6. Ioannis ante Portam Latinam. In Appendice Gregoriana, & Gemma lib. 4. cap. 160. Semidupl. apud Duran. *loco citato*. Duplex à Pio V. vt in Breuiario 1550. Clemens VIII. Duplex maius declarauit esse. Si occurrat in Sabbato Ascensionis, legitur initium Epistolæ Dominicæ sequentis, in qua deinde legi possunt Lectiones Feria 2. ne bis initium legatur immediatè, ita in recognitione postrema Breuiarij. Si occurrat in Dominica, vel Feria 2. Rogationum, conuenit, vt nona Lectio coniungatur octauæ; quia in illa de martyrio illius agitur.

7. Stanislai. In Breuiari. Vatican. *volum. 4751*. à Clemente VIII. restituitur anno 1595. à quo & ritus Semiduplex & Officium decernitur; hac nimirum die, licet obierit die sequenti, ex Notis Baron. in *Martyrolog.* quæ impeditur maiori Festo. Petrus Galesini. in suo *Martyrolog.* scri-

scribit obijisse die 11. Aprilis, quæ item impedita est Festo S. Leonis.

8. Apparitionis Michaëlis Archangeli. Huius Festi meminit Alexand. II. Epist. ad Petrum Archiepisc. Diocensem, in qua concedit eidem, ut possit vti Pallio in duobus Festis S. Angeli, & in alijs de more. Explicat recentior hunc textum de duobus Festis quæ sequuntur immediatè diem Paschatis: at, vnde probat dici hæc duo Angelorum Festa? An quia Mediolani celebratur Festum Feriæ 2. Paschatis apud Ædem S. Angeli: annuit ille. Cerrè Vrbanus II. concessit vsum Pallij etiam in Festo S. Michaëlis in Epist. ad Berengarium Tarraconensem Archiepiscopum. quod adnotauit idem boni nominis Autor. Contigit Apparitione sub Gelasio, ex Sigeber. in Chronico. Ob aliam apparitionem, ante eam quæ in Gargano monte (ait Baron. in Martyrolog.) agebatur Festum: & habetur in Missali Vaticano volum. 4770. Semidupl. apud Durand. loco citato, & in Breuiario 1550. Duplex à Pio V. Duplex maius à Clemente VIII. ille addidit primas & secundas Lectiones, hic Homiliam sancti Hilarij. Reliquum Officium à Festo Dedicat. sumitur, ritu tamen Paschali. Octaua Benedictio, Quorum Festū, &c. vt ex 8. Lectione paret Lectiones autem pro Octaua à nobis alias editæ, & à sacra Rituum Congregatiōne approbatæ, reformatæ fuerunt in Octauario Romano. Quod si Festum Apparitionis transferatur ultra tempus Paschale, fiat ut in Septembri: si occurrat in Feria secunda Rogationum, octauæ Lectioni conuenit adiungi nonam, in qua de SS. Angelis.

9. Gregorij Nazianzeni. Manuel de Feris. In Breuiario Romano non

ante annum 1500. vt notari diligenter perlustrans multa Missalia & Breuiaria antiquiora: neque de eo fit mentio in Breuiario edito 1550. Duplex ergo cum Officio toto a Pio V. si transferatur, mutatur tertius Versus Hymni, *Iste confessor.*

10. Gordiani & Epimachi. In Antiphon. & Sacramentario Gregoriano. Simplex in M.S. & 1550. Officium Gregorianum.

12. Nerei, Achillei, &c. excepta Domitilla, quæ obiit die 7. Maij, & quam, ob hodiernam translationem, addidit Clemens VIII. omnes habent Festum in Antiphonario Gregoriano, vbi habetur Officium Millæ. Orationes etiam leguntur in Sacramentario Gregoriano, non Romano, sed à Pamelio edito. Pancratij Festum habetur in Comite S. Hieronymi. Simplex in M. S. & 1550. omnes autem ritu Semiduplici à Clemente VIII. coli iubentur, qui addidit Homiliam cum Euangelio, & Lectiones secundi Nocturni ampliavit in laudem Domitillæ, initante Card. Baronio, qui pridie transstulit in Ecclesiam eorumdem, & titulum suum, corpora trium primorum anno 1597. reliquum Officium est Gregorianum. Si occurrat hoc Festum in Feria secunda Rogationum, conuenit, ut octauæ Lectioni adiungatur nona, in qua de Sanctis agitur. Si venerit extra tempus Paschale, quia transferatur, mutantur Antiphonæ, & Responsoria; non tamen dicitur n. *Hæc est vera fraternitas:* quia non sunt omnes fratres. Vide Sett. 8. cap. 2. n. 9. Missa cum Orationibus & Euāngelio proprijs dicitur, ut in Communi extra tempus Paschale.

14. Bonifacij. In Breuiario Vati-

T 3 cano

cano vol. 4753. cum nouem Lectio-
nibus in Breuiario. 1550. cum duabus
à Pio V.

16. Vbaldi. A Cælestino III. an-
no 1192. in Breuiario Vaticano vo-
lum. 4760. A Paulo V. Duce Urbina-
te procurante, restitutum est Festum
die 24. Septemb. quia hac die 16. crea-
tus ille fuit Summus Pontifex, & huic
seniori natus est filius anno 1605.
Simplex in M.S. Officium à Paulo V.
editum est 17. Decemb. 1605.

19. Pudentianæ. In Antiphonario
Gregoriano; posterius tamen est Gre-
gorio, ex Pamelio *ibidem*. Simplex in
M.S. & 1550. Officium Gregor.

25. Urbani. In Antiphonario & Sa-
crament. S. Gregorij. Semidup. apud
Microl. cap. 43. Romæ tantum, Ra-
dulph. Propos. 22. Simplex in M.S.
& 1550.

26. Eleutherij. In Miss. Vatic. vo-
lum. 4743. Simplex in M.S. 1550.

Philippi Nerij Confessoris. Ad libi-
tum fieri potest Festum cum Officio
approbatu sub Urbano VIII. 6. No-
vembri 1625. Si fiat Officium, in le-
ctione Martyrologij legatur primo
loco, si transferatur, mutatur tertius
Versus Hymni, *Iste confessor*.

27. Ioannis Papæ. Ut dictum est de
præcedenti Eleutherio; sed hic dies
translationis est: obijt enim die 21. &
die 27. Romanus fuit translatum cor-
pus, ex Baron. in *Not. Martyrolog.*

30. Felicis Papæ. In Appendice Gre-
gor. Simplex in M.S. & 1550.

31. Petronillæ. In eadem Appen-
dice, à Teutonicis, ex Radulph. Prop. 17.
Simplex in M.S. & 1550. Lectionem
dubiam de ea sustulit Clemens VIII.
Ant. Galloni optimè negat esse Pe-
tri filiam, nisi velis esse spiritualem
tantum,

De Festis Sanctorum mense
Iunio.

CAP. VIII.

PEtri & Marcellini. In Anti-
phonario & Sacramentario
Gregoriano, agebatur tamen
Festum eorum tempore sancti Gre-
gorij in mense Decembri, nisi sit men-
dum in Codice eiusdem, in inscrip-
tione *Homil. 6. in Euangel. qua habi-
ta fuisse dicitur in die natali ipsorum
Domin. 3. Adventus.*

Erasmi. Romæ tantum, Radulph.
Prop. 22. & in Missali Vatic. vol. 4743.
Simplex in M.S. cum nouem Lectio-
nibus in Breuiari. 1550. à Pio V. Sim-
plex. Officium Greg. sed, cur Erasmus
ultimo loco? nam Episcopus est, &
Martyr: fortasse, quia primi duo
erant Romani, quibus & Constanti-
nus Ecclesiam ædificauit, ex Breu. in
Festo Dedicat. Basilicæ Apostolorum
18. Novembri.

6. Norberti. A Paulo V. 14. No-
vembri 1620. cum ritu Semidupl. &
Officio, die 30. Martij 1621. approba-
to à sacra Rituum Congregatione. In
lectione Martyrologij ponatur primo
loco: si transferatur, mutatur tertius
Versus Hymni, *Iste confessor*. Circum-
fertur Decretum Urbani VIII. anni
1625. quo transfertur hoc Festum
in diem 11. Iulij; sed idem Pontifex
anno 1631. declarauit, ab Ordine
Præmonstratenſi transferendum esse,
& à nonnullis alijs.

9. Primi & Feliciani. In Antiphona-
rio & Sacram. Greg. Simplex in M.S.
& 1550. Officium Gregor.

10. Barnabæ. In Appendice Gre-
gor. & ex generali consuetudine,
Radul. Propos. 17. Semid. apud Du-
rand.

rand. & Radulph. locis citatis. Duplex in Breu. 1550. Addidit Lectiones primi Nocturni Clemens VIII. auctore huius Operis procurante in honorem illius, à quo Barnabitæ vocantur; qui item mutauit Euangelium cum Homilia, & declarauit esse Duplex maius. Si venerit ante Pentecosten, Missa erit vt in Festo S. Marci, exceptis Orationibus, Epistola & Euangelio, quæ dicuntur vt in propria Missa, Officium quoque vt in tempore Paschali.

12. Basilius, &c. Primitantum in Antiphonario Gregoriano, aliorum vero post Gregorium in Antiphonario fuisse positum Officium Missæ, notat Pamelius; omnium vero simul in Sacrament. eiusdem habentur Orationes, quarum prima Ambrosiana est, sumpta de Feto SS. Vitalis & Agri-
colæ, mutatis nominibus.

13. Antonij Patauini. In Missali Vatic. vol. 4743. à Sixto V. restituitur, anno 1586. cum nouem Lectionibus, in MM. SS. quæ, vt initio dixi, erant Franciscana. Duplex à Sixto V. Se-
mid. (vt olim) à Clemente VIII. Offi-
cium à Sixto V. si transferatur, mu-
tatur tertius Versus in Hymno, *Iste
confessor.*

14. Basilij. Obiit Calendis Ianuarij, & in ea die habetur Festum in Breuiario Vatic. vol. 4752. Alia Breuiaria habent in Octobri, vt in Vatic. vol-
lum. 4759. Ordinatus dicitur an-
no 369. hoc mense, & die 14. ideo
nunc communiter hac die celebratur.
Simplex in Breu. edito 1550. No-
uem Lectionum, à Clem. VI. vt in
calce Martyrologij M. S. apud Fortu-
natum Scacchum. Duplex cum Offi-
cio, à Pio V. In Hymno *Iste confessor.*
mutatur tertius Versus.

15. Viti, Modesti, &c. In calce Sa-
cramentatij Greg. Crescentiæ vero in
Appendice Gregoriana. Simplex in
M. S. & 1550. Officium Gregorian.
Oratio est Ambrosiana.

18. Marci & Marcelliani. In An-
tiphon. & Sacrament. Gregor. Sim-
plex in M. S. & 1550. Officium
Gregor.

19. Geruasij & Protasij. Extat Ser-
mo S. Ambrosij. In Comite S. Hier.
habentur Epistola & Euangelium. Et
quia eo die conciliata pax fuit inter
Imperatorem Romanum & Regem
Longobardorum, sanctus Gregorius
composuit Introitum Missæ huius
Festi, *Loquetur Dominus pacem, &c.*
Durand. lib. 7. cap. 13. & habetur in
Antiphon. Gregor. Orationes autem
in Sacrament. eiusdem. Simplex in
M. S. & 1550. Officium Ambrosianum
est, ex Radulph. Propof. 19. sed
non illud, quo nos vtimur.

23. Siluetij. In Missali Vatic. vo-
lum. 4745. à Gregorio VII. ex Microl.
cap. 43. Roma tantum, ex Radulph.
Propof. 22. Semidup. ex Microl. cit. &
in Breu. 1550. Simplex à Pio V.

22. Paulini. In Appendice Gre-
goriana. Simplex in M. S. & 1550. vt
hodie.

23. Vigilia S. Ioannis Baptista. Beda
meminit. Officium à Pio V. Oratio
tamen antiquior in Sacramentario
sancti Gregorij. Officium Missæ in
eiusdem habetur Antiphonario, & in
Comite S. Hieron.

24. Natiuitatis Ioannis Baptista.
Augustinus & Maximus Sermones
habuere de hoc Feste. Ordo Roman.
meminit, Comes S. Hieron. Anti-
phonar. & Sacramentar. Gregoria-
num, in quo omnes habentur Oratio-
nes Missæ; sed prima est Ambrosiana,
ex

ex Pamelio. Ab Ægyptijs celebratur, ex Cyrillo Alexandrino, ait Baron. anno 432. à Græcis etiam, ex Manuele *tit. de Ferijs*. Duplex mains dicitur à Durando & Radulpho *locis citatis*. Officium à sancto Gregorio. Hymni à Paulo Diacono, qui raucedine impeditus sanitatem impetravit, quam initio Hymni, qui ad Vespertas dicitur, postulauit, Durand. *lib. 7. cap. 14.* De artificio primæ stropheæ vide *Sect. 5. cap. 6. pag. 69.* Amalar. *de Ordin. Antiph. cap. 59.* notat, in hoc Festo legi multa de Iсаia & Ieremia; quia Isaia de Ioanne prophetauit, Ieremias Ioanni fuit similis in sanctificatione. In tertio item Nocturno addit, non dici *Alleluia* in Antiphonis, sicut in tertio Nocturno Apostolorum; quia, inquit, Natiuitas Ioannis extitit ante Christi Resurrectionem. Antiphona ad *Benedictus* non impedit, quin inchoetur Canticum *Benedictus* à capite de more; quia Rubrica generalis loquitur de Antiphona, quæ est eadem cum Cantico: at in Antiphona hac deest *Dominus*. Ceterum accidit Natiuitas S. Ioannis in die Veneris, ut rectè colligit ex Natiuitate Christi Azor. *par. 2. lib. 1. cap. 25.*

26. Ioannis & Pauli. In Comite S. Hieronymi, & Antiphonar. & Sacram. sancti Gregorij. Semidupl. in M.S. & 1550. nihil Durandus de iisdem. Officium Missæ habetur in Antiphonario Gregoriano, & Orationes item in Sacramentario; sed prima est Ambrosiana, de SS. Geruasio & Protasio. Pius V. mutauit Euangelium, & addidit Homiliam. In secundis Vesperris adebet ritus specialis contra Rubricam generalem de *Concurr. Officij n. 4.* qui tamen *ibidem* significatur ijs verbis, nisi aliter signetur: & ratio est, quia

fuere nobiles Romani. Vesperæ igitur secundæ erunt integræ de Sanctis, cur non primæ nobiliores secundis? ita placuit Maioribus nostris. Si hoc Festum cotiecurat cum Dominica, aut transferatur, in secundis Vesperris sequere Rubricas generales de *Concurrentia Officij*.

28. Leonis. In Sacramentario Gregoriano, sed additum est post obitum sancti Gregorij. Semidupl. in M.S. & 1550. Durandus non habet. Officium antiquius Pio V. qui Homiliam addidit pro Vigilia sanctorum Apostolorum. de qua vide suprà in Vigilia sancti Andreæ. Vigilæ meminit Hieronymus in Comite seu Lectionario. Officium Missæ eiusdem Vigilæ legitur in Antiphon. Gregor. sed Orationes aliae sunt in eiusdem Sacramentario. Prima tamen Oratione in eodem Sacramentario legitur in calce Missæ Commemorationis S. Pauli, quæ deinde translata est in Officium Vigilæ. Pamelius eam collocat in Vigilia. Si transferatur Festum, mutatur tertius Versus Hymni, *Iste confessor*.

29. Petri & Pauli. Ambrosius Sermones sex habuit. Comes S. Hieron. habet Festum, & Ordo Roman. Senator autem Festus obtinuit maiorem Festi celebritatem ab Anastasio Imperatore, qui obiit anno 518. ex Nicceph. *lib. 18. Histor. cap. 39.* Manuel meminit *tit. de Ferijs*. Duplex mains apud Duran. Lectiones priimi Nocturni, ut in Ord. Romano. Hymno ad Vespertas additum fuit Pij V. iussu, *O felix Roma, &c.* & ad Laudes, *Doctor egregie Paule.* quos tamen Versus ego legi in Breu. M.S. Coll. Aniciani. Reliquum Officium à S. Gregorio, sicut & sequentis diei, ex Microl. *cap. 42.* dividit enim sanctus Gregorius hæc Festa ad

ad eorum maiorem cultum, Duran.
lib.7.cap.15. Habetur Officium Missæ
vtriusque dicī in Antiphonario & Sa-
cramentario S. Gregorij.

30. Commemoratio S. Pauli. A
S. Gregorio, ex Ord. Roman. & Mi-
crol. loco citato. In Appendice Grego-
riana vocatur *Celebritas sancti Pauli*;
in Codice Pameliano, *Natale sancti
Pauli*. Solebat, ait Baron. in *Not.
Martyrolog.* Summus Pontifex obire
pridie Pontificias functiones in vtra-
que Ecclesia, S. Petri & S. Pauli; di-
stantia verò locorum, consultius vi-
sum est, duobus diebus integrum de
iis agere Festum. Duplex minus est
apud Duran. lib.7. cap.1. legitur Ser-
mo S. Augustini, vt in Ord. Romano.
De reliquo Officio diximus præceden-
ti die, ex Micrologo; & habetur, vt su-
prā dictum est, in libris Gregorianis.

Dices: Cuius classis est hæc S. Pau-
li Commemoratio? Respondeo: Non
est primæ, nisi vbi est Patronus, vel
Titularis. Nō est secundæ, quia admit-
tit in Laudibus commemorationem de
Octaua S. Ioannis. Non est Duplex
maius, quia non habet integras vtra-
que Vespertas. Non est Duplex minus,
quia Apostoli Festum est secunda-
rium. Est ergo vnicæ classis, & vnicō
debentur vnicæ Paulo; ideoque Com-
memoratio nominatur, non Festum.

Si transferatur in diem 4. Iulij, vt
in Tabulis nostris num. 34. ratione
Octauæ Corporis Christi, aut in
aliam, non impeditam Festo nouem
Lectionum; totum Officium à primis
ad secundas Vespertas inclusuè sit vt
in propria Ecclesia, omissa com-
memoratione Octauæ S. Ioannis: & ita
decretum est in recognitione postre-
ma Breuiarij, consideratis omnibus
quæ hinc inde adduci poterant. &

S. Paulo fauendum fuit in casu du-
bio. Quod autem sit aliquando trans-
ferenda hæc Commemoratio, habe-
tur apertè in tit. 11. de *Concurrentia
Officii num. 7.* in ijs verbis: *Excepta
Octaua Corporis Christi concurrente
cum Octaua S. Ioannis Baptiste, in qua
de sequenti fit tantum commemoratio.*
Non tamen ubique transfertur: nam
in propria Ecclesia, vbi Commemo-
ratio est primæ classis, fit de S. Paulo
cum commemoratione Octauæ Cor-
poris Christi tantum, ex Rubr. de
Transl. Festorum 10. num. 1. in ijs
verbis: *Exceptis tamen Festis Nati-
uitatis S. Ioannis Baptiste, & SS. Apo-
stolorum Petri & Pauli, quæ in die
Octaua Corporis Christi celebrantur.*
Et pro Festo intelligitur etiam Com-
memoratio hæc S. Pauli, in propria
scilicet Ecclesia; vt ex Officio patet,
quod excludit in Laudibus com-
memorationem Octauæ S. Ioannis. Trans-
lata verò hac Commemoratione, tunc
in die Octaua Corporis Christi fiet
commemoratio in Laudibus & se-
cundis Vespbris, primò de Octaua
S. Ioannis, deinde de Octaua SS. Apo-
stolorum, per Antiphonas, quæ dicun-
tur infra Octauā eorumdem, & Ora-
tionem Festi communem ijsdem. Ne-
que dicas, malè fieri de Octaua S. Pau-
li ante Festum illius per quatuor dies,
30. Iunij, 1. 2 & 3. Iulij; quia Festum
eiusdem celebrari cœptum est cum
S. Petro, quamquam sine proprijs
S. Pauli Laudibus, quæ habentur in
Antiph. Lectionibus & Responsorijs
Commemorationis: quæ & ideo
(contrarium scripsit nonnemo) non
sunt omnino tacendæ.

Si dies 30. fuerit Sabbatum, in se-
cundis Vespbris, quæ sunt in Anti-
phona commemorationis communes

V ambo-

154 Comment. in Rubr. Breuiarij. Scđt. VII. Cap. IX.

ambobus Apostolis , commemoratio Dominicæ fieri debet post Apostolos, non ante : quod malè notauit & docuit recentior ; non aduertens , quid hæ secunda Vesperæ Duplices sunt nobiliores Dominica.

De Festis Sanctorum mense Julio.

C A P I X.

Octaua sancti Ioannis. Beda meminit. & habetur in Missali Vatic. 4743. inter maiores Octauas eam numerat Radul. *Propos. 19.* Semidup. apud Duran. lib. 7. cap. 1. & in Breuiar. 1550. Duplex à Pio V. qui & Sermonem sancti Maximini addidit. Si contingat non legi de Homilia sancti Ambrosij, quæ habetur in secunda vel quarta die infra Octauam S. Ioannis, ob Dominicam occurrentem infra eamdem , poterit legi quod omissum est in die Octaua , ad varietatem , & ad libitum : quod notauimus in Tabulis Ordinis nostri perpetui A. B. C. litterarum Dominalium : & est conforme Rubricis Octauarij Romani.

2. Visitationis beatæ Mariæ. Ab Urbano VI. anno 1389. à Bonifacio IX. publicatum est anno sequenti 1390. ex Bzouio anno eodem. Exstat Decretum de hoc Festo in Concilio Basiliensi *Sessione 43. anno 1441.* qua nimurum die finita est Visitationis beatæ Mariæ in domo Elisabeth, vt ait Azor. *part. 2. lib. 1. cap. 23. quest. 2.* Apud Ordinem Minorum celebratum fuit ab anno 1263. ex Annal. Min. Duplex in Breuiar. 1550. cum Officio proprio : quod mutauit Pius V. excepta Homilia : sed Clemens VIII. ferè totum , vt hodie habetur, com-

pleuit , præsertim Antiphonas & Responsoria ; maiusque Duplex esse declarauit.

Procelli & Martiniani. In Antiphonario & Sacramentario Gregoriano , sed post Gregorium , ait Pamelius. Simplex in M. S. Semidupl. in Breuiar. 1550. Pius V. restituit , vt olim.

4. Elisabeth. Officium est ad libitum ab Urbano VIII. eiusdem Officij auctore , Semiduplex, anno 1630. & si fiat, de ea legatur in Martyrologio primo loco.

6. Octaua Apostolorum. In Actis sancti Sebastiani in martyrio S. Tranquillini , de quo Martyrolog. hac die . Comes S. Hieron. meminit. S. Leo Sermonem habuit in hac die. habetur etiam apud Bedam , & Radulph. *Propos. 19.* qui & appellat Octauam maiorem. Duplex minus, à Duran. lib. 7. cap. 1. & in Breuiar. 1550. Officium Gregorianum , ex Schultingio; & Officium huius Missæ habetur in Antiphonario & Sacramentario sancti Gregorij; sed Orationis auctor est Leo II. ex Durand. lib. 7. cap. 15. vel Leo IV. ex auctore Ligni vitæ lib. 5. ex Platina , & auctore Breuiar. Chronologici ; cùm esset certatus contra Saracenos ad Ostia Tiberina. Pius V. mutauit per totam Apostolorum Octauam Lectiones secundi Nocturni.

10. Septem Fratrum. Officium Missæ in Antiphonario & Sacramentario Gregoriano habetur . Ruffinæ & Secundæ. In Missali antiquissimo Vaticano *volum. 4770.* Romæ tantum , ait Radulph. *Propos. 22.* cum nouem Lectionibus in M. S. Simplex in Breuiar. 1550. Semidupl. à Pio V. cum Officio , vt diximus , Gregoria-

no,

no, cui Pius V. Homiliam addidit, quæ hodie legitur. Si transferatur hoc Festum in Feriam 2. conuenit, ut octaua Lectioni adiungatur nona, in qua de iis agitur.

11. Pij Papæ. In Missali Vaticano vol. 4743. Semid. ex Microlog. c. 43. Romæ tantum, ex Radulph. Prop. 22. Simplex in M. S. & 1550. vt hodie.

12. Naboris & Felicis. In Missali Vaticano proximè citato. Romæ, Radulph. Propos. 22. Simplex sine Lectione in M. S. cum tribus in Breu. 1550. Pius V. antiquiora Breuiaria secutus, nullam Lectionem legi mandauit. Oratio est antiquior Pio.

Ioannis Gualberti. A Clemente VIII. commemoratio tantum, in recognitione Breuiarij.

13. Anacleti. In Missali Vaticano volum. 4743. Semidupl. ex Microlog. cap. 43. Romæ tantum, ex Radulph. Propos. 22. Simplex in M. S. & 1550. Semidupl. à Pio V. vt olim, vna cum Officio.

14. Bonaventuræ. A Sexto IV. deinde vti Doctoris à Sexto V. 1588. Semidupl. à Pio V. Duplex à Sexto V. mutata Oratione, quæ erat *Exaudi*, & Euangeli Doctorum addito.

Henrici primi Imperatoris. Commemoratio, ab Urbano VIII. in recognitione Breuiarij, instante Ferdinando Austriaco Imperatore anno 1631, de quo legendum erit secundo loco in Martyrologio. Orationes Missæ habentur in Bulla Canonizationis sanctæ Cunegundis, sancti Henrici coniugis, auctore Innocentio III. & mutato tantum nomine in nomen Henrici.

17. Alexij. Institutum fuisse Festum circa annum 1200. ait Chtonicum

Germanicum cit. à Schultingio; & habetur in Breuiar. Vatic. vol. 4751. Simplex in Breuiar. 1550. & hodie idem.

18. Symphorosæ & filiorum. In Appendice Gregor. Romæ tantum, ait Radulph. Propos. 22. Simplex in M. S. & 1550. vt hodie.

20. Margaritæ. In Litaniis fit de ea mentio in Ordine Romano, item in Appendice Gregor. & in Concil. Oxoniensi. Simplex in Breuiar. 1550. Pius V. ademit Lectiones incertas de eius martyrio, & mutauit Orationem.

21. Praxedis. In Antiph. Gregor. Simplex in M. S. & 1550. Officium Gregor.

22. Mariae Magdalena. Habentur Orationes ad Missam in Sacramentario Gregoriano à Pamelio edito; qui tamen notat, eas esse posteriores Gregorio. Anselmus meminit Festi Epist. ad Ermulphum. de generali consuetudine testatur Radulph. Propos. 17. & habetur in Missali Vaticano volum. 4743. Semidupl. apud Durand. lib. 7. cap. 1. Duplex apud Radulph. cit. rursus Semidupl. in Breu. 1550. tandem Duplex à Pio V. qui mutauit Capitula, addidit Hymnum ad Vesperas (quem Clemens VIII. correct) & alium ad Laudes: mutauitque Lectiones & ordinem Responsoriorum. Clemens VIII. mutauit Hymnum post Inuitatorium, quem accepit ab Ordine Romano, in die Palmarum, *Nardo Maria pistico*: cui tandem extremam impoluit manum Urbanus VIII.

23. Apollinari. In Antiphonario & Sacramentario Gregoriano. Petrus Chrysologus Sermonem habuit. Microlog. meminit cap. 43. Simplex in M. S. & 1550. Semidupl.

V 2 à Pio

156 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. VII. Cap. IX.

à Pio V. cum Homilia propria. Officium Gregorianum, ex Microl. cit. & Offic. Missæ habetur in Antiphonat. Gregor.

24. Vigilia S. Iacobi, ut dictum est de Vigilia S. Andreæ.

Christinæ. In Appendice Gregor. Simplex in Breuiar. M. S. & 1550. ut hodie.

25. Iacobi Apostoli. Dies Translationis est; nam obiit in Paschate, Gemma lib. 3. cap. 163. Vide in Festo sancti Andreæ. Duplex à Bonifacio VIII. Officium creditur à Callisto II. compositum, qui de sancti Iacobi miraculis scriptis, & Compostellam Archiepiscopatu decorauit, ex Schultingio. Orationes, quæ in Missa dicuntur, habentur in Sacramentario Gregoriano.

Christophori. In Appendice Greg. & Breuiario S. Isidori citato à Baron. in *Martyrolog.* Simplex commemor. in M. S. & 1550.

26. Annæ. In Breuiar. Toletano S. Isidori, in Missali Vaticano volume 3808. Manuel titulo de Ferijs. apud Minores S. Francisci ab anno 1263. ex Annal. Min. Gregorius XIII. restituit Festum anno 1584. cum nouem Lectionibus erat in Breu. 1503. Duplex cum Officio à Gregorio XIII. Oratio antiquior Pio V. Clemens VIII. mutauit Lectiones secundi Nocturni. Gregorius XV. præcepit diem agi Festum ubique, Constit. edita 23. April. 1622.

27. Pantaleonis, alias Pantaleemonis, ait Baron. in *Martyrolog.* In Appendice Greg. Manuel titulo de Ferijs. Simplex in M. S. & 1550.

28. Nazarij, &c. S. Ambrosius Sermonem habuit. Habentur primi duo in Missali Vatic. vol. 4770. Victor. in

Missali Vatic. vol. 4743. & ex Microl. cap. 43. Romæ tantum, Radulph. Propos. 22. Innocent. in Append. Greg. & Radul. loco citato. omnes vero simul in Missali Vatic. 4743. Simplex in M. S. cum 9. Lectionib. in Breu. 1550. Semidupl. à Pio V. qui addidit Homiliam. In Ecclesia SS. Nazarij & Celsi transfertur Festum SS. Victoris & Innocentij in primam diem non impeditam ritu Semiduplici, de Communi plurimorum Martyrum, ex Decreto S. Rituum Congregationis die 12. Febr. 1633. & cum Oratione & Euangeliō Festi eorumdem, omissis nominibus SS. Nazarij & Celsi. Hæc illa. hoc est, post Octauam SS. Nazarij & Celsi, ex Rubrica Breuiarij nuperimè recogniti. Neque mirum videatur, quod S. Innocentius colatur ut Martyr una cum Martyre; tum quia colitur in tota Ecclesia cum Officio Martyrum, ut patet; tum quia Martyr ut nobilior trahit ad se non Martyrem; tum quia aliis non Martyribus, seu non viris, dantur aliquando ab Ecclesia Psalmi Martyrum, seu virorum, ut videtur est in Festo S. Martini Episcopi, SS. Agnetis & Agathæ, ex speciali Priuilegio, quod in translatione S. Innocentij non fuit illi detrahendum. Antiphonas autem & Responsoria de effusione sanguinis & nonnulla cum demonstratione, *Istorum est enim, &c.* *Isti sunt qui venerunt, &c.* ne sumas pro iis rigorosè, quorum Festum colitur; sed ea intellige, vel de præparacione animi ad martyrium respectu S. Innocentij; vel quia plurale ponitur in Breuiario pro singulati, & econtrâ: ut in Festo plurium Apostolorū dicimus in secundis Vesperis, *Collocet eum cum Principibus, &c. & sapientius in Festo vienius Apostoli, Isti sunt, &c. bis & ter,* &

& in Festis plurium Confessorum non mutantur Antiphonæ nec Responsoria de uno Confessore. Vel accipe verba encomiasticè in laudem totius ordinis Martyrum : quod fit in toto Officio Apostolorum communi ; & in Festo SS. Innocentum adhuc licet dicitur, *Tradiderunt corpora sua in mortem, ne seruirent idolis, &c.* Quod non contingit iis, si diutius vixissent.

29. Marthæ. In Missali Vatic. 4743. & apud Minores S. Francisci ab anno 1263. in Annal. Min. Simplex in M.S. & 1550. Semid. à Pio V. qui mutauit Orationem, & Homiliā addidit.

Felicis. In Antiphonario & Sacramentario Gregoriano ; & sociorum distincte, ibidem apud Pamelium. Simplex in M.S. & 1550. In Octauario Romano Bononiae primū edito p̄o Octaua S. Marthæ citantur Homiliae, quæ infra Octau. Assumptionis B. Virginis: at quia additū est S. Hyacinthi Festum, & 2. die nulla erit amplius Homilia, tu lege quæ in 4. 5. 7. & 8. die habentur. In editione Octauarij Antuerpiensi, Veneta & Neapolitana inoffenso decurres pede.

30. Abdon & Sennen. In Sacramentario Gregoriano. Simplex in M.S. & 1550. Officium Missæ in Antiphonario sancti Gregorij.

*De Festis Sanctorum mense
Augusto.*

C A P X.

Quotidie hoc mense celebrari de Sanctis, testatur Concil. Turon. II. cap. 18.

1. Petri ad Vincula. Ab Alexandro Papa, ex Durand. lib. 7. cap. 19. institutum est: vel à Siluestro, anno 315. ex Polyd. Virgil. lib. 6. cap. 8. quod repro-

bat Baron. in *Martyrolog.* In Sacramentario Gregor. Gemma meminit lib. 3. cap. 164. & de generali consuetudine tradit Radulph. *Propos.* 17. circa ann. 438. ex Siegerberto. Semidup. apud Durand. lib. 7. cap. 1. Duplex apud Radulph. loco citato, & in Breu. 1550. Oratio est Gregoriana in Sacramentario, & fortè etiam totum Officium; quod in multis concordat cum Festo Junij. Officium Missæ aliud tamen est ab Antiphonario sancti Gregorij: & item Oratio secreta alia est in Sacramentario. Pamelius numerat inter Officia non Gregoriana, post eum scilicet addita, Schultingius Sixto III. tribuit, qui ad Eudoxiæ preces Festum decreuit. Pius V. addidit Lectiones proprias secundi Nocturni, Clemens VIII. Homiliam S. Augustini valde propriam, & declarauit esse Duplex maius.

Machabœorum. Extant Orationes Nazianzeni, Ambrosij, Chrysostomi, Augustini, Leonis in eorum Festo, & Maximi. Habetur Festum in Appendice Gregoriana, & in Codice Pameliano Sacramentarij Gregoriani. Simplex in M.S. & 1550. Nomina eorum sunt: Salomona mater, Machabæus primogenitus, Aber, Machir, Iudas, Achas, Arath, & Iacob ultimus, ex Iosepho in *Commentar. ad Polybium.* Cur Machabæi sint appellati, Xystus lib. 1. *Biblioth. San.* docet, in vexillis eorum scribi solitum M. C. B. I. quæ Hebraicè sonant: *Quis similis tui in fortibus Domine?*

2. Stephani Papæ. In Sacramentario Gregoriano. Simplex in M. S. Missæ Officium non aliud ab Antiphonario Gregoriano.

3. Inventionis S. Stephani. In calce prædicti Sacramentarij. Anconæ

V 3 erat

erat Festum soleme, vbi lapis est S. Stephani, ex Beda. Cui Festo facta est deinde accessio titulo Inventionis; quæ tamen non accidit hac die: neque vero hac die obiit Stephanus, vt aliqui putant, contra quos fusiæ Baronius in *Martyrolog.* Semid in M. S. & 1550. Lectiones primi & secundi Nocturni mutatae sunt à Pio V. auctorem facit Officij S. Stephani Leonidensem Ant. Demochares lib. 4. c. 14. contra *Misaliturgos*. sed omnia sumuntur de Festo Decembbris, cuius Officium ab Alcuino dicitur compositum, ex Cornelio Schultingio, qui hodierni Officij facit auctorem Bonifacium I. sub quo Luciani Historia de hac iquentione scripta est; seu Pelagium I. quo tempore ossa sancti Stephani Romam fuere translata. Sed ego puto esse Gregorianum; Orationes tamen in Missa huius Festi aliae sunt in Sacramentario.

4. Dominici. A Gregorio IX. anno 1234. sed Festum fieri iussit in die sequenti, quo relatus est inter Santos. & in Missali Vaticano habetur vol. 4743. Paulus IV. hac ipsa die 4. celebrari iussit, ob Festum B. Virginis sequens, licet obierit ille die sexta huius mensis. Semidup. erat in M. S. Breu. & 1550. Duplex à Paulo IV. Pius V. excepta Oratione, mutauit totum Officium antiquum à Constantino Episcopo Urbeuer. compositum, iussu Ioan. Teutonici Generalis 4. In Hymno, *Isle confessor*, mutatur tertius Versus.

5. Dedicatio sanctæ Mariæ ad Nives, seu Basilicæ Liberij, seu Xystianæ, à Xysto III. seu Maioris dictæ, seu apud Præsepe: quod ibidem afferatur. Vide causas apud Baron. in *Not. Martyrolog.* De ea in Missali Vati-

cano volum. 4743. Romæ tantum celebrabatur, ait Radulph. *Propos.* 22. Duplex in Breuiar. M. S. & 1550. nihil Durand. Pius V. mutauit Orationem, aliqua Responsoria, & Lectiones primi & secundi Nocturni. Clemens VIII. declarauit esse Duplex maius vna cum sequenti.

6. Transfigurationis Domini nostri. Hodie reuelata fuit ab Apostolis testibus eiusdem, ait Beleth cap. 144. extant Sermones de hoc mysterio SS. Leonis, Cyrilli Alexand. Ephrem, Bafilej Seleuciae, & Andreæ Cretensis. Habetur Festum in *Martyrolog.* Wandelberti, qui floruit anno 850. in Missali Vatic. volum. 4770. Manuel meminit tit. de *Ferijs*. Duplex in Breuiar. 1550. Auctor Festi & Officij apud omnes fuit Callistus III. anno 1456. ex Platina, & Nauclero Gener. 49. volum. 2. sed verè non fuit Festi: quod notat Baron. in *Not. Martyrolog.* ex Wandelberto. Pius V. mutauit Hymnos ad Vesperas & Laudes, & Lectiones primi & secundi Nocturni.

Xysti, Felicissimi, &c. Comes Hieron. meminit Xysti, & est II. S. Augustinus exprelle de hoc Festo testatur *Tract. 27. in Ioan. Sacramentar.* Gregorian. diuisum omnium, & eiusdem Antiphonarium. cum nouem Lectionibus in M. S. & 1550. Simplex à Pio V. Orationes Missæ leguntur in Sacram. Gregor.

7. Donati. In Appendix Greg. Simplex in M. S. & 1550.

8. Cyriaci, Largi, &c. Primus habetur in Sacramentar. Gregorian. cuius Missæ Officium idem quod in Antiphon. & Sacrament. sancti Gregorij: additis deinde sociis, de quibus in Appendix Gregoriana. Simplex in M. S. &

& 1550. Semidup. à Pio V. cum Officio proprio.

Hac autem die translatæ fuerunt eorum corpora, qui obiere die 16. Martij, ut dicitur in Martyrologio Romano.

9. Vigilia sancti Laurentij. In Comite Hieron. & Sacrament. Gregor. ex pristina consuetudine vigilandi ad corpus tanti Martyris, ut Acta testantur ex Baron. Aliæ causæ prædicationis vel martyrij allatae à Duran. lib. 7. cap. 23. minus probantur. Officium à Pio V. sed Missæ idem quod in Antiphon. & Sacram. Gregoriano.

Romani. In Appendice Gregorian. Simplex in M. S. & 1550.

10. Sancti Laurentij. In Actis S. Matronæ apud Metaphrasten fit mentio Festi, in Comite item Hieron. in Sacramentar. Gregoriano habentur Orationes Missæ, excepta ultima; quam tamen habet Pamelianus Codex. Sancti, Augustinus, Leo, & alij antiquissimi Patres Sermones habuere de Feste. Tradit Radulph. Propos. 17. ortum habere ex Apostolica auctoritate, hoc est, à Sede Apostolica. Duplex maius, ex Durand. lib. 7. cap. 1. & Radulph. loco citato. Officium est Gregorianum, ex Schultingio; & Missæ Officium habetur in Antiphon. Gregor. Pius V. mutauit Lectiones primi & secundi Nocturni. In Antiphonis 3. & 4. ad Laudes, *Caro mea igne cremata est, & non sum astuatus, nulla est contrarietas,* ex S. Augustino in fine Lectionis sextæ diei secundæ infra Octauam S. Laurentij.

11. Tiburtij. In Antiphonario & Sacramentario Greg. Susannæ. Romanum, Radulph. Propos. 22. Vtriusque Festum habetur in Appendix Greg. Simplex in M. S. & 1550.

12. Claræ. Ab Alexand. IV. 1255. & in Missali Vatic. vol. 4743. in Breu. M. S. erat solemne, quia Breviaria, ut dixi, Nicolai III. iussu Franciscana erant. Simplex à Pio V.

13. Hippolyti. In Sacramentar. Gregoriano. Apud Romanos Festum celeberrimum fuisse suo tempore, testatur Prudentius in Hymno. mentio est in Breuiar. S Isidori, Hyppolyti, Cassiani, & simul in Antiphonario Gregoriano, & Appendice Gregor. Simplex in M. S. & 1550.

14. Vigilia Assumptionis. Ordo Romanus, Sacramentarium Gregorianum; ubi habentur Orationes Missæ, paulò mutata Secreta. Beda, Nicol. Papa ad Consulta Bulgarorum meminere. Officium à Pio V.

Eusebij. In Antiphonario & Sacramentario Gregoriano, excepta ultima Oratione Missæ. Simplex in M. S. & 1550.

15. Assumptionis B. Virginis. Comes Hieron. Ordo Romanus, Sacramentarium sancti Gregorij, ubi Orationes Missæ leguntur; in cuius Appendix appellatur Pausatio B. Virginis. & idem legitur in Appendix Bibliorum antiquissima Vatic. vol. 5729. Dies Dominæ ab Hunnis dicta fuit, ex Baron. an. 48. & in Martyrol. Apud Orientales verisimile est, cœptū esse Festum coli statim post Conciliū Ephesinum; quo tempore Cyrus Alexanderinus cultum Deiparae contra Nestorium amplificauit, ut notauit Azor. par. 2. lib. 1. cap. 20. quest. 1. & deinde propagatum est sub Mauritio, ex Nicceph. lib. 17. cap. 28. Manuel habet in tit. de Fer. apud Gallos sub Carolo Magno in Concilio Moguntino c. 36. S. Bernardus meminit Ep. 174. Duplex maius, ex Duran. loco citato. Officium.

Gre.

160 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. VII. Cap. X.

Gregorianum, sed Officium Missæ aliud est in Antiphonario Gregoriano. Lectiones Cantici cant. in primo Nocturno ex Ordine Rom. mutauit Pius V. Lectiones secundi Nocturni, quarum etiam titulum meritò deinde mutauit, veriore auctore apposito, Clemens VIII. Lectiones autem Cantici canticorum conueniunt mysticè B. Virginis; sed & possunt dici Lectiones de Scriptura occurrente mense Augusto, in quo leguntur omnes libri sapientiales Salomonis, ex Radulph. *Propos. 11.*

Dubitatum fuit, An Officium de S. Rocho nondum canonizato, neque à Sede Apostolica beatificato, post Alexandrum III. defuncto, anno 1327. in Concilio Constantiensi an. 1414. inter Beatos habito, recitari possit; & negotio mature discusso, sacra Rituum Congregatio censuit, concedendam esse Missam & Officium in eius die Festo, in Ecclesijs dumtaxat & Eremitorij habentibus requisita Ecclesia rum in honorem eiusdem Deo dicatis, non extra dicta loca, die 4. July, & clarissim die 26. Novemb. 1629.

16. Hyacinthi. Ab Urbano VIII. Duplex cum Officio, 1. Februar. an. 1625. approbato, ad instantiam filij Regis Poloniae, cum esset Rōmæ pro Iubileo anni sancti. In Martyrologij lectione pridiana primo loco ponatur. In Hymno, *Iste confessor*, mutatur tertius Versus. Lectiones 1. Nocturni erunt de Scriptura occurrente, iuxta Rubricam quæ posita est in Breuiario ante Dominicam 3. Augusti; licet ibi fieret olim tantum mentio de Octaua S. Laurentij, & de Festo sancti Bernardi, eadem enim est ratio in his tribus Festis.

17. Octaua sancti Laurentij. In Sacramentario Gregoriano. Inter maiores

res Octauas numeratur à Radulph. *Propos. 19.* Semidup. ex Duran. lib. 7. cap. 1. & 1550. Duplex à Pio V. qui addidit Orationem propriam, quæ tamen habetur in Sacramentario Gregoriano ad calcem Festi sancti Laurentij, in editione Romana; & ordinavit melius Lectiones totius Octauæ. Officium Missæ habetur in Antiph. Gregoriano. Orationes autem aliae sunt in Sacrament.

18. Agapiti. In Antiphonario & Sacramentario Greg. à quo Secretam tantum in Missa Orationem habemus; sed in Codice Pameliano sunt eadem quæ apud nos. Simplex in M. S. & 1550.

20. Bernardi. In Missali Vaticano vol. 3808. Semidup. in Breu. 1550. Duplex à Pio V. Officium putat Schulting. ab Alexandro III. qui eumdem canonizauit. Pius V. mutauit Orationem, addidit Homiliam.

Stephani Hungaroru Regis. Simplex commemoratio ab Urbano VIII. anno 1631. ad instantiam Ferdinandi Imperatoris: in Martyrologio legatur secundo loco. Vbi celebratur cum nouem Lectionibus, in Hymno, *iste confessor*, mutatur tertius Versus, ut ex Lectione patet propria nono loco legenda.

22. Octaua Assumptionis. A Leone IV. anno 847. ex Sieberto, vel anno 848. ex Iacobo Phil. Bergomensi, vel 855. ex Baronio Tom. 10. qui citat Anastas. Biblioth. Radulph. meminit *Propos. 19.* Duplex minus apud Durand. loco citato, & in Breuiar. 1550. Pius V. in tota Octaua reformauit Lectiones, & nouas adiecit.

Timothei, &c. Primus habetur in Sacramentario Gregoriano; Symphorianus etiam in Antiph. Gregoriano;

Hip-

Hippolytus in Breuiario Vaticano volum. 4753. Simplex in M.S. & 1550. Pamelius numerat inter Officia Gregorio posteriora; Oratio tamen Sacramentarij est nobis etiam communis.

23. Vigilia S. Bartholomaei. De hac, & de Festo sequenti Concilium Oxoniense, & Innoc. III. de Observ. Iesu. cap. Consilium. Attendatur, inquit, locorum consuetudo, quod ad diem attinet hodierum, vel sequentem 23. 24. seu 25. Romæ Vigilia

24. Officium à Pio V. in Lectio-
ne Martyrologij hac die, & præceden-
ti, extra Romanam prænuntietur Vigilia,
& Festum, iuxta morem locorum: nam
Martyrologium Romanum consuetu-
dinem sequitur Romanam.

24. Bartholomæi. Beda. Romæ 25.
De eo Martyrol. & Calendar. M. S.
cit. à Baronio in Notis Martyrol.

Item in Sacrament. Gregoriano, vbi
Secreta Missæ & Postcommunio pau-
lò diuersæ leguntur. Collecta prima
est Ambrosiana. Græci celebrant Fe-
stum bis in anno; natalem diem 11. Iu-
nij, translationem hac die. Romani ce-
lebrant die 25. translationem ab Otho-
ne III. factam anno 983. in Romanam
insulam Licaoniam in tumbam por-
phyreticam, ut scribit Otho Frisingen-
sis lib. 6. cap. 25. Ecclesiam verò, qua
nunc Apostoli nomine vocatur, in ho-
norem sancti Adalberti ædificatam
asserit Baron. in Martyrolog. 22. Jun.

Duplex à Bonifacio VIII. Pius V. mu-
tavit omnes Lectiones. Est autem idem
cum Nathanaële laudato à Christo;
quod in calce Operis huius in vtrius-
que laudem, qui tamen unus est, pro-
bablo fusiùs.

25. Ludouici Regis IX. & Fran-
corum XIV. A Bonifacio VII. 1297. inter Sanctos est relatus. Ha-

betur Officium in Breuiar. Vaticano vol. 4752. Simplex in M. S. Semidu-
plex à Paulo V. anno 1618. 29. No-
uemb. cuius Lectiones recitandæ ap-
probatae fuerunt 23. Februar. 1619. &
rursus 23. April. 1622. Vbi celebra-
tur die 26. mutatur in Hymno, Iste
confessor, tertius Versus.

26. Zephyrini. In Missali Vati-
can. 4743. Semidup. ex Microl. c. 43.
Romæ tantum, Radul. Prop. 22. Sim-
plex in M.S. & 1550.

28. Augustini. In Sacramentar. Gregoriano, vbi omnes Orationes Missæ sunt eadem quæ apud nos. Be-
nifacij VIII. Decreto Duplex. Pius V.
mutauit omnia, retenta Oratione
tantum; Officium autem Missæ
aliud est in Antiph. Gregor. & Pame-
lius illud numerat inter Officia poste-
riora Gregorio.

Hermetis. In Antiphonar. & Sacra-
mentar. Gregor. à quo vltimam tan-
tum habemus Orationem Missæ; pri-
mam & secundam in Pameliano Co-
dice. Apud Antium celebris memoria,
ex Actis sancti Bonifacij Papæ To-
mo 1. Concil. Simplex in M.S. & 1550.

29. Decollationis S. Ioannis. In Com-
ite S. Hieron. & in Sacrament. Gre-
gor. vbi omnes Missæ Orationes ha-
bentur, posteriores rama Gregorio;
excepta prima, quæ à Missali Ambro-
siano accepta est. Manuel tit. de Ferijs.
Hac die Caput est inuentum, ex Gem-
ma lib. 3. cap. 165. & placet Baronio in
Martyrolog. hoc est, secunda inuen-
tione: nam obiit in die Annuntiationis
B. Virginis, ex auctore Geminæ
ibidem; & imminentे Paschate, ex
Baronio loco citato, qui addit, hac
item die fuisse consecratam celebrem
Ecclesiam Alexandriæ in honorem
S. Ioannis, & Reliquias eiusdem in ea

reconditas. Semidup. apud Durand. lib. 7. cap. 1. & in Breu. 1550. Duplex à Pio V. qui de more mutauit 1. & 2. Lectiones. Officium Missæ aliud est in Antiphon. Gregoriano, posterius Gregorio, ex Pamelio, ut dictum est. Optarunt aliqui hoc Festum fieri Duplex maius, sicuti suntalia minora Festa Apostolorum: sed neque dies hæc martyrij illius est, neque martyrium pro fide Christi & Euangeliō, neque statim in cælum iuit, neque demeretur S. Augustin. ut amittere debeat secūdas Vesperas, quas diuidit cum S. Ioanne. Quibus etiam de causis longè maius Festum est Natiuitatis quam Decollationis S. Ioannis. Aliam adde causam, quia Natiuitas illius toti mundo magis profuit, tamquam Præcursoris Christi, quam Decollatio, quæ illi soli utilis fuit. Et multi, ait Angelus, in Natiuitate eius gaudebunt.

Sabinæ. In Antiphon. & Sacram. S. Gregorij. sed deinde mutata sunt omnes Orationes Missæ, quas tamen habet Pamelianus Codex. Simplex in M.S. & 1550.

30. Felicis & Adaucti. In eodem Sacram. cum Orationibus omnibus Missæ. Simplex in M.S. & 1550. Officium Missæ, ut in Antiph. Gregor.

De Festis Sanctorū mense Septembri.

C A P. XI.

A Egidij Abbatis. Ab Vrbanio IV. ex Radul. citato à Schultingio. in Missali Vatic. vol. 3808. cum nouem Lectionibus apud Radulph. Propos. 22. Simplex in M.S. & 1550. & à Pio V.

Duodecim Fratrum. Romæ tantum, ex Radulph. cit. in Missali Vaticano vol. 4770. Simplex in M. S. & 1550. 8. Natiuitatis B. Virginis. Tempori-

bus Ephesini & Chalcedonensis Concil. diem Festum hunc celebrari cœpisse, existimat Azor. par. 2. lib. 1. c. 19. quest. 1. at Baron. in Not. Martyrol. non præsumit hoc dicere, quia in Concilio Moguntino videntur illius Patres hoc ignorasse Festum. Extant Orationes de hoc eodem Festo Chrysostomi, Procli, & Ioannis Damasceni. Manuel meminit tit. cit. Certum est, quod apud Latinos non ubique celebratum fuit hoc Festum ante Augustinum, qui nullius hominis natiuitatem celebrari afferit, nisi Christi & Ioannis, Sermones 20. & 21. de Sanctis. Quod si in Breuiario hac die dicat Augustinus in Sermoni, *sante Virginis illustrata natali*; & in secunda die infra Octauam, *tuam sanctam Natiuitatem*; illa verba, *natali*, *Natiuitatem*, sunt aduentitia, mutata ab Ecclesia: pro quibus alia habet originalis textus in Sermoni 18. de Sanctis, qui est 2. de Annuntiatione. Habetur præterea Festum hoc in Comite S. Hier. in Ord. Rom. & in Sacram. Gregor. cum omnibus Orationibus Missæ. S. Ildephonſus indicat hoc Festum in libro de Virginis. Maria; de quo etiam Sermonem habuit. Post eum Bernardus meminit, rationemque addidit, quia sancta nata est, in Sermoni super Salve Regina: atque ex cantu Angelorum hac die audio statutum fuisse Festum, docet Gemma lib. 3. cap. 166. tum Sergij Decreto firmatum, ait Siegebertus in Chronico. Sed fortasse eo die indixit ille Litanias tantum, ut ait Auctor Breu. Chronologici; qui & addit, quod in Gallia post Ludouicum Pium celebrari cœpit. Duplex maius, ex Duran. lib. 7. cap. 1. Antiphona & Responsoria à Ioanne Damasceno composita post recu-

recuperatam abscissam manum, scribit Schultingius citans Martinum Cosenzium Archiepisc. lib.4. Chron. in Syrio, nihil mutauit Pius V. Officium tamen Missæ aliud est ab Antiphonario Greg. Vbi est Titulus Ecclesiæ Natiu. B. Virginis, in tertio Nocturno vel de septima & octaua Lectione fiant tres, vel pro nona legatur septima diei sequentis infra Octauam; parumque refert, si die sequenti eadem repetatur.

Adriani. In Antiphonar. & Sacramentar. Gregoriano, mutatis deinde Orationibus: & est translationis Festum, quando Romam eius corpus delatum est, ex Baron. in Martyrolog. obiit enim die 4. Martij. Commemoratio in M.S. Simplex in Breu. 1550.

9. Gorgonij. In Antiphonar. & Sacramentar. Greg, cum omnibus Orationibus Missæ; non tamen in Pamelliano Cod. Simplex in M. S. & 1550. posterior est Gregorio, ex Pamelio.

10. Nicolai Tolentini. In Breuiar. Vatic. volum. 4760. restituitur à Sixto V. 1585. cum Officio & Duplici ritu; sed comparatione facta cum Nicolaio Mirensi Episcopo, à quo hic Nicolaus prodijt in lucem, Clemens VIII. Semid. ritu Festum decreuit fieri, mutauitque Orationē. Si transferatur, mutatur Versus tertius in Hymno, *Iste confessor.*

11. Proti & Hyacinthi. In Antiphonar. & Sacramentar. Gregor. Romæ celebre Festum fuisse docet Baron. in Martyrolog. Simplex in M. S. & 1550. Officium Gregorianum, vbi supra. Fuere germani, teste S. Damaso in Epigramm. quod in recognito Martyrol. & Breuiario adnotatum est: quare in Officio nouem Lectionum octauum Resp. erit, *Hac est vera.*

14. Exaltationis Sanctæ Crucis. An-

te obitum S. Ioannis Chrysostomi, qui hac die obiit, & duos de hoc Festo Sermones habuit. in Comite S. Hieron. fit mentio; in Ord. Romano, & in Sacramentar. Gregor. habetur Secreta Missæ Oratio qua nos utimur: reliquæ deinde mutatae fuerunt. Honorius I. inuexisse dicitur hoc Festum in Ecclesiam Occidentalem anno 623. ex Platina: fortasse ampliavit. Quare Heraclij victoria longè posterior reddit illustriorem iam institutam celebratatem; quæ contigit anno 631. ex Sigeberto. Semidupl. à Duran. lib.7. cap.1. Duplex in M.S. & 1550. Officium Gregor. mutauit aliqua Pius V. in Responsorijs, & Lectionibus. Clemens VIII. in Hymno iussit dici, *In hac triumphi gloria.* & declarauit hoc Festum esse Duplex maius. Officium Missæ Introitum tantum habet, ex Antiphonario Gregoriano.

15. Octaua Nativitatis B. Virginis. Ab Innocentio IV. ex Durand. lib.7. cap.28. hoc est, Officium eiusdem, ait Baron. in Martyrolog. Beda enim meminit Octauæ cum Radulph. Propos. 19. qui eam numerat inter Octauas maiores. Habetur in Missali Vaticano volum. 3808. Semidupl. apud Duran. lib.7. cap.1. Duplex ab Alexandro VI. vt dicitur in Breu. 1550. Officium ab Innoc. IV. ex Platina anno 1246. qui & eidem tribuit Festum, sed falsò, vt suprà innuimus. Pius V. infra Octauam ademit in primo Nocturno Lectiones de Cantoris cantorum quotidianas, exceptis prima & ultima die; & mutauit Lectiones secundi & tertij Nocturni.

Nicomedis. Olim die prima Iunij, ex Beda, Vsuardo, & Adone. Habetur Officium Missæ in Antiphonario & Sacramentario Gregorian.

X 2 cum

cum omnibus Orationibus Missæ.
Simplex in Breuiario M. S. & 1550.

16. Cornelij & Cypriani. Obiere tamen die 14. Septembris, qua, & sequenti impedita, data est eisdem hæc dies pro natali. De ijs in Comite Hieron. & Sacra nentar. Greg. vbi habentur prima & ultima Oratio Missæ. De Cypriano Nazianzenus Orationem habuit; & soleminius erat Festum apud Græcos. Extant aliorum Sermones, Augustini 113. 114. 115. 116. de Diversis, SS. Maximi & Petri Chrysol. in Italia per antonomasiam dicebatur celebritas Cyprianea, ut scribit Procopius de Bello Vandalo. Simplex in M. S. & 1550. Semid. à Pio V. cum Officio. Lectiones primi Nocturni de Communi Martyrum catenæ fuerunt assignatae, quatenus de libro Tobiæ cœptum sit legi: alioquin initium eiusdem libri legatur in hoc Festo (qui casus contingit alicubi, ob Festum solemne in Dominica, die 13. Septembris) ne scilicet liber ille omittatur. Missæ Officium discordat ab Antiphonar. Gregor.

Euphemia, &c. A tempore Chalcedonensis Concilij. In Sacramentario Gregoriano diuissim habentur; vbi etiam Orationes omnes, quæ nunc in Missa dicuntur. Pamelius numerat inter Officia Gregorio posteriora in Antiphonario Gregoriano. ante tempora Doni Papæ, ait Baron. in Martyrolog. Manuel tit. de Ferijs. cum nouem Lectionibus in M. S. & 1550. Commemoratio tantum à Pio V.

17. Stigmatum sancti Francisci. Baronius in Martyrologio scribit, Benedictum XI. iussisse solemnitatem hanc celebrari Duplici Officio, id est, in Ordine S. Francisci; & lapsam in Martyrologio Romano iussisse Sextum V. hac

die recenseri, additis ipsiusmet Sixti V. verbis. Deinde vero concessit Paulus V. celebrari eamdem posse ad libitum Cleri: Duplici quidem Officio in Religione sancti Francisci, extra eamdem Semiduplici, vt patet ex prima editione Romana, & Decreto sacræ Rituum Congregationis die 28. Augusti 1615. & rursus die 2. Octobris 1627. Scripsit de hoc Festo Ant. Daza Minorita, & ait, vniuersæ Ecclesie fuisse præceptum sub ritu Duplici à Benedicto XI. & à Paulo V. sed fallitur; tum quia Marcus Vlyssipponensis in suo Chronico Minorum par. 1. cap. 59. apertè tradit, à Benedicto XI. datum esse Festum Duplex Ordini tantum S. Francisci; tum quia semel & iterum decreuit sacra Rituum Congregatio ritum Semiduplicem, vt diximus: tum quia eiusdem Decreto deleta sunt ea verba in 6. Lectione, Officio Duplici, quæ videbantur ad totum Clerum attinere, die 6. Novembris 1627. Et ratio fauet; quia in Breuiario secundaria Sanctorum Festa longè sunt inferiora primatijs, vt videre est in Duplicibus maioribus per annum; non ergo debet esse Festum Stigmatum æquale Festo primario S. Francisci, quod est Duplex minus: congruit autem esse Duplex in Ordine Minorum, vbi Festum primarium S. Francisci est Duplex primæ classis. Color albus adhibendus est, vt alias docuimus, contra usum Fratrum Minorum. In Martyr. lect. si fiat Officium, ponatur primo loco.

19. Ianuarij, &c. Primus erat in Appendice Gregor. apud Græcos ante Procopium, qui de hoc Festo scribit lib. 2. de Bello Gotlico. cum socijs restitutus fuit à Sixto V. 1586, & cum Officio Semiduplici. Cle-

mens

mens VIII. mutauit Euangelium cum Homilia.

20. Vigilia S. Matthæi. Ut de Vigilia S. Andreæ & S. Thomæ dictum est. In Comite Hieron. Euangelium, Officium Missæ in Antiph. & Sacrament. Gregoriano.

Eustachij, &c. Appendix Sacramentar. Gregor. habet hoc Festum Calend. Nouemb. hac verò die Missale Vaticanicum vol. 4743. Commem. in M. S. Simplex 1550. Pius V. ademit Lectionem, ob Homiliam Vigiliæ. Urbanus VIII. ritu Semidupl. celebrati iussit, ad instantiam Mauritij Cardinalis à Sabaudia Diaconi eiusdem Ecclesiæ; cuius Lectiones approbatae fuerunt die 24. Novemb. 1625. Addiderunt alij sine facultate Resp.

Hac est vera; quod non quadrat: alias dicendum esset etiam in Festo S. Marij, Marthæ, &c. 19. Ianuar. eadem enim est ratio patris, matris, & duorum filiorum. non igitur est dicendum.

21. Matthæi. Ut de S. Andrea. Comes S. Hieron. meminit. Oratio est Ambrosiana. Pius V. mutauit Lectiones omnes. Officium Missæ, ut in Antiph. Gregor. & Sacramentario.

22. Mauriti, &c. Primus in Antiphonario Gregoriano; sed ex Pamelio post Gregorium: socij verò in Appendix Sacramentarij. Simplex in M. S. & 1550. Officium Gregorianum, & Missæ præsertim, ut in citato Antiphonario.

23. Lini. In Appendix Gregoriana. Semidupl. ex Microlog. cap. 43. Romæ tantum, Radulph. *Propos. 22.* Simplex in M. S. & 1550. Semid. restituitur à Pio V. mutauit autem Euangelium cum Homilia Clemens VIII.

Theclæ. In Appendice Gregor. Vbi que celebre Festum, ait Baron. in Martyrolog. cum nouem Lection. in Breu.

1550. Commemoratio à Pio V.

26. Cypriani & Iustinæ. In Appendix Gregorian. Simplex in M. S. & 1550.

27. Cosmæ & Damiani. In Sacramentar. Gregor. mutatis Orationibus omnibus Missæ; quas tamen nobis etiam communè Pamelianus habet Codex. Romæ celebrem eorum cultum ante Menologium indicat Baron. in Martyrolog. Manuel tit. de Ferijs. Simplex in M. S. & 1550. Semid. à Pio V. Officium autem Missæ habetur in Antiphonat. Gregor. vbi & posterius esse S. Gregorio, notat Pamelius.

29. Dedicationis S. Michaëlis, in monte scilicet Gargano, ait Martyrol. Roman. Habetur in Comite Hieron. & in Sacramentar. Greg. cum omnibus Orationibus Missæ, in Concilio Moguntino cap. 36. Manuel tit. de Ferijs. Ado, inquit, ob Dedicationem Ecclesiæ in mole Adriani, quam Baron. in Martyrol. vult fuisse dedicatam à Bonifacio III. vel IV. qui sunt posteriores Gregorio. Radulphus ait *Propos. 17.* fieri ex auctoritate Apostolica. Gemma addit lib. 3. cap. 167. ob victoriā fieri contra Paganos. Duplex apud Radulph. citati & in Breuário 1550. Officium est Gregorian. quod dici testatur Schulting. a Concilio II. Triburiensi M. S. celebrato anno 1030. Pius V. mutauit Lectiones primi & secundi Nocturni, tum ordinem Responsiorum, tum Capitulum ad Sextam. Nota, quod ad octauam Lectionem dicitur, *Quorum Festum colimus;* quia est Feltum omnium Angelorum, ut in Oratione

& Lectione quarta patet, & sequentiibus: & quia Dedicatio hæc in monte Gargano facta fuit in Michaëlis & Angelorum memoriam, ut expresse dicitur in Lectione sexta Festi Apparitionis die 8. Maij. Officium Missæ habetur in Antiphonario Gregoriano. Si occurrat hoc Festum in Dominica, conuenit, ut Octauæ Lectioni iungatur nona, quæ de Angelis agit. *andiamo 30. Hieronymi. In Sacramentario Gregoriano, cum diuersis tamen Orationibus Missæ. Ex Decreto Bonifacij VIII. Duplex. Pius V. mutauit Lectiones omnes.*

De Festis Sanctorum mense Octobri.

C A P. XII.

Festum Rosarij debet vbiq[ue] & perpetuò celebrari in ijs Ecclesijs, in quibus adest Altare seu Cappella Rosarij B. Virginis, Duplici maiori Officio in prima Dominicâ Octobris, quæ scilicet occurrit in Calendis, vel post Calendas, ex Decreto Gregorij XIII. die 1. Aprilis 1573. Officium recitant Bonoaienses de Natiuitate, mutato nomine in *Festinatis*. quod non improbamus. Certè melius, vt in Feste ad Nives, cum Lectionibus 2. Noct. de Natiuitate B. Virginis, mutato verbo *Natali* in *solemnitate*: minus enim cohærent Antiphonaæ & Responsoria Natiuitatis Feste Rosarij, quam Feste Visitationis & Præsentationis B. Virginis; & tamen hæc duo Festa non habent amplius Officium de Natiuitate, mutante Clemente VIII. in Officia quæ hodie habentur. Quibus autem placet Officium Natiuitatis, pro ijs verbis, *Hodie nata est*, dicere poterunt, *Hodie*

Festum est B. Virginis, sed verè dissotnat illud, ex progenie David, à voce Festi. Vide quæ diximus in primo Tomo par. 4. titulo 15. num. 22. pagina 291. Nota, quod in secundis Vesperis, si concurrant cum Angelis Custodibus, Vesperæ integræ erunt de beata Virgine, cum commemoratione Angelorum custodum. Habet enim Festum Rosarij integras, utrasque Vesperas; quia Gregorius celebrari voluit ritu Duplicis maioris, ut diximus: & ubi sic hoc Festum, legatur de eo in Martyrologio primo loco.

Occurrit non raro dies Octaua Titularis Ecclesiæ S. Michaëlis, S. Hieronymi, & aliorum, in Dominica 1. Octobris, in qua Rosarij Festum à Clero eiusdem Ecclesiæ fieri debet, Officiumque de eodem recitari. Et sicuti dies Octaua non potest transferri, ita neque videtur transferri debere Festum Rosarij, quod à die 7. Octobris in primam Dominicam eiusdem ex professo transtulit Gregorius XIII. ut Officio populus interhit, ex Bulla cit. *suprà*. Quodnam erit igitur Officium recitandum? consultus respondi, recitandum esse Officium de Rosario cum commemor. diei Octauæ, & Domin. 1. Octobris; tum quia, dum neutrum transferri potest, vt dixi, Festum Rosarij est Duplex, maius, Octaua verò Duplex minus: tum quia Festum Rosarij est Deiparæ: tum quia Festum est de præcepto uniuersalis Ecclesiæ, ex Bulla Gregorij; dies Octaua est de præcepto in particulari Ecclesia: tum quia sacra Rituum Congregatio in honorem B. Virginis decreuit, à Clero Regij fieri Festum Visitationis B. Virginis in die Octaua S. Prosperi Patrini loci, vt *suprà* scriplimus *Sect. 3. c. 12. num. 20.* licet potuisse, & debuisse ex

vi Rubricarum transferri Festum Visitacionis; at Rosarij Festum à Dominica non est dimouendum.

De Festo SS. Angelorum Custodum concessit Paulus V. 27. Septembri anno 1608. posse fieri Officium Duplex à se approbatum ad libitum Cleri, prima die non impedita Officio nouem Lectionum, post Festum Dedicationis sancti Michaëlis. Dixit Officio in titulo eiusdem Officii in editione Romana Egidij Spadæ anno 1612. ut intellegas, Festum Angelorum Custodum cedere debere Officio Dominicæ: & eò magis, quia si prima die, & in Dominica occurreret hòc Festum, in predictis Ecclesijs Rosarij, de Festo sanctissimi Rosarij, quod est nobilior, faciendum esset Officium. Item dies infra Octauam, puta sancti Hieronymi, vel sancti Michaëlis Archangeli, sicuti est Officio nouem Lectionum; ita excludit a tota Octaua Festum Angelorum Custodum.

Dices: In Decreto sacrae Congregationis Rituum dicitur, *Prima die non impedita Festo nouem Lectionum;* ergo non cedet Dominicæ. Relp. Eamdem sacram Congregationem declarasse, nomine Festi nouem Lectionum, etiam Dominicam intelligi, 12. Martij 1618.

Quæres adhuc: An Festum Angelorum Custodum sit Duplex maius, ita ut habere debeat vrasque Vespertas integras. Dicebam esse; tum quia in Rubricis generalibus de *Concurrentia Officii num. 2. in fine,* Festa Angelorum præponuntur Apostolis, hoc est, non modò Michaëlis, sed etiam Gabrielis, & Raphaelis, quæ apud multas Ecclesiæ celebrantur, & à fortiori Angelorum omnium Custodum, quorum Festum colimus uno die; tum quia

Festum hoc videtur maius quam Apparitionis sancti Michaëlis, ex pluritate Angelorum Custodum: & quia in Apparitione miraculum tantum celebramus; in hoe autem Festo personas ipsas Angelicas & innumeratas vna simul honoramus. At Apparitionem esse Festum maius, & habere vrasque integras Vespertas, nemo non nouit: tum quia licet hoc Festum sit ad libitum; tamen posito, quòd recitare velimus Officium, ad Rubricas generales seruandas tenemur; sicuti Missam, quam non tenemur quotidie celebrare, si tamen celebras, iuxta Rubricas celebrare debes: tum denique quia, si sanctus Hieronymus amitteret eo casu vrasque Vespertas; etiam S. Gregorius Nazianenus eius praceptor amitteret primas Vespertas nobiliores secundis, nempe in secundis Vespbris Apparitionis. His tamen non obstantibus, & ritè consideratis, in gratiam S. Hieronymi, ne amittat vrasque Vespertas; & quia Festum Angelorum Custodum fuit concessum hui ex devotione, non ex præcepto, decreuit sacra Rituum Congregatio die secunda Octobris 1627. esse Duplex minus, & diuidere Vespertas cum sancto Hieronymo, & cum quocumque alio Duplice, si alicubi concurrat post primam diem Octobris. Lectiones primi Nocturni omittuntur, si legendum sit initium Esther.

Ad octauam Lectionem dicitur, *Quorum Festum colimus;* nam titulus, & Oratio est de pluribus, & vnuusquisque intendit venerari suum Angelum in Choro vna cum alijs. Qui solus recitat Officium, adhuc dicat, *Quorum Festum colimus, &c. non, Cuius Festum colimus, &c.* Quod postremum docuit recentior, minus aduertens, quòd vni

reci-

168 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. VII. Cap. XII.

recitanti neque conuenit *colimus* in plurali, si verborum vim attendimus. Si fiat Officium prima die Octobris, octauæ Lectioni adiungerem nonam, quæ magis est propria Festi. Vbi fit hoc Officium in Lectione Martyrologij legatur primo loco de eodem.

1. Remigij. Dies est Translationis; obiit enim Idibus Ianuarij, ex Baron. in *Martyrolog.* Habetur Festum in Appendix Gregoriana, & in Concilio Moguntino cap. 36. Simplex in M.S. & 1550. In Hymno Vesper. mutatur tertius Versus.

4. Francisci. A Gregorio IX. 1228. dilatatur Festum à Sixto IV. 1472. in Missali Vaticano vol. 4743. Duplex in M.S. & 1550. Pius V. tenta Oratione, mutauit Officium antiquius, opera Fratrum Minorum in Breuiario positum, & auctoritate Nicolai III. approbatum, ut diximus cap. 1. huius Sectionis. In Lectione 6. legitur, quod S. Francisus in die Feste Exaltationis S. Crucis recepit sacra Stigmata; & in Lectione 4. Festi Stigmatum, ait S. Bonaventura, quod circa Festum Exaltationis id acciderit: non tamen pugnant inter se hi textus; quia tempore S. Bonaventuræ erat incertus dies, qui deinde fuit præcisè reuelatus. Lege Wadingum in Annal. Min. an. 1282. Festum sancti Francisci est de præcepto vbiique locorum, ex Decreto Sixti IV. ut indicat Silvester v. Dominica. num. 3. §. Sextum. vbi tamen ait, constitutionem illius non fuisse moribus vtentium approbatam. Sed rursus præcepit vbiique obseruari sacra Rituum Congregatio die 3. Ianuar. 1622. annuente sanctissimo: Decretumque originale ostendit mihi Io. Petrus Massarius meus, virtutum, doctrinæ, & fortunatum heres Iulij

Benigni Aduocati Consistorialis, Primarij & vniuersitatis tunc temporis in Gymnasio Romano Doctoris, Archiepiscopi Thessalonicensis, & S. Rituum Congregationis Secretarij, de Roma na Republica optimè meriti; cui & ego debeo plurimum, cum eius opera potissimum in album Consultorum eiusdem S. Congregationis relatus fuerim. Idemque Massarius publicari Decretum Romæ curauit in Tabela de consensu Maiorum edita anno 1631. Festorum vbiique obseruandorum, ex præcepto S. Romanæ Ecclesiæ; fauente Tegrimo Tegrimio, Domino meo, Episcopo Assisinate, & præfatae S. Rituum Congregationis à Secretis incomparabili viro, in gratiam sancti Patroni Assisianum. æquum est igitur, ut deinceps vbiique gentium obseruetur.

5. Placidi & Sociorum. In Breuiari. Vaticano volum. 4760. restituit Sixtus V. anno 1588. Simplex ab eodem. mutauit Orationem Clemens VIII. non dicitur Resp. *Hæc est vera fraternitas.* Vide infra Sectione 8. cap. 2. num. 9.

6. Brunonis. A Gregorio XV. die 17. Februario 1623. Semidupl. cum Officio ab eodem 6. Maij 1623. in lectione Martyrologij ponatur primo loco. si transferatur, mutatur in Hymno Vesp. tertius Versus.

7. Marci Papæ. In Antiphonar. & Sacramentario Gregor. à quo initium primæ Orationis, & ultimam Missæ Orationem habemus: omnes autem leguntur in Codice Pameliano.

SS. Sergij, &c. In Appendix Greg. Simplex in M.S. & 1550.

8. Birgittæ. A Gregor. XV. & 8. Aprilis 1623. approbatum est Officium cù ritu Semiduplici, Oratione, & Le-

gio-

ctionibus proprijs, Decreto S. Rituum Congregationis; recitandum quidem die 7. Octobris, in qua fuit illa canonizata, ut in Bulla Bonifacij IX. sed Urbanus VIII. ne Missa S. Marci Papæ in Missali deleretur, iussit hac die octaua, annuente Poloniæ Rege, celebrari Festum; in Polonia verò, ut prius, die septima. Cuius obitus contigit die 23. Iulij impedita Festa S. Apollinatis: unde & in Martyrologio quoque recognito translata est lectio de eadem in hanc diem Octobris octauam. Aeta sunt hæc anno 1628.

19. Dionysij, &c. quem Athanasij de Synod. Nicænae deer. appellat Theognostum. habetur de eodem in Antiphonar. Greg. sed post Gregorium, ex Pamelio; qui aut esse Gallicanum Officium: nam ortum habuit in Gallia à tempore Ludouici Pij, & Amalarij, ex Epist. Hilduni ad eundem. de generali consuetudine testatur Radulph. Propos. 17. Simplex in M. S. & 1550. Semidupl. apud Radulph. Quem ritum restituit Pius V. mutauit autem Euangelium cum Hom. Clemens VIII. Officium Missæ aliud est ab Antiphonario Gregoriano.

14. Callisti. In Sacramentario Gregor. cum omnibus Orationibus Missæ. Semidupl. ex Microl. cap. 43. Romæ tantum, ex Radulph. Propos. 22. Simplex in M. S. & 1550. Semiduplex Pius V. instituit vbiique. Clemens VIII. mutauit Euangelium cum Homilia. Officium aliud est Missæ in Greg. Antiph.

18. Lucae Euangeliæ. Martyr à S. Paulino ad Seuerum Epist. 12. reputatur. Metaphrastes in hoc Feste concionem habuit. In Sacramentario Greg. habetur cum omnibus Orationibus

Missæ; quarum prima est Ambrosiana. Decreto Bonif. VIII. est Duplex. à Pio V. Duplex secundæ classis.

21. Hilarionis. In Appendice Greg. Simplex in M. S. & 1550.

Vrsulæ, &c. In quinto saeculo, hoc est, anno 500. indictum esse Festum, ait Iac. Philip. Bergomens. citatus à Schultingio, in Missali Vaticano volum. 3808. Officium solemne proprium totum in Breuiar. 1550. Pius V. commemorationem decreuit. Si adit aliquis ex his Virginibus caput, aut insignis Reliquia, & nomen ignoretur, fiat de ea Officium Duplici ritu, sumpta Oratione De Communi in singulari, tacito illius nomine (quod fit in S. Callisto, & alijs) & fiat commemoratio S. Hilarionis, & SS. Vrsulæ & sociarum; nisi aliud à Maioribus concedatur, aut legitime prescribatur.

25. Chrysanthe & Dariae. In Appendix Gregoriana. Simplex in M. S. & 1550. Officium creditur compostum à Varino & Armeno fratribus ordinatis Presbyteris à sancto Stephano, qui Vitas eorum ad omnes Ecclesiæ direxerunt. Hæc Cornel. Schulting. Ex quibus facile coniçitur, Festum indictum esse quadragesimæ annis ante S. Gregorium.

26. Euaristi. In Missali Vatic. volum. 4743. Semid. ex Microl. cap. 43. Romæ tantum, ex Radul. Propos. 22. Simplex in M. S. & 1550.

27. Vigilia SS. Simonis & Iudeæ. Vide in Vigilia S. Andreæ. In Comite S. Hieronymi habetur Euangelium. Homilia à Pio V. Missæ verò Officium in Antiphonar. & Sacramentari. Gregor.

28. Simonis & Iudeæ. Dicito vt de Feste S. Andreæ. Pius V. inno-

Y uauit

uauit Officium, Oratione excepta. Euangeliū idem, quod in Comite S. Hieron. Officium Missæ, ut in Antiphonario & Sacramentario Gregoriano. Si contingat eos diuidi, quia alter tantum Titularis est Eccleſie, iuxta Rubricam quæ habetur suprà Sect. 3. cap. 10. num. 11. tunc pro S. Simone legatur in primo Nocturno de Communi Apostol. reseruata Lect. Ep. Iudeæ eidem, qui est eiusdem auctor, ut Sect. 5. cap. 12. num. 15. pag. 86. signifi- cauimus. Vide quæ diximus in prima die Maij pag. 147. At quia Lectio quarta non potest diuidi, ea legatur in Festo Titularis, & iterum in Officio alterius translati, sicuti etiam Euangeliū cum Homilia. Lectiones quinta & sexta variari possunt, ut in Communi Apostolorum. Pro varianda Oratione sumi potest Oratio Vigiliae in numero singulari, & mutatis verbis, *præuenimus in celebramus, & præ- nenant in imploret*. sed in his casibus consule sacram Congregationem, ut aliquid proprium concedat.

31. Vigilia Omnia Sanctorum. In Antiphonario & Sacramentario Gregoriano habentur Orationes cum Officio Missæ; sed posterius est sancto Gregorio, ex Pamelio. Concilium Oxoniense & Beda meminerunt.

*De Festis Sanctorum mense
Novembri.*

C A P. X I I I.

OMNIA SANCTORUM. Ordo Romanus habet hæc verba notanda: *In Calen. Novemb. & per totum orbem plebs uniuersa, sicut in die Natalis Domini, ad Ecclesiam in honorem Omnia Sanctorum ad Missarum solemnia conuenire studeat;*

illud attendentes, ut quidquid humana fragilitas per ignorantiam aut negligētiam in solemnitatibus ac Vigiliis Sanctorum minus plenè peregerit, in hac obseruatione sancta soluatur. S. Cyprianus Epistola 34. docet, natalia Sanctorum annua celebranda esse cum Missæ Sacrificio; sed quia omnium Martyrum & aliorum non possunt singula celebrari (teste Eusebio citato à Beleth cap. 154. existimante, quotidie excedere numerum quinque millium) ideo Bonifacius IV. instituit Romæ Festum Omnia Sanctorum hac die: quod deinde alijs orbis Ecclesijs edixit Gregorius IV. anno 835. ex Sigeberto, & præsertim Gallis, & Germanis, ex Baronio in Annal. ad annum eundem. Neque vero est Sanctorum Martyrum tantum hoc Festum, verum etiam Confessorum, ut in Codice M. S. se legisse ait Baron. in Martyrolog. die 13. May. Habetur Festum in Sacramentario: solemne Festum in Ord. Romano. vnde Duplex primæ classis conuenienter fuit statutum. Officium à Gregorio IV. compositum esse, scribit Schultingius ex Beleth capite 127. Pius V. mutauit omnes Lectiones; sustulit primum Responsorium, & addidit octauum de Virginibus.

In secundo Nocturno, & per Octauam, legi iussit Sermonem accommodatum Festo, quem tribuebant aliij Augustino: quod est falsum, cùm ille obierit ante Bonifacium IV. alij Odoni Abbatij; de quo tamen unicum manuscriptum habemus testem in Vaticana Bibliotheca. Nominis Bedæ à Clemente VIII. iussiis est legi; quia inter eius Opera habetur, & vixit ille post Bonifacium IV. vnde & in postrema recognitione Breuiarij secuti

secuti sumus textum ipsum qui Bedæ adscribitur. Officium Missæ in Antiphonario & Sacramentario Gregorio legitur, exceptis Offertorio & Communione, quæ fuerunt mutata: sed posterius est sancto Gregorio, ait Pamelius. In secundis Vesperis mandauit Urbanus VI. post Vespertas festivas cantari Vespertas Defunctorum ritu Duplici, ut dicitur in Breuiario Venetijs edito anno 1521.

2. Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum. Tribuitur hic ritus communiter Odiloni Abbatii Cluniacensi, ex Sigeberto anno 998. à quo diffusus est in totum orbem auctoritate Apostolica; sed à Bonifacio IV. indicatam esse Commemorationem hanc, scribit M. Polonus anno 607. imò anno post institutionem Festi Omnium Sanctorum ab eodem Bonifacio, docet Petrus de Natal. citatus à Demochare Tomo 4. c. 18. Petrus Gallesini auctorem facit Ioannem XVI. suadente Odilone, in Not. Martyrol. Amalarius autem meminit de Ordine Antiphon. cap. 65. qui vixit post Bonifacium, & ante Odilonem, circa annum 800. & causam reddit. Post Officium, inquit, Sanctorum inseruī Officium pro mortuis: multi enim transferunt de præsenti sæculo, qui non illicet Sanctis coniunguntur, pro quibus solito more Officium agitur. Haec ille. Nota ea verba, *solito more*; ergo erat in vsu. Duplex in M. S. & 1550. De Officij auctore & ritu dicemus Sectione nona.

Si in Dominica occurrat, transferatur Commemoratio hæc in diem Lunæ, & Vesperæ in Vespertas Dominicæ, ex Decreto Urbani VI. loco citato. nisi dies Lunæ sit item impedita Festo de præcepto: tunc enim in diem

quartam Nouembris (etiamsi sit impedita Festo nouem Lectionum) transferitur Officium Defunctorum cum Missis, cantata de Festo altera Missa vñā cum Officio de die. Neque Officium hoc Defunctorum omitti debet, cùm sit pars Officij diuinij eo die præscripti, vt notat Suarez libro 4. de Hor. Canonic. cap. 25. num. 8. & 9. & cùm sit pars notabilis, ad restitutionem fructuum teneatur Beneficiarius ad ratam Vesperarum, vel Matutini, vel vtriusque, prout in Bulla Pij V. de qua supra Sectione 1. cap. 6. num. 2. pag. 11. Decreuit etiam sacra Congregatio Rituum prima Septembris 1607. ne pridie vesperi recitetur Matutinum Defunctorum, sed hac die manè: quod est notandum, & obseruandum ex Rubrica propria Breuiarij. Vide Sectionem 9. cap. 2.

4. Vitalis & Agricolæ. In Missali Vaticano vol. 4743. Simplex in M. S. & 1550.

Caroli. A Paulo V. ad libitum Clerici, 6. Decembris 1613. cum Officio & ritu Semiduplici, 3. Decembris 1616. approbato. Si fiat Officium, in lectio- ne Martyrologij legatur de eo primo loco. In tota Provincia Mediolanensi celebrari potest Duplici ritu, ex Decreto sacræ Congregationis Rituum 20. Nonembris 1610. si transferatur, mutatur tertius Versus in Hymno, *Iste confessor.*

8. Octava Omnia Sanctorum à Sexto IV. & ex Codice M. S. Ecclesiæ sanctæ Mariæ ad Martyres citato à Baronio in Martyrologio hac die. Duplex ab eodem Sexto, & in Breuiario 1550. Pius V. per totam Octauam reformauit Lectiones.

Quatuor Coronatorum. Ordo Romanus. Antiphonarium & Sacramentarium Gregorianum, cum omnibus Orationibus Missæ, sub nomine quinque aliorum, Decreto Melchiadis, ait Duran. lib. 7. cap. 56. Simplex in M. S. & 1550. Officium, vel ab Honorio I. qui Romæ adificauit eorum Ecclesiæ, ex Martino Cosentino in Chronicis; vel à Leone IV. qui, ex Platina, corpora eorum inuenit, & Ecclesiam illustriorem reddidit.

9. Dedicationis Basilicæ Saluatoris. Dicta est Basilica Iulij a sancto Gregorio, item Constantiniana Lateranensis, à S. Hieronymo; cuius laudes persequitur Petrus Cardinalis Damiani in Ep. ad Cardd. S. R. E. ex quibus patet, eam esse caput Ecclesiarum: & hæc est potissima ratio Festi. Romæ tantum celebrabatur, Radulph. Prop. 22. Habetur in Missali Vatic. vol. 4770. Duplex in Breuiario 1521. Officium de Communi. Pius V. Lectiones 1. & 2. Nocturni addidit.

Theodori. In Antiphonario & Sacramentario Gregoriano, cum omnibus Orationibus Missæ. Habuit Orationem Nyssenus. Metaph. meminit in Actis S. Alippy die 26. Novemb. apud Sur. Tom. 6. Manuel quoque sit. de Ferijs. Simplex in M. S. & 1550.

10. Tryphonis, &c. Constantiopolis celebre Festum Iustiniano Imperatore, ex Procopio lib. 1. de Aedif. Iustiniani. Romæ, ex Radulph. Propos. 22. in Missali Vaticano vol. 4743. Simplex in Breu. 1550.

11. Martini Episcopi. Leone I. Pont. celebratum fuisse hoc Festum ex Concilio Turonico, scribit Galesin. in Martyrolog. Habetur in Sacramentario Gregoriano: à quo in editione Ro-

mana primam tantum Orationem habemus in Missa, omnes autem in Pameliana. S. Bernardus Sermonem habuit; & de generali consuetudine testatur Radulph. Propos. 17. Semidupl. apud Durand. lib. 7. cap. 1. Duplex apud Radulph. loco citato. rursum Semidupl. in Breuiario 1550. à Pio V. tandem Duplex, qui & mutauit Lectiones omnes. Reliqui Officij Gallicani, ut obseruat Pamelius ad Antiphonar. S. Gregorij, dicitur auctor sanctus Radbodus Episcopus Traiectensis, ex Schultingio. Psalmi Nocturnorum sunt de Communi Martyris; quia sancto Martino non defuit palma martyrij, ut dicitur in Antiphona ad Magnificat. Officium Missæ non est idem quod in Antiphonario Gregoriano, & est posterius Gregorio, ex Pamelio.

Mennæ. In Antiphonario & Sacramentario Gregoriano. A quo in Romana habemus primam tantum Orationem Missæ, omnes autem in editione Pameliana. Simplex in Breuiari. 1550.

12. Martini Papæ. Ex Calendar. & Martyrol. Romano antiquissimis, citatis à Baron. in Martyrolog. & in Missali Vaticano vol. 4743. Semidupl. ex Microl cap. 43. Romæ tantum, ex Radulph. Propos. 22. Simplex in M. S. & in Breu. 1550. restituitur Semidupl. à Pio V. Clemens VIII. mutauit Euangel. cum Homilia;

17. Gregorij Thaumaturgi. Nyssenus Orationem habuit. In Missali Romano non ante annum 1550. habetur Festum. Simplex à Pio V. Semidupl. à Clemente VIII. cum Homilia. Si transferatur, mutatur in Hymno, *Iste confessor*, tertius Versus.

18. Dedicationis Basilicæ Apostolorum.

lorum. Loca ipsa anteā Limina Apostolorum vocabantur; de quorum oseulo ob dignitatem lege Baronium in *Martyrologio*; ynde sumitur ratio Festi. Romæ tantum tempore Radulphi *Propos.* 22. in Missali Vatic. *volum. 4743.* Dupl. 1550. Pius V. Lectiones 1. & 2. Nocturni adiecit. Clem VIII. Homiliam sancti Gregorij assignauit. Urbanus VIII. quia tam Lectionem opere 1626. & verbis locupletauit anno 1627.

19. Pontiani. In Missali Vaticano prox. cit. Simplex in M. S. & 1550.

21. Præsentationis beatæ Virginis. Hac die præsentatam fuisse, Usuardus ait in *Martyrolog.* Sermones habuere Gregorius Nyssenus, Germanus Constantinop. & Georgius Nicomediensis, qui vixit circa annum 1000. Menologium, & Manuel tit. de Ferys. Apud Gallos sub Carolo Magno 1375. procurante Abbe S. Nicolai in Normandia: ab his ad Saxones, tum ad Siculos transiit, vt enarrat Wion auctor Ligni vitæ lib. 5. Pius II. & Paulus II. ex Molano in Addit. ad *Martyrolog.* vel, vt alij volunt, Sixtus IV. edixerunt. tandem restituit Festum Sixtus V. 1585. Duplex in Breu. 1550. & à Sixto V. Officium vero, quo nunc vrimur, Clemens VIII. designauit, abrogato antiquo, quod erat de Natuitate Virginis, mutato nomine *Natuitatis* in *Præsentationis*; cui non bene omnes Antiphona congruebant; & declarauit esse Duplex maius. In 7. Respons. pro *Festinitatem*, dici debet *Præsentationem*.

22. Cæciliae. In Sacramentario Gregoriano cum prima & secunda Oratione Missæ; ultima deinde fuit mutata, quæ tamen habetur in Codice Pa-

meliano. de generali consuetudine testatur Radul. *Propos.* 17. & in Breu. S. Isidori habetur Hymnus de ea. Semidupl. apud Durand. lib. 7. cap. 1. & Radul. citatum, & item in Breu. 1550. quod perseverat. Officium Missæ habetur in Antiph. Greg. Lectiones mutatae à Pio V. fuerunt.

23. Clementis. In Sacramentario Gregoriano. Sed Orationes omnes fuerunt postea muratæ; quæ tamen leguntur in Codice Pameliano. de generali consuetudine Radulph. *Propos.* 17. Sanctus Bernardus Sermonem habuit. Semid. apud Radulph. citatum, & in Breuiar. 1550. imò tempore Microl. cap. 43. Officium est antiquum, mutatis Lectionibus & quibusdam Responsorijs à Pio V. Officium Missæ, ut in Antiphonario Gregoriano.

Felicitatis. In Comite Hieron. habetur mense Julio, & item in Sacramentario Gregoriano, à quo habemus primam & ultimam Orationem Missæ; secundam etiam habet Pamelianus Codex. Sermones habuere S. Petrus Chrysologus & S. Gregor. Simplex in M. S. & 1550.

24. Chrysogoni. In Sacramentario Gregoriano. Simplex in M. S. & 1550. Officium Gregor. Missa tamen aliud est in eiusdem Antiphonario; sed Orationes, quæ apud nos habentur, in citato Sacramentario leguntur.

25. Catharinae. A Treuirenibus cœpit coli anno 1245. ex Lipomano T. 5. & de generali consuetudine fieri, scribit Radulph. *Propos.* 17. In Breuiar. Toletano duo Hymni de ea, in Missali Vatic. *volum. 4743.* habeantur. Galefinius in *Martyrologio* scribit, hoc Festum in Calendario fuisse positum à Ioanne XXII. quia, inquit, in antiquis Martyrologijs de ea non legitur.

174 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. VII. Cap. XIII.

Semidup. apud Dur. lib. 7. cap. 1. Duplex apud Radulph. cit. rursus Semidup. in Breu. editis 1521. & 1550. Duplex tandem à Pio V. qui, retentis Oratione & Lectionibus 2. & 3. Noct. antiquum Officium proprium integrum ablegauit. Dicitur Aëcatherina in antiquo Codice citato à Baronio in *Martyrologio*.

26. Petri Alexandrini. In eius Festo S. Athanasius puer, puerilibus lusibus seria prænuntiasse scribitur à Ruffino lib. 1. *Histor. cap. 14.* Habetur Festum in Missalibus Vatic. vol. 4743. & 4771. & in edito Venet. 1505. non ante: in Breuiar. tamen 1550. non extat; ergo restitutum est à Pio V. qui & Simplici ritu celebrari Festum iussit.

Obiit ille tamen pridie huius dici, ex Galesin. in *Martyrologio*. Et hæc de Proprio Sanctorum.

Addam duo pro declaratione praedictorum. Alterum est, quod nomine *Officii Missæ* intelligimus Introitum, Graduale, Offertorium, Communione: & in Horis Canonicas pro *Officio*, Orationem conformem Missæ, tum Antiphonas, Responsoria, & Lectiones. Alterum est, quod Manualem sapienter citauimus tit. de Ferijs; non quod ipse indixerit Festa, sed Ferias in Festis, & cum tamquam testem Festorum apud Græcos obseruatorum attulimus in medium. Floruit autem anno 1180. & sequenti obiit.

SECTIO OCTAVA.

De Communi Sanctorum.

COMMVNE Sanctorum continet ea quæ ad Horas Canonicas sunt necessaria, quando in eorum Festis non habentur propria, nimirum Hymnos, Antiphonas, Psalmos, & huiusmodi. Potissimum autem deseruit ijs Sanctorum Festis, qui de numero Apostolorum sunt, Martyrum, Confessorum, Virginum, non Virginum, item Patronorum, seu Titularium; item Dedicationis Ecclesiæ, & frequenti Officio, quod vocatur S. Mariæ in Sabbato. Sed in genere occurrit quæstio de Communi: Quo die celebrandum erit Festum illius Sancti, de quo nescitur dies obitus, neque translationis, neque insignis manifestationis, & eiusmodi; & tamen alijs de

de causis celebrari debet eius Festum cum Maiorum consensu? Antiquiores celebrabant illius Festum in die, quo in Martyrologio Festum alterius Sancti eiusdem nominis occurrebat: quod notauit Baronius in *Martyrologio die 12. Februarij sub littera E.* vbi trium Modestorum fit mentio. Et hic quidem ritus placet, nisi vbi timetur error in populis, qui credant eum, quem colunt, esse eundem qui in Calendario Romano descriptus est: quod non sine graui peccato fit hodie alicubi, ut audio, suadentibus tale quid ijsdem de Clero, ut fiat concursus ad eorum Ecclesiam vbi requiescit corpus Sancti eiusdem nominis. quo casu, tutius esset celebrari Festum illius alio die, puta translationis, vel proximiiori. Inuigilent autem Episcopi, ad quos attinet sacras approbare Reliquias, ne inducatur hic abusus, néve inductus toleretur. Quæ verò ad Commune Sanctorum attinent, ad sex Capita reuocari possunt.

SECTIONIS OCTAVÆ CAPITA VI.

- 1 *De Communi Apostolorum.*
- 2 *De Communi Martyrum.*
- 3 *De Communi Confessorum.*

- 4 *De Communi Virginum & non Virg.*
- 5 *De Communi Dedicationis Ecclesie.*
- 6 *De Officio beatae Mariae in Sabbato.*

De Communi Apostolorum.

C A P V T I.

A Postolis & Euangelistis communia sunt omnia, exceptis Oratione Lectionibusque trium Nocturnorum; ut videre est in Breuiarijs antiquissimis M.SS. Neque dubito, Euangelistas comprehendunt nomine Apostolorum à S. Clemen. lib.8. Constit. cap. 39. vbi de Festis Apostolorum agit.

2. *De Hymnis & eorum auctori-*

bus diximus Sect. 5. cap. 6. Antiphona & Psalmi congiunt Apostolico muneri & dignitati. In quibus illud certè est singulare (non in alijs Sanctorum Communibus) quod nouem Psalmi Nocturnorum desumpti sunt, ordine Psalterij, ex Nocturnis integræ Hebdomadæ; primus è *Dominicali Nocturno tertio*, tempus gratiæ significante; secundus è *Feria secunda*; tertius & quartus è *Feria tertia*, in qua creauit Deus maria, & ornauit terram, loca propria iurisdictionis Apostolicæ; quin-

quintus & sextus è Feria quarta, in qua produxit Deus luminaria mundi, Apostolicæ dignitatis indicia; sed hæc Feria dicata est Apostolis, vt diximus in primo Tomo pagina 295. septimus è Feria 5. octauus è Feria 6. nonus è Sabbato: ita vt unaquæque dies tanto muneri & dignitati merito plaudat, & collæetur; & multò magis Feria tertia & quarta, ob prædictas causas. Lectiones rite congruunt & Responsoria, ut pater. Quod si dicas, numerum pluralem in hoc Officio adhibitum sæpius, non conuenire Festo vnius tantum Apostoli; scito, quod principaliter Officium hoc Principum est Apostolorum Petri & Pauli, à quibus ad alios Apostolos translatum fuit: vel Apostolorum Chorum ita esse vnum, vt qui vnius celebrat Festum, non excludat alios. vnde & in Missa Præfatio de Apostolis eos omnes vñà semper complectitur, & concelebrat. Amalat. lib. 4. c. 35. indicat, Officium hoc esse antiquissimum. Pius V. ab eo Officio, quod erat in Breu. 1550. nihil ferè recessit, nisi quod vnicum Inuitatorium firmavit; erat enim geminum, alterum aestiu- um, alterum hiemale. Decrenit Lectiones de Scriptura iuxta antiquam regulam Rom. ex Radulph. Propof. 11. addidit alias Lectiones pro Apostolis, ad celebrandas fortè eorumdem Octauas, vel minorâ eorum Festa, quæ alicubi occurunt: ademit Responsorium nonum, quod amplius non dicitur, & mutauit in melius Capitulum horæ Sextæ.

3. Dices: Superfluum est illud Euangeliū, *Hoc est præceptum meum*, cum sua Homilia in tertio Nocturno: nam cuiusvis Apostoli Festum habet proprium Euangeliū & Homiliam.

Præterea Euangeliū, *Hoc est præceptum meum*, deseruit nunc Vigilijs Apostolorum; ergo collocandum in eodem quidem Communi, sed ante Orationem communem de Vigilia. Sed hæc argumenta sub Pio V. nulla erant; quia in Festo sancti Barnabæ legebatur Euangeliū, *Hoc est præceptum*: cuius Homilia idèo debuit collocari in tertio Nocturno. Quid igitur sub Clemente VIII. dicendum erit? Cùm singula Communia suum habeant in tertio Nocturno Euangeliū cum Homilia, in prima recognitione Breuiarij nulla vita fuit mutandi loci ratio; imò accidere potest alicubi, quod fiat aliquod Festum Apostolorum non principale, in quo, ad differentiam Festi principalis, legi poterit Euangeliū positum in Communi: qua item de causa additum fuit, vt innuimus, à Pio V. aliud Euangeliū, *Ecce nos reliquimus omnia*: quod Abbatum Communii referuari poterat. Tandem in postrema Breuiarij recognitione repositum est illud, & optimè, sub titulo Vigil. Apostolorum; & in 3. Nocturno aliud: *Ecce nos reliquimus omnia*.

4. In tertio Nocturno frequenter auditur *Alleluia*: & rationem affert Amalarius de Ord. Antiph. capite 59. quia extiterunt primi, qui, viso Domino resuscitato, gauii sunt, nempe in tertio statu naturæ humanae post legem, tempore vberioris gratiæ.

5. In secundis Vesperis dicuntur Antiphonæ aliae à primis Vesperis & Laudib⁹, ad maiorem scilicet solennitatem, & ad declarandam eorumdem propinquitatem maiorem cum Christo, in cuius Festis fit hæc additione Antiphonatum, & multiplicatio.

Dixi-

Diximus etiam *Sect. 5. cap. 7. num. 4.*
pag. 74. Autiphonas significare charitatem, quæ refusit in Apostolis super alios, ut meritò abundare debeat Antiphonis eorum Officium, & nouis. *Charitas Christi urget nos*, aiebat Paulus aliorum nomine. In Natiuitate S. Ioannis Baptistæ idem fieri non nego; imò & inde fieri puto, quia missus à Deo, id est Apostolus, ipse quoque fuit Christo carne propinquior & mente. In Festo quoque plurimorum Martyrum idem fit; quia *maiorem charitatem nemo habet*, quām, &c. & vbi plures coluntur Martyres simul, multiplicata charitas per Antiphonas plures indicari debet. quod anticipate monuimus hoc loco, ne idem repeta-
mus infra.

6 Lectiones pro Euangelistis in pri-
mo Nocturno addidit Pius V. con-
gruentissimas; reliquæ erant in vsu. Sed
Lectiones 3. Nocturni cum Euange-
lio de missione binorum Discipulo-
rum in duobus Festis leguntur, Mar-
ci nimirum & Lucæ; qui quasi bini
scriptores mittuntur ad messem.

7 Tempore Paschali æquum erat,
vt Apostolis, qui virtute magna reddebat testimonium Iesu Christi, daretur Officium lætitia plenum; qui-
bus & promiserat Christus gaudium plenum. Durandas indicat mutationem hanc Officij libro 7. cap. 45. Pius V. diuinit Hymnum in duas par-
tes, ita vt altera in Laudibus cantari queat cum varierate: ordinavit me-
liùs Responsoria, restituto primo, quod reiectum fuerat, citatum à Du-
rando *suprà*. De vna Antiphona cum tribus Psalmis, vide *Sect. 5. cap. 7.*
num. 5. pag. 74.

De Communi Martyrum.

C A P. III.

Martyrum Festa antiquissima sunt, Clemente teste lib. 8.
Apostol. Constit. cap. 39. &
vidisti in *Sectione precedenti*.

2. Alij sunt Martyres Pontifices, alij non Pontifices; & utrisque datut Officium commune, excepta Oratio-
ne, & Lectionibus primi Nocturni.
A Mileto: quæ leguntur tantum in Festo Martyris Pontificis, cui congruit ea narratio de Paulo recedente ab ouibus. Itaque in Festo Mart. non Pontificis leguntur alia, quæ habentur in Communi plurimorum Martyrum,
de Epist. ad Rom.

3. Lectiones 2. & 3. Nocturni plures sunt in Communi positæ, tum ad varie-
tatem, præsertim infra Octauas; tum ad proprietatem, quia in Missali diuer-
sa Festa diuersa habent Euangelia.

4. Dices: Quid agendum, quando in Missa legitur Euangelium, cuius Homili. nulla habetur in Communi? quo-
modo concordabitur eo casu Officium cum Missa? Respōd. Legenda erit Homilia, quæ forte in Proprio Sanctorum habetur; vt Homilia super Euangeliū, *Nihil opertum*, &c. quæ habetur in Festo S. Polycarpi. Quod si non habeatur in Breuiario, veluti super Euangelium, *Nolite arbitrari*, vel, *Qui vos audit, me audit*, & similia; recurre ad Octauarium Romanum, in quo ha-
bentur Homilia de quocumque Euangeliō quod habetur in Missali: si Octauario careas, lege in Officio Homiliam Euangeliij, quam habes in Communi; & in Missa deinde idem Euangeliū leges, iuxta Rubricam quæ in Missali habetur post primam Missam

Z

de

de Communi vnius Martyris Pontificis; in qua conceditur usus Euangeliorum quae in eodem Communi assignata sunt, ita ut liberum sit legere in Missa quodcumque Euangelium, de eodem tamen Communi lumen.

5 Responsorium proprium post nonam Lectionem positum pro Festo quinque sanctorum Martyrum Pontificum, *Domine præuenisti*, non est, ut putant aliqui, ad excellentiam; sed ad vitandum mendacium in eo Responsorio futurum, si in eorum Festis recitaretur, *Hic est verè martyr, qui sanguinem fudit*: cùm ijs perierint quidem, sed non effusso sanguine, ut ex eorumdem historijs pater, Marcelli, Ioannis, Siluerii, Pontiani, & Martini. Consule Lectiones eorum in proprijs Festis. Adde ijs, ob eamdem causam Festa nouem Lectionum S. Felicis in Pincis, & S. Melchias Papæ, ubi celebrantur. Hac eadem de causa voluissent aliqui in predictis Festis mutari Versum in Hymno Vesperarum, *Fundensque pro te sanguinem*; sed Poëtis idem est ac fundens vitam, quæ est in sanguine.

6 Totum Officium de Communi vnius Martyris, quo nunc utimur, habetur in Breu. M. S. & 1550. Durandus indicat eadem Responsoria lib. 7. cap. 45. Pius V. reformauit Lectiones tantum.

7 Commune plurimorum Martyrum idem est, quod in antiquis Breu. M. S. & 1550. Pius V. decreuit primas Lectiones de Scriptura, mutauit alias in aptiores.

8 De fine Hymni, qui dicitur post Inuitatorium (etenim proprius finis est) diximus, numquam eum mutari, Sectione 5. cap. 6. num. 13. pag. 73.

9 Responsorium post nonam Lectionem pro fratribus Martyribus,

Hec est vera fraternitas, non dicitur unquam, nisi verè ijs sint fratres secundum carnem. Quod si cum fratribus carnalibus celebrentur alij non fratres in eodem Feste, non dicitur: quod nota in Feste sanctorum Placidi & sociorum: quamuis enim in ijs duo fratres & soror simul obierint, aliorum non fratrum causa illud omittitur. Neque dicas, in Breuiario non adnotatum fuisse dictum Responsorium in Feste sanctorum Placidi & sociorum; quia uncam Lectionem habent, quasi illud positum fuisset, si duas, ut in Feste sanctorum Geronij & Protasij, Primi & Feliciani: nam in Festis SS. Faustini & Iouitæ, Marci & Marcelliani, quæ uncam Lectionem habent, ante eamdem notatum est idem Responsorium, *Hec est vera fraternitas*, in editione Breuiarij Vaticana 1608. præcedentibus editionibus emendatiore.

Obiecerunt aliqui, quod in Missa sanctorum Nerei, & Achillei, Domitillæ atque Pancratij dicitur post Epistolam, *Hec est vera fraternitas*; & tamen certum est, eos omnes non esse fratres secundum carnem. At non valet illatio à Missali ad Breuiarium: & prætereà Missa illa erat antiquitus de duabus fratribus Nereo & Achilleo; Pancratius habebat Missam propriam; Domitilla addita est à Clemente VIII. qui recognouit corrigenda, non mutauit congruentia, & quæ rationi posteriori conlona forent. Potissimum vero fit eo die Festum de Sanctis fratribus, ut ex Euangilio & eiusdem Homilia constat.

Dices adhuc: *Symphorosa mater est*, & cum filijs habet hoc idem Responsorium. At Festum hoc in rigore est tantummodo filiorum, & fratrum, qui die 18. Iulij obierunt; mater autem

tem pridie, ut patet aperte in Lectione
tertia illius Festi.

10 Inter utrumque Commune unius
& plurium Martyrum recte colloca-
tum est aliud Commune Martyrum
tempore Paschali, ut esset Commune
utrisque: ratio vero, cur Martyribus
Officium Paschale tribuatur, a S. Am-
brosio assertur in *Sermoni qui in eo-
dem Officio legitur*: *Dignum est, &
congruum, &c.*

11 Pius V. nihil mutauit, nisi pri-
mas Lectiones & secundas sancti Am-
brosij, & S. Cypriani; addiditque Ho-
miliam ad aliud Euangelium Pascha-
le, *Ego sum vitus, vos palmites*, pro
varietate Euangeliorum in Missa le-
gendorum, ut Officium deinde con-
cordet cum Missa.

12 Hymnus, *Rex gloriose Martyr-
um*, dicitur etiam in Vesperis, omisso
illo, *Sanctorum meritis inclita gaudia*
(qui alioquin non discordaret a gau-
dijs Paschalibus;) tum, ut cantari pos-
sit cantu Hymnorum Paschalium; tum,
ut possit mutari finis Hymni more
Paschali, quod est peculiare in Offi-
cio Martirum, non autem Confessio-
rum, in quo dicitur *Iste confessor*, metri
duersi, ob rationem a S. Ambroso
allatam supra num. 10.

13 De Antiphona una & tribus
Psalmis in unoquoque Nocturno, di-
ximus *Secl. 5. cap. 7. num. 5. pag. 74.*

14 Quæ desunt in Communi Pascha-
li sumi debent ex Communi extratem-
pus Paschale, ait Rubrica; sed intelli-
ge, quoad Lectiones tantum primi
Nocturni: nam in secundo non bene
conueniunt aliæ, quæ leguntur extra
tempus Paschale; nisi infra Octauam,
ad varietatem, ut dicitur in Octauario
Romano *infra Octau. Martirum tem-
poris Paschalis post quartam diem.*

De Communi Confessorum.

CAP. III.

1 **C**ommune Confessorum Po-
tificum est idem quod in
Breu. M. S. & 1550. paucis
exceptis: nam Pius V. legi iustit de
Scriptura in 1. Noctur. addiditque
alias ad calcem pro Octaua, vel ad va-
rietatem in Festis; è quibus primæ illæ,
Laudemus viros gloriosos, deseruire
possunt in Officio plurium Confesso-
rum simul, si alicubi occurrant.

2 Pro Summis Pontificibus Con-
fessoribus unica est differentia ab alijs
in Antiphona ad *Magnificat* in secun-
dis Vesperis, qua vnum in Cathe-
dra sancti Petri, in qua sederunt suc-
cessores eiusdem: *Dum esset Summus
Pontifex, &c.*

3 Pro Doctoribus extat Antiphona
propria in utrisque Vesperis ad *Ma-
gnificat*, *O Doctor optime*; quæ habetur
in Breu. M. S. & 1550. Pius V. addi-
dit Lect. 1. Noct. & 2. mutauit Lectio-
nes 3. ut pro Homilia sancti Hiero-
nymi legatur ea quæ est sancti Augu-
stini. Clemens VIII. adiecit Octauum
Responsorium, *In medio Ecclesia, &c.*

4 Commune Confessorum non
Pontificum est idem ut in antiquis
Breu. mutauit Pius V. Lect. 1. Noct.
ut essent de Scriptura, & secundi
Noct. in magè proprias, ex Io. Chry-
soft. alias adiecit de more, ad varieta-
tem in Festis, vel pro Octaua. Ora-
tio *Adesto* habetur in Sacramentario
Gregoriano.

5 Quando fit Festum plurium Con-
fessorum, sive Pontificum sive non
Pontificum, datur facultas mutandi
verba tum in Oratione, tum in Ser-
monibus, ut sonent numerum plura-

Z 2 lem;

lem; verbi gratia, *Ad sanctorum ac beatissimorum Patrum nostrorum N. N. quorum, &c. Beatorum N. & N. dies, quorum festinuitatem celebramus.* non tamen in Sermone sancti Gregorij ex libro Moralium, *Deridetur iusti simplicitas;* quia non est propriè Sermo de Sancto, sed tractatus & expositio libri Iob. In Antiphonis, Responsorijs, Hymnis, & Homilijs nulla fit mutatio, licet non quadrent pluribus; quia nimia esset mutatio, & perdifficilis, ut congruat in omnibus.

6 Tempore Paschali additur *Alleluia*, vbi scilicet non habetur, ut in Breuiarij M. S. & 1550. & ad Responsoria breuiar Horarum duplicantur. In Inuitatorio repetitur, ut alijs, *Venite adoremus, alleluia:* quod in Apostolis etiam, & in sequentibus obserua, contra eos, qui putant repetendum esse tantum *Alleluia*, ut in Inuitatorio Martyrum tempore Paschali. Tres Psalmi dicuntur sub vna Antiphona, etiam post Ascensionem Domini. quæ & obserua in sequentibus Communib[us] Virginum, mulierum Sanctorum, & Dedicationis Ecclesiarum. Causam mysticam habes Sect. 5. cap. 7. num. 5. pag. 74.

7 In translationum Festis, & quando Officia Confessorum transferuntur in aliam diem, ut in Rubricis, mutatur Versus in Hymno, *Iste confessor,* ut in Breuiario Urbani VIII. iussu recognito, ne mendacium dicatur, quod eo die obierint. In Hymno Laudum Confessorum non Pontificum videbatur etiam mutandus ille Versus, *Dies refulsi lumine, quo Saltus, &c.* sed non mutatur, quia non dicimus, *Hic dies, præcisè in quo fit Officium.* Contingit etiam transferri Officium à die obitus in immediate sequentem diem, pu-

ta à Dominica in Feriam secundam; & eo casu in primis Vesperis non est mutandus prædictus Versus, quia vere eo die obijt. Infra Octauam vero dicitur ut in Festo; quia, ut sæpè dixi, tota Octaua est velut unus idemque dies: Octaua scilicet Festi, non autem Octaua dierum mensis, intra quam translatum Festum contingit celebrari. quod bene nota.

*De Communi Virginum
& non Virginum.*

C A P. I V.

1 **D**Antur Virgines tantum; Virgines, & Martyres; Martyres non Virgines; nec Martyres, nec Virgines. Et licet Officium sit Commune his omnibus in multis; tamen aliqua, ut decet, eæ habent propria.

2 Virgines igitur non Martyres habent Orationem propriam, Hymnum post Inuitatorium, primum Responsorium, & Capitulum Nonæ: Hymnum & Capitulum à Clemente VIII. primum Respons. à Pio V. qui & addidit Lectiones de Scriptura in 1. Nocturn. & alias pro 2. Nocturno ex Ambrosio.

3 Virgines & Martyres habent, præter Orationem, Hymnum post Inuitatorium, primum à Pio V. Responsorium, Lectiones primi Nocturni, *Confitebor tibi, &c.* ab eodem Pio V. qui addidit sequentes alias Lectiones, ad varietatem in Festis, vel ad Octauam.

4 Martyres tantum, non Virgines, habent Commune distinctum à superiori; tum primas Lectiones à Pio V. *Confitebor;* in reliquis concordat Officium cum Breu. M. S. & 1550.

Le-

Lectiones secundi Nocturni pro Mart. non vidua additæ sunt ab Urba-no VIII.

5 Sanctæ mulieres, nec Virgines, nec Martyres, idem habent Officium cum præcedentibus non Virginibus; sed à Pio V. habent Capitula Hora-rum, *Mulierem fortē*, &c. tum Lectiones secundi Nocturni ex S. Am-bros. Additus est à Clemente VIII. Hymnus in Vesp. *Fortē virili pectore*, cum Antiph. ad *Magnificat* aptiore, tum in primis tum in secundis Vesp. addidit alia ad Laudes Urbanus VIII. Mirantur non pauci, quod in Officio dicatur adhuc, *Veni sponsa Christi*, mi-mirum in 3. Nocturno; sed ea sponte retenta est, recitanda noctu, ne sancta mulier, non virgo, reiecta videatur à nuptijs Christi spiritualibus, quibus & ipsa gaudet occultiore modo.

6 Si fuerint plures, nihil mutatur, præter Orationem; & si plures sint Vir-gines, habent propriam Antiphonam ad vtrasque Vesperas & Laudes pro Canticis Euangelicis: *Prudentes Vir-gines, &c.*

7 Oratio, *Deus, qui inter cetera pot-entia tua, &c.* haberetur in Sacram. Greg. item ibid. *Indulgentiam nobis Domine, &c.* quæ in concursu, seu in occursu duarum Virginum, seu Sanctorum mulierum, poterit dici ad varietatem, tacitis titulis *Virginis & Martyris.*

• De Communi Dedicationis
Ecclesiæ.

C A P. V.

Ecclæ materiali duo acci-dunt in ordine ad horas Ca-nonicas, nimirum Titulus, & Dedicatio; quæ differunt, & conueniunt in multis.

Titulus Ecclesiæ est, à quo denomi-natur Ecclesia, puta S. Salvatoris, sancti Bartholomæi, & similium: anti-quitus enim Ecclesiæ in Urbe per Ti-tulos distinguebatur. qua de re Baron. in *Not. Martyrolog.* 26. *Iuly fusiū.* Hoc loco breuiter accipe, Lector, Ti-tulum, & Ecclesiæ esse idem; eò quod in loco Ecclesiæ construenda fige-batur Crux in Titulum, Ord. Rom. cap. de *Ædific. Ecclesiæ.* Romæ item, ex an-tiqua loquendi consuetudine, non omnis Ecclesia Titulus dicebatur, sed tantum insigniores Ecclesiæ, quibus præficerentur Cardinales; vnde Ti-tulus Pastoris dicta est Ecclesia sanctæ Pudentianæ, in *Martyrol.* 20. *In-nij*, & Titulus Eudoxiæ Ecclesia sancti Petri ad Vincula. Euaristus autem diuisit in Urbe Titulos Presby-teris, hoc est, multiplicauit Ecclesiæ, quæ diætæ sunt Tituli, accepta nomen-clatura à rebus fiscalibus. Tituli namque impositione rem sibi Fiscus ven-dicabat, & Principi consecrabat: & erant hi Tituli vela quædam, quæ regiam repræsentabant potestatē cum imagine vel nomine Imperatoris; cor-tinæ regiæ, apud Ambr. *Epistola ad Marcellinam.* quamquam notaban-tur etiam litteris, ex August. in *Psal-mum 21. Exposit.* 2. quos Titulos vetuit imponi Ecclesiasticis rebus S. Grego-rius libro 5. *Epistola 44.* qui optimè norat Titulos Ecclesiasticos diuersos esse à fiscalibus: hi ergo vela erant, illi verò signum Crucis. Præterea Ecclesia dicta est Titulus; quia, qui eidem adscriberetur Presbyter, ab ea nomen Titulumque accipiebat, vt eius loci diceretur Presbyter (quod & hodie) inter Cardinales. Fu-sius hæc idem Baron. Tom. 2. *An-nalium anno 112.* Titularis ergo Ec-clesiæ

182. Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. VIII. Cap. V.

clesiae est ille Sanctus , à quo Titulus
seu Ecclesia denominationem habet.

2. Dedicatio vero Ecclesiae est ipsa-
met consecratio facta ab Episcopo, vt in
Pontificali, quæ ira recolitur quotannis,
vt natalis dicitur dies, ex sancto Leone
Sermone de Machabæis, dedicati tem-
pli, Bellarm. de *Cultu Sanctorum l. 3.*
cap. 5. De more antiquo fuit introdu-
cta, ex Eusebio lib. 9. *Histor. cap. 10.*
Festum autem Dedicationis dignius
est quam Sancti Patroni loci, seu Titu-
larij Ecclesiae, vt probauimus *Sectio-*
ne 3. cap. 8. num. 7. pag. 29.

3. Conueniunt in his. Sunt enim pri-
mæ classis; habent Octauam; celebrari
possunt infra Octauam Epiphaniæ;
item in Dominicis secundæ classis: in
eisdem, si Vigilia occurrat, nihil sit de
ea, nec etiam in Laudibus. Habent
primas Vesperas integras, etiam in se-
cundis Vesperis diei Octauæ Epiphaniæ,
Paschæ, Ascensionis, & Corporis
Christi, cum alijs priuilegijs Festorum
prime classis. Sed iam dicamus de sola
Dedicatione.

4. Si contingat dedicari Ecclesiam in
aliquo Festo ex solemnioribus, ne quot-
annis occurrentia duo Festa se inuicem
impedian, potest Consecrator decer-
nere alium diem ad celebrandū anni-
uersariam Dedicationem Ecclesiae; pu-
ta, vel diem Dominicū proximiorem,
vel alium adeò commodum, vt possint
Octauæ celebrari liberiūs, & populus,
præsertim rusticus, maiori frequentia
colere Festum possit. Translationem
vero eiusmodi à Consecratore posse
fieri ex iusta causa, decreuit sacra
Congregatio Rituum die 19. Februa-
rij 1, 85. vt refert Paulus Piascius in
sua Praxi part. I. cap. 5. n. 8. §. Diem.
& Congregatio item Cardinalium su-
per negotia Episcoporum, respondens

hac de re Episcopo Bissinen. die 14. Fe-
bruarij eiusdem anni, citato Spec. Con-
sil. 4. par. 3. Rubr. 52. Extra actum ve-
ro Consecrationis non potest amplius
mutari Festum, inconsulta sancta Sede
Apostolica: quæ 16. Octobris 1604.
iussit fieri de Dedicatione Ecclesiae in
ipsam die Nativitatis beatæ Virginis,
in qua accidit Consecratio; & duas
potius cataractas Missas de duobus Festis,
seruata in reliquis Rubrica de Con-
currentia Octauarum.

5. Præter propriæ Ecclesiae Dedica-
tionem, celebrari quoque debet anni-
uersaria Dedicatio Ecclesiae Cathedra-
lis; in ciuitate quidem cum Octaua, in
Diœcesi sine Octaua, ex Decreto sacre
Rituū Congregationis 2. Maii 1619.
erit tamen in Diœcesi quoque primæ
classis Festum, instar eorum quæ
transferuntur ultra Octauam, & sine
Octaua celebrantur; vel vti Festum
Patroni loci, quod celebrari debet à
Regularibus, qui tamen non tenentur
ad Octauam celebrandam. Neque te-
nentur ijdem ad hoc Festum Dedica-
tionis Ecclesiae Cathedralis, nisi ex
quadam congruentia, & præsertim, si
populare sit Festum, non Cleri tan-
tum: ob rationem allatam suprà, cùm
de Patrono loci ageremus. Quod si
concurrant, seu occurrant Dedicationis
Festa, vel Octauæ, pro varietate
Orationum, sumi ea poterit, quæ assi-
gnata est ipso diei Dedicationis: quod
additum fuit Rubricæ in postrema
Breuiarij recognitione.

6. Occurrentibus autem Dedicatione
propriæ, & Dedicatione Cathedra-
lis Ecclesiae, eodem die, quænam erit
celebranda? Rota Rom. Decis. 616.
num. 1. & per totum in recentior. par. 1.
definit, præferendam esse Dedicationem
propriæ Ecclesiae: quare de hac
fiet

fiet Officium infra Octauam cum commem. Octauæ Dedic. Cathedralis, translato Festo altero in primam diem non impeditam. Neque dixerim, esse communia priuilegia hisce duabus Dedicationibus, quæ Dedicationi propriæ Ecclesiæ data sunt, nisi nouo Decreto fiant communia; puta, si occurrant infra Octauam Epiphaniæ.

7 Officium Dedicationis est Duplex manus apud Durand. lib.7.cap.1. cum Octaua, *ibidem*: vbi &c indicat Officium, quo nunc utimur, cap.48. Psalmos notans resonates portas, atria, & ædificia. Concordamus cum Breu. M. S. & edito 1550. quod est vici-nius Concil. Trident. & Pio V. resti-tuenti Breuiarium Romanum: neque Pius mutauit, nisi de more suo Lectiones primi Nocturni, ut essent de Scriptura, iuxta Regulam antiquam Ro-manam, ex Radulpho *Proposit. 11.* ad-diditque Lectiones varias pro tota Octaua, & Orationem propriam pro ipso die Dedicationis. Atque ex hac Octaua, quam non habent alia Sanctorum Communia, cum Lectionibus unicuique diei assignatis, colligitur eiusdem Festi excellentia & dignitas super alias Octauas Sanctorum, quæ celebrantur cum Lectionibus de Com-muni sumptis. De Antiphona & Psal-mo, *Qui habitat*, in 3. Nocturno, vide quæ diximus *Sect. 5. c. 7. n. 12. pag. 75.* Contra regulam communem Breuiarij, Responsorium breve ad Sextam non sumitur à secundo Versu Nocturnorum Matutini; quia hic Versus non potest diuidi in prima sua parte ut alij Versus, & ideo vice illius dicitur, *Locus iste*, &c. Habet alia de Dedicat. Eccles. in primo Tomo pag. 293.

De Officio B. Mariae in Sabbato.

C A P. V L

SAbbatum dicatum esse B. Vir-gini constat, & docuimus To-mo primo pag. 7. meminitque huius titus Microlog. cap. 60. & Urba-nus II. contemporaneus Micrologo in Concilio Claramont anno 1096. Offi-cium in Sabbato beatæ Virgini Decre-to suo destinauit, Radulph. *Propos. 20.* Non est ergo votiuuim, ut aliqui scri-pserunt, sed præceptuum, quod habet originem improprie à voto Ecclesiæ, si votiuuim contendas esse.

2 Ritus Officij est ad modum Festi Simplicis, quod optabat Radulph. *ibi-dem*: nec tamen apparet, quo ritu tunc temporis Officium fieret de beata Vir-gine hac die; sed neque reperitur Offi-cium hoc in Sabbato in Breu. M. S. Et fortasse id causæ fuit; quia ante Pium V. tenebatur Clerus ad recita-tionem quotidianam Officij parui beatæ Mariæ, vñà cum Officio Domini: quam obligationem abrogauit Pius in Bulla ante Breuiarium polita.

3 Quare totum hoc Officium cum Lectionibus sanctorum Patrum sin-gulo mense pro varietate legendis, iussu Pij V. fuit compositum, & edi-tum. Clemens VIII. illud recognoui, mutata tantum Lectione pro mense Aprilis, quæ erat sancti Epiphanij, nunc verò S. Hieronymi.

4 Fit autem in omnibus Sabbathis non impeditis Officio quoad ritum di-gniori; quale est etiam Feria maioris, aut Dominicæ anticipatæ, quæ scilicet suum non habet locum, ut diximus *Sect. 3. c. 5. num. 9. pag. 25.* quam qui-dam nimis pij erga B. Virginem an-ticipare vellent in alia Feria, nimium amantes sui, ne Sabbati Officium reci-tent

01032

tent feriale cum Nocturno, & Laudibus prolixioribus. Festum Simplex cedit huic Officio Simplici de beata Virgine ratione dignitatis eiusdem in pari ritu; & de Festo Simplici fit tantum commemoratio.

5 Et ideo ad modum Festi Simplicis Officium hoc incipit in Vesperis Feriae sextae; vel à Capitulo, si ille dies ferialis est; vel per commemorationem, si eo die Festum est nouem Lectiōnum. In Completorio Feriae sextae, quamvis sit de Festo nouem Lectiōnum, in fine tamen Hymni ius habet B. Virgo, ut dicatur,

Iesu, tibi sit gloria,

Qui natus es de Virgine;
nisi Festum sit Transfigurationis Domini, quod habet proprium finem omnibus Hymnis illius diei destinatum, & Festum est Domini.

6 Quod si Feria sexta fuerit Festum eiusdem beatæ Virginis, in secundis Vesperris omittitur commemoratio Officij in Sabbato; quia non conuenit, ut de eadem fiant Vesperæ & commemoratio. Casus accidere potest in Purificationis Festo, quod celebratur Feria 6. seu in die Octaua, quæ sit alicubi, eiusdem Purificationis; præterea nullus: & hac eadem de causa, inter Suffragia Sanctotum communia, nihil in hoc Officio icitur pro Suffragio, seu commemoratione beatæ Mariæ, nec in primis Vesperris, nec in Laudibus. Ad Nonam finis est huius Officij, sicuti Festorum Simplicium.

7 In Nocturno Sabbati omittitur Psalmus *Iubilate*, pro quo dicitur Psal-

mus è Laudibus Sabbati, *Bonum est:* tum, ne ille bis dicatur, in Matutino, & Laudibus, quæ constituunt, ut superā diximus, vnam Horam; tum, ne hic per Hebdomadam omittatur. & ideo fit commutatio.

8 Pro varietate temporum additæ sunt aliae Antiphonæ, cum Orationibus pro tempore, post Natuitatem, usque ad Purificationem, quæ sumptuæ sunt ex Officio paruo B. Virginis, tum alia ad *Magnificat* & *Benedictus*, pro tempore Paschali; quo & additur *Alleluia* Inuitatorio, Antiphonis, Responsorijs, & Versibus.

9 Lectio assignata Martio eo anno tantum legitur, quo Pascha celebratur die 20. vel 21. & ultra, mensis Aprilis; ut videre est in Tabulis nostri Ordinis perpetui à Tabula 30. usque ad 35.

10 Ea item lectio assignata mensi Decembri non legitur unquam, nisi quando Dominica prima Aduentus incidit in diem 2. Decembri: reliquæ saepius leguntur.

11 Quæres, An superfluat illa Parenthesis in Rubricis generalibus tit. 8. num. 2. vbi de hoc Officio: *In Semiduplicibus (quando eius Officium paruum non dicitur) fit eius consueta commemoratio per annum.* nam in Semiduplicibus non dicitur Officium paruum de beata Virgine. Sed explica illud quando, id est, quo die. Vel indicat Parenthesis, alicubi dici Officium paruum de beata Virgine, etiam in Semiduplicibus, ob consuetudinem, de qua *Sect. sequenti cap. 1. num. 6.*

SECTIO

SECTIO NONA.

De Appendicibus Breuiarij.



N fine Breuiarij addita sunt quædam, quæ dici possunt Appendices; quia non sunt partes Horarum Canonicarum, nec ad eas nisi remotè pertinent: de quibus, ordine Breuiarij seruato, nunc restat dicendum.

SECTIONIS NONÆ CAPITA VI.

- | | |
|---|---|
| 1 De Officio paruo beatæ Virginis
Marie. | 4 De Psalmis Pœnitentialibus. |
| 2 De Officio Defunctorum. | 5 De Ordine Commendationis anime. |
| 3 De Psalmis Gradualibus. | 6 De Benedictione mensæ & Itinera-
rio Clericorum. |

De Officio paruo beatæ Virginis
Marie.

CAPUT I.

APetro Damiani Cardinali fuit institutum Officium, quod dicitur paruum beatæ Virginis, ante annum 1056, ait Baronius eodem anno in *Annalibus*: vel restitutum, ut scribunt in *Vita eiusdem Petri Flaminalis & Fortunatus*, quæ habentur initio Operum eiusdem; Gregorio VII. iubente, ut addit Hieron. Rubeus in *Histor. Rguennat.* quod puto verius; quia Paulus Diaconus in *Expositione Regule sancti Benedicti*, quæ habetur M. S. in *Bibliotheca Antiquana Collegij S. Gregorij de Urbe*, scribit, quod Gregorius III. & Zacharias, Summi Pontifices, qui vixerunt ante annum 752. præceperunt Cassinensi Congregationi, ut omni tempore una

cum Officio diuino recitarent etiam Officium B. Virginis; ergo antiquorem habet auctorem. Decreto deinde Urbani II. in Concilio Claramont. anno 1096. mense Nouembri, recitari ab omnibus Ecclesiasticis quotidie iussum est, ut notat Radul. *Propos. 20.* Consuetudo tamen hæc, seu lex, fortasse non fuit ubique recepta; quæ paulatim in communem usum abiuit: unde Summista omnes dicunt, usum tantum vim legis habente, non Iure scripto illud recitari. quod notat Azor. *par. 1. lib. 10. cap. 16.*

2 Extra Chorum nunc temporis nemo tenetur hoc Officium recitare, contra Nauar. *de Orat. cap. 10. num. 3.* qui tamen *Miscell. 77.* mutauit sententiam, ob Bullam Pij V. qui in Bulla edita pro Breuiario tollit omnem obligationem recitandi hoc Officium extra Chorum.

A a ; Pen-

3 Pensionarij extra Chorum te-
nentur ad recitationem quotidianam
huius Officij , sub pena restitutionis
fructuum pensionis ad ratam , ea ra-
tione , quam attulimus supradicte in resti-
tutione fructuum beneficij *Section. 1.*
cap. 6 num. 2. pag. 11. vt patet in Bulla
Pij V. hac de re edita : *Ex proximo*
Lateranensi.

4 Quod si Pensionarij recitent
Horas Canonicas maiores ratione Or-
dinis sacri, vel Beneficij, tunc eximun-
tur ab onere recitandi huius Officij
parui ; imo vero etiam , si ex pietate
tanrum recitent Officium maius: quod
docent communiter Doctores . Vide
Azor. *loco citat. cap. 4. quest. 3.*

5 In Choro , si adest consuetudo
recitandi hoc Officium , obligar ad-
huc ; cum Pius V. eamdem potius
confirmauerit in Bulla Breuiarij: non
tamen Canonicus extra Chorum te-
nentur ad illud recitandum , vt docet
Azor. *loco cit. cap. 16.* si utatur Bre-
uiario Pij V.

6 Imo sacra Rituum Congregatio
die prima Septemb. anno 1607. decre-
uit, seruandam esse quoque eam con-
suetudinem , qua recitat in Choro
hoc Officium in Semiduplicibus , &
Dominicis , non obstante Rubrica
Breuiarij, de qua mox dicemus ; quia
nimurum Pius V. in Bulla Breuiarij
habet haec verba: *Sine praeiudicio san-
cta confuetudinis illarum Ecclesiarum,*
in quibus Officium parvum B. Virginis
in Choro dici consuerat; ita ut in
predictis Ecclesiis seruetur ipsa lauda-
bilis consuetudo celebrandi more solito
predictum Officium. *More, ait, solito;*
ergo & in Dominicis , & in Semidu-
plicibus , si adest consuetudo. Tan-
dem Urbanus VIII. de consilio sacrae
Rituum Congregationis decreuit 2. Ia-

nuarij 1627. etiam mutato proprio
Breuiario , & Romano acceptato, ad-
huc eos teneri ad quotidianam Officij
beatæ Virginis recitationem, qui antea
ex consuetudine tenebantur : & De-
cretum fuit impressum Romæ, instan-
te Abbe Rapolensis Monasterij in
Catalonia.

7. Quando vero sit alias dicen-
dum in Choro, explicatur in Rubricis
Breuiarij circa finem eiusdem : nam
omittitur , quando fit Officium no-
uem Lectionum (excepta consuetudini
numero praecedenti allegata) & hac
de causa, quod doleo, in multis Eccle-
siis Festa plura nouem Lectionum in-
troducta sunt , Regularibus quoque
eadem celebrantibus , vt reletetur à
Choro Officium parvum B. Virginis.
Ipsi viderint.

8 Non item dicitur in Vigilia Na-
tivitatis Domini; quod etiam notatum
reperi in Breuiarij. M. S. nec in Feris
maioris Hebdomadæ , vt vni Christo
vacemus , alias autem in Breu. M. S.
& 1550. triduum tantum ultimum
maioris Hebdomadæ excipiebatur in
recitatione huius Officij : nec infra
Octauas Paschæ : quod & tradit Radulph. *Propos. 20.* propter temporis,
inquit , incongruentiam : nec infra
Octauas Pentecostes, vt in Breu. M. S.
& 1550. nec in Sabbatis , quando fit
Officium de beata Maria ; ne bis, ait
Radulph. videatur dici idem Offi-
cium. Quibus diebus omittitur à pri-
mis Vesperis, & in Vigilia Nativitatis
& Matutino, vt in Breuiarij. etiam M. S.
& 1550. antea recitabatur in Choro,
etiam in Festis Duplicibus maioribus,
vt testantur Breuiaria predicta M. S.
& 1550. non puto tamen ubique; quia
adhuc seruaretur hic ritus , ob ea que-
diximus num. 6.

9 De

9 De modo illud recitandi tum in Choro, tum extra Chorum nunc dicamus. Nam septem Horas haber, & Horæ easdem partes, quas in Horis Canonicis enumerauimus; vt in numero earum septenario easdem causas mediteris erga B. Virginem, quas erga Deum significauimus in Horis Canonicis *Scil. i. cap. 3. num. 5. & 6.* pag. 2.

10 Concordant hæ Horæ cum antiquis, vt satis indicat Radulph. *loco citato*, & eum Breuiar. M.S. exceptis his quæ sequuntur. Nam in Breu. 1550. additur Hymno, *Memento salutis auctor* (qui est de Hymno ad Vespertas Natiuitatis Domini) sequens alter Versus, *Maria mater gracie*; qui olim erat vltimus Hymni, *O gloriesa*, ex Michaële Timotheo de *Hymnis lib. 4. Hymn. 32.* Ante secundam Lectiōnem addidere Benedictionem, quæ in M. S. non erat: mutata est tamen à Pio V. in eam quæ nunc legitur. Ad Horas omnes fiebat commemoratio Apostolorum, & omnium Sanctorum, quæ hodie fit ad Vespertas & Laudes tantum. Exrat Bulla Pij V. anno 1575. qua prohibentur Officia beatæ Virginis vulgari sermone edita; & approbatur quod hodie habetur, additis aliis quæ in eodem Officio leguntur.

11 Quadruplex item mutatio huius Officij indicatur à Radulpho *loco citato*, & habetur in Breuiar. M. S. & 1550. in Aduentu, post Natiuitatem, tempore Paschali, & reliquo anni tempore: & congruit varietati temporum. Tempore Passionis nulla fit de tractio, sed dicitur *Gloria Patri* in In uitatorio, & *re. 3. vt in Festis Sanctorū.* Tempore Paschali dicuntur in Noct. tres Antiphonæ, vt aliás, quia non est

Officium de Festo. An verò addendum sit *Alleluia* In uitatorio, Antiphonis, Responsofii, &c. dubitauere non pauci. Ex vna parte negant, ad distinctionem Horarum maiorum Canonicarum; & quia Rubrica hac de re in loco proprio Breuiarij non habetur: ex altera affirmant, & videtur haberi satis in Officio simili beatæ Mariæ in Sabbatho. Neque minus resonare debet *Alleluia* in Officio paruo beatæ Virginis, quam in Officio Christi, qui suæ Resurrectionis prima Marii gaudia & maiora dedit. Nihilominus tamen non est addendum *Alleluia*, ex Decreto sacrae Rituum Congregationis 28. *Martyr. 1626.* Mutatur etiam in Nocturno Antiphona Post parvum in *Angelus Domini* tempore Aducatus, & in Officio Annuntiationis & Conceptio nis beatæ Virginis, quia propriè & principaliter repræsentant tempus ante Natiuitatem Christi, & mysterium Incarnationis: quod sonat Antiphona *Angelus Domini*.

12 Si contingat transferri Festum Purificationis ob Dominicam priuilegiatam, seu aliam ob casam; eo casu transfertur etiam mutatio Officij, quam suprà significauimus. quod expressè dicitur in Breuiario 1550. sed extra Chorum mutatur die 3. Februario; quia in hoc casu attenditur Festum; non Officium Chori.

13 In Choro dicitur hoc modo. Preponitur Officio diei in Matutinis & Vesperis, in aliis Horis postponitur. Docet idem Radulph. *loco cit.* ex vñ Romano; secundum vñsum, inquit, Fratrum Minorum, quorum Breuiaria adhibita sunt, vt aliás diximus, exclusis aliis à Nicolao III. Habetur etiam hic ritus in Breuiar. M. S. & 1550. Ratio esse potest, quia diuiditur Officium

A a 2 in

in antemeridianum & pomeridianum. Vtrumque vero, auspice B. Virgine, inchoari debet, præmissis eiudem Horis paruis, Maturino & Vesperis maioribus, de Officio diei: & eo casu omittitur v. in fine, *Fidelium animæ*. Reliquæ Horæ postponuntur, vt minores Horis Canonici. Prima de beata Virgine dicitur, antequam legatur Martyrologium; quod non est pars Horæ primæ, sed quid superadditum, ut suprà docuimus: vnde & à multis legitur extra Chorum in loco Capituli.

14 Extra Chorum dicitur pro opportunitate temporis. Et primò ante quamcumque Horam dici debet Salutatio Angelica, vt in Breuiario 1550, prescribitur, & Durand. docet lib. 5. cap. 2. tum in fine ultimæ Horæ, si plures simul recitentur, vt Durandus *ibidem*.

15 Diuidi quoque potest in priuata recitatione, ex causa, Matutinum à Laudibus, dicta in fine Salutatione Angelica, & eadem repetita ante Laudes; vt in simili casu diximus de Horis Canonici cum Nauarro *suprà Sect. 4. cap. 2. num. 3. & 4. pag. 52.*

16 Proposita est Indulgentia centum dierum recitantibus dictum Officium iuxta Rubricas Breuiarij à Pio V. in Bulla eiusdem Breuiarij.

De Officio Defunctorum.

C A P. I I.

Officium Defunctorum dictum est Agenda à Walafrid. cap. 25. & à Durand. lib. 7. cap. 35. quia agere significat celebrare. item Exequæ, ab August. lib. de Cura pro mortuis: non quia extra alia sequuntur, vt quidam definiture; sed quia, ex Duran. *ibid.* extra viuos mor-

tui sepeliuntur, & extra Horas Canonicas hoc Officium proprios habet ritus. Donatus definit Exequias, quia mortuus præbat, ceteri sequebantur in funere. Cum autem hodie in funere præcedat Clerus cadauer mortui, dicere possumus, nos mortuum sequi, quia obiit ille prius. Exequias explicat ab executione dictas Mutius Capucinus de Offic. mort. cap. 6. quia, inquit, executioni mandanda est Defunctorum voluntas.

2 De hoc Officio habetur Canon Extra de Celebration Missar. cap. Cum cantantur: ab Apostolis ortum habet, ex Dion. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 7. ab Origene auctum fuisse dicitur, teste Augustino in lib. Enchiridi. & Isidoro de Officis Ecclesiasticis. S. Augustino tamquam auctori tribuit Iacobus de Valentia in *Exposit. Hymni Te Deum*. Auctor ligni vitæ lib. 5. auctofem huius Officij facit Amalarium cap. 79. de Ordine Antiphon. indicat, se collegistæ ex Romano & Metensi Antiphonariis ea quæ recta sibi visa sunt de ordine sepulturæ. Responsoria componuit Mauritius Episcopus Parisiensis, qui obiit anno 1196. teste sancto Antonino citato à Demochare Tom. 2. de Sacrificio Missæ cap. 18. Orationes, Deus qui inter Apostolicos, & Fidelium, habentur in Sacramentario Gregoriano. Pius V. addidit Orationes tres, nimirum pro die Depositionis Defuncti, Anniversario, patre & matre Sacerdotis, vel recitantium eamdem Orationem, non cuiuscumque; in quo non pauci errant: & tamen Oratio ipsa indicat, de patre & matre recitantis tantum ibi fieri commemorationem, non aliorum. Oratio Absolue est in Sacramentario Gregoriano. Clemens VIII addidit alias

alias duas pro Defuncto & Defuncta, quæ erant necessariae pro vario Defunctorum ritu: quarum prima, *Inclina*, legitur in Sacramentario citato; reliquæ sunt posteriores Sacramentario. in reliquis nulla est mutatio. Idem est Officium apud Radulph. *loco cit.* & in Breu. M.S. & in edito 1550. Conclusiones Orationum in Breuiario diversæ sunt à cœclusionibus in Officio Defunctorum Ritualis Romani, in quo semper dicitur, *Per Christum Dominum nostrum*, sed in Breuiario datur ritus Officij in ordine ad Officium de die diuinum; in quo ea est conclusio, *Per Dominum nostrum Iesum Christum*, &c. in Rituali vero traditur Officij ritus in ordine ad exequias, in quibus unica est conclusio, *Per Christum Dominum nostrum*. & hac ratione non pugnant inuicem Breuiarium & Rituale Romanum.

3 Inchoationes & explotiones huius Officij non sunt ut in Horis Canonicas, ad tristitiam significandam, ex Walafr. *cap. 25. de Eccles. Obseru.* & simili modo, ait Alcuinus *cap. panult.* eccebramus haec Officia, quo celebrantur in iis diebus quibus Christus descendit ad inferna. Matutinum dicuntur Vigilia ab Alcuino *de Exeq. mort.* in quo Inuitatorium dicitur ut in propria Rubrica, nempe in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, & in die depositionis seu obitus Defuncti, etiamsi unum tantum dicitur Nocturnum, ut habetur in Rituali Romano. Itemque in die depositionis tertio, septimo, trigesimo, & Anniversario; & regulariter, quando tres Nocturni dicuntur, etiam ex Durando *lib. 5. cap. 3.* quia ad solemnius Officium inuitandi sunt plures. Per annum autem omittitur, quia in hoc

Officio exequias Christi in Parasceue fieri solitas imitamus Durand. *ibidem.* Nocturni vero tres dicuntur in crastino Omnitum Sanctorum, ut in praedicto Breu. M. S. & apud Radul. & in depositione Defuncti, nisi aliud impedit, ex Rituall Romano Pauli V. duplicatis Antiphonis. In quibus Nocturnis, ex Alcuino, significantur illa Officia nocturnalia, quæ in morte Domini celebrantur. In ferialibus autem tres Lectiones cum tribus Psalmis, seu uno Nocturno, & Laudibus, ad representandum, ex eodem Alcuino, triduanam Christi sepulturam. Et ideo neque ad Lectiones datur benedictio, neque in fine dicitur *Tu autem*, sicut nec in triduo mortis Christi, Durand. *lib. 5. cap. 2.* Antiphona nona, *Sitinit anima mea ad Deum viuum*, ita legenda est, licet in Psalmo dicatur, *ad Deum fortem (non fontem) viuum*: & habes exempla in Breuiario Antiphonarum, quæ paululum discordant a Versu Psalmorum, quorum sunt Antiphonæ; ut in 2. Antiphona 1. Nocturni Dominicæ. In fine Vesperarum & Laudum dicuntur preces semper genibus flexis, etiam quando omittuntur Psalmi. Episcopis autem in Cærim. *Epif. lib. 2. cap. 10.* pro corum dignitate præscribitur, ut stantes dicant Preces: quod non debet esse commune reliquo Clero. Dicitur *Pater noster*, *Et ne nos*, alta voce. quod in M.S. Breuiari. traditur. in Breuiari. 1550. male negatur. Quem ritum in Vesperis restituit Pius; & in Laudibus explicavit magis Clemens VIII. Versus autem frequentissimus, *Requiem eternam*, &c. habetur in Sacramentario Gregoriano: qui diuiditur in fine Psalmorum, & in Precibus; licet in Responsoriis sit unus Versus, contra P. Ruiz, ut sit

A a 3 loco

loco *Gloria Patri*, &c. in fine Psalmorum. Auctores facit Apostolos huius Versus Michaël Timoth. in quest. 300.

q. 17. Psalmi verò in fine Vesperarum & Laudum non dicuntur in Commemoratione omnium Defunctorum, neque in depositione Defuncti, si tres Nocturni dicantur, ex Rituali Romano Pauli V. neque in Officio Duplici, pari ratione. Contraria enim est ratio illorum, ac noni & longioris, *Liberame*: quod non modò dicitur in prædicta Commemoratione, sed etiam quandocumque dicuntur nouem Lectio-nes: quare omittuntur illi Psalmi, quando dicitur hoc Responsoriū. Versus qui dicuntur post Psalmum, si pro vno fit Officium, dicuntur in numero singulati, sicut & Oratio sequens: reliqua in toto Officio non mutantur, neque Versus post Orationem; quod in Rituali Rom. habetur.

4. Orationes tres dicuntur sub una conclusione diuerso modo ac in Missa; in qua prima Oratio concluditur, & due aliae per modum commemorationis adduntur. Sed in Officio commemorationes non sunt, cùm Antiphonas & Versus non habeant; & ideo unius Orationis rationem habent, ad quam totum Officium ordinatur. Oratio *Fidelium* si sola dicitur, habet conclusionem valde propriam; si cum prioribus duabus, habet breviorem, & communem tribus, quæ diriguntur ad Deum conditorem & redemptorem, diuersam à conclusione quæ habetur in Missa, Maioribus ita volentibus, qui diuersimodam conclusionem assignauere in Missali, Breuiario, & Rituali. Versus *Requiescant in pace* dicitur in fine, omnibus surgentibus, tam in Vesperis quam in Laudibus, eo modo quo diximus de *Benedictus*.

eamus Domino Sect. 5. cap. 17. numero 8. pagina 96. nisi consuetudo sit alia.

5. Quæritur: An, quando Vespere Defunctorum & Matutinum dicuntur separatim ab Horis Canonis, siue in Choro, siue extra Chorum, præmittenda sit secretò Oratio Dominica? Hoc obseruat Cappella Papalis in Festo Omnis Sanctorum, in quo, omissis secundis Vesperris de Festo, ne Vespere Defunctorum inchoentur ex abrupto, recitatur prius Oratio Dominica: quæ item repetitur ante Matutinum. quod notat Christophorus Marcellus in *Cerim. Pap. lib. 2. Sect. 2. cap. 24. & 25.* & exemplo Cappellæ idem præscribitur in *Cerim. Episcop. lib. 2. cap. 10.* etiam si Vespere Defunctorum iungantur Vesperris de Festo. Certè Rituale Romanum non præscribit Oracionem Dominicam, licet agat de Officio separatim dicendo ab Horis Canonis: quare placet non dici regulariter. Illud quoque est notandum, quod si aliquando dividatur Matutinum hoc à Laudibus, eo casu in fine Matutini dicuntur Preces sine Psalmo cum Oratione, seu Orationibus, ut congruo fine terminetur.

6. Adhuc quæritur: An Vespere descendæ sint ante Matutinū, quod præsente corpore manè cantatur ante Missam, cùm ea sint primæ Vespere, & tamen manè non est Vesperrum tempus. Respondeatur, omittendas esse eas Vesperas, quæ pridie Matutini Officij recitari nequeunt. Nostri igitur Clerici, qui tenentur pro Defuncto ex nostris recitare ter Officium Defunctorum, tribus scilicet diebus; si nocte moriatur ille, non tenentur in Choro ad primas Vesperas; alias autem recitare

tare debent coniunctas Vespertas diei, si feriales sint, alioquin post Completorium, non habita ratione Officij, sed Suffragij. Qua ratione, primo die poterunt manè cantare semel Matutinū, & iterū à prandio post Vespertas 2. Matutinum, & deinceps sequenti die tertium, ut celerius ille iauetur. Sed congruentius quolibet die manè cantatur Matutinum tribus dictis diebus vel ea ratio saltem ineatur, qua Vesperæ nullo modo secundæ (quas non habent Defuncti) videantur esse.

7 Non habent Defuncti secundas Vespertas, ad significandum, quod hoc Officium finem habebit, quando animæ ab omni pena liberatæ Deo frumentur. Beleth cap. 160. sed, mea sententia, demuntur ad minorem Officij solemnitatem, ut sit in Festa Simplici.

8 Omittitur hoc Officium tempore Paschali, quia, inquit Durand. lib. 6. cap. 72. ad Christum solum eo tempore dirigenda est mens: neque interea patiuntur animæ dispendium, quia & beneficia nostra sunt illis communia; & nec expressius memoria pro illis fieri posset, quam agendo memoriam de morte Christi (nota pro sequenti casu) & eiusdem resurrectione, per quam à penitentia liberari expectant. extra Chorum tamen utile est ipsa Officia dicere. Hæc Durand.

9 Item omissitur in Hebdomada maiori; quod à Pio V. fuit statutum: nam apud Durand. loco citato, in Breuiar. M.S. & 1550. triduum tantum ultimum dictæ Hebdomadæ excipiebatur. causam attulimus num. præced. Aliam adfert Radulph. Propof. 20. ob dierum incongruentiam, sicuti tempore Paschali ob temporis iucunditatē, & hanc intelligo causam. Incongruentiam verò ille non explicat: fortasse,

quia pro Christo solo, non pro aliis, in Hebdomada maiori debemus esse in tristitia summa.

10 Item in Festis nouem Lectionum; quod habet etiam Radulph. loco citato, ob dierum ait festiuitatem: in M.S. & 1550. idem prescribitur. Nisi adimplenda sit Defunctorum voluntas, pro qua permititur separatim dici

Officio diei à sacra Rituum Congreg. die 12. Junij 1628.

11 Dici vero debet prima die cuiuscumque mensis non impedita Festo nouem Lectionum, & ut ait Alcuinus, in Calendis. Cettè, ut quantocum Defunctoris suffragemur, & semel saltem in mensa omnibus Defunctoris communibus Ecclesiæ Suffragiis. Quod si sola dies ultima mensis sit libera, ea die dicatur; liget in sequenti die rufus pro mense sequenti dicendum foret, quod adnotauimus in Ordine nostro perpetuo Tab. 13. 14. mense Maio.

12 Sed quid, si in Aduentu & Quadragesima dici non queat in mense Decembri, & Martio, in Feriis secundis, de quo ritu dicemus statim; utrum ratione mensis erit semel saltem recitandum prima die non impedita Festo nouem Lectionum? Contingit casus in Aduentu, quando Dominica 1. Aduentus occurrit die 29. Novembris, ut videre est in Tabulis nostri ordinis perpetui Tabula prima, octaua, & aliis. Et in Quadragesima unicus etiam est casus, quando Feria 4. Cinerum occurrat in die 28. Februarij ut in Tabul. 25. eo enim anno Feriae 2. omnes sunt impeditæ Festis nouem Lectionum. Andreas Castaldus in suo Cœrim. lib. 3. cap. 7. nn. 8. negat debere dici ea ratione; quia in Quadragesima hoc Officium est annexū onus dici, nempe Feriae 2. & idem valet in Aduentu:

sed

sed ratio non conuincit, quia onus annexum Feriæ secunda non tollit onus, quod potest esse ratione primæ diei mensis. Vnde accidit in Feria secunda per annum dici Missam pro Defunctis, vt in Rubricis Missalis tit. 5. n. 2. & Feria tertia, quæ sit prima mensis sequentis, dici Missam quoque pro iisdem ratione Rubrica n. 1. Ea igitur verba, *Ante Quadragesimam prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum;* & *Ante Aduentum prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum,* ita sunt intelligenda, vt intra Quadragesimam & Aduentum nulla habeatur ratio mensis. Et confirmatur ex Rubrica generali Missalis tit. 5. n. 1. cuius verba sunt: *Prima die cuiusque mensis (extra Aduentum & Quadragesimam) dicitur Missa pro Defunctis,* quæ certè respondet Officio Defunctorum. Et ratio est, quia nulla habita ratione mensis, sunt Suffragia sæpiùs, hoc est, semel in Hebdomada tam Aduentus quam Quadragesimæ. Si verò aliquo anno (quod raro continet) Feriis secundis omnibus impeditis, non dicatur Officium Defunctorum, parum refert.

13 Dicitur præterea huc Officium in Feriis secundis tam Aduentus quam Quadragesimæ, hoc est, initio Hebdomadae, vt citius Defunctis suffragemur. Qui ritus præcisè in Feria 2. ortum habuit à Monachis Gamungensibus, ex Petro Damiani anno 1056. quod adnotauit etiam Baron. *todem anno:* vel dici potest, quia cælum creatum fuit die Luna, ideo petit Ecclesia, vt in cælum transferantur animæ de Purgatorio. In Quadragesima verò quotidie recitabatur, ex Radulpho loco citato. Pius autem V. Feria 2. contentus, nihil ultrâ iussit.

14 Quæres: Occurrente Vigilia Natiuitatis Domini in Feria 2. Hebdomada 4. Aduentus, vtrum ea die recitandum sit hoc Officium. In Breu. M.S. & 1550. aperte negatur: quia non debent dici Vesperæ, nisi dicatur etiam Nocturnum cum Laudibus. Nocturnum autem cum locum habeat post Laudes diei, non congruit deinde, vt post Laudum Vigilia Officium, quod ex Duplex, dicatur Officium Defunctorum; & eò magis, quia est Officium Duplex priuilegiatum, quod excludit omne aliud Duplex. Adde, omitu eodem die Officium beatæ Virginis paruum; cum tamen agatur eadem die de proximo partu Virginis: quantò magis Officium Defunctorum, quod minuit iucunditatem illius Vigiliae. Denique si concedatur Officium Defunctorum, etiam in Missa fiet commemoratio eorumdem; quæ tamen nullam admittit commemorationem, nisi Dominicæ, si in ea occurrit Vigilia: imò & possit celebrari Missa de Requiem in ea Vigilia, à qua excluditur Duplex Festum, & Missa consequenter Defunctorum, quæ prohibetur dici in Festo Duplici. At Castaldus in *Cerim. lib. 3. cap. 1. n. 9.* concedit, posse dici Officium Defunctorum in Vigilia Natiuitatis ratione Feriæ 2. tum quia non est impedita Festo nouem Lectio num; tum quia in ea Vigilia excluditur tantum à Rubricis Officium paruum B. Virginis: & addit prudentissime, potius esse recitandum pridie Vespere, vbi est consuetudo; quæ certè non tollitur à Rubricis Breuiarij in Officio Defunctorum. Cui tamen respondeo, in Breu. M.S. & 1550. expresse prohiberi Officium Defunctorum à Completorio pridie Vigilia Natiuitatis cantato. Et ad primam rationem dico, æqui-

æquiparati, & præcedere Officium dictæ Vigiliae, si comparetur cum Festo quolibet nouem Lectionum: ad alteram, ibi non excludi Officium B. Virginis cum particula restrictiua tantum; sed omitti de Officio Defunctorum id præscribere, quod præscriptum iam fuerat de Officio paruo B. Virginis. imò non fuit necesse aliud decernere, sumpto argumento à fortiori, vt diximus, si excluditur Officium B. Virginis, ergo multò magis Defunctorum.

15 Accedamus ad horam recitandi huius Officij. Et Vesperæ quidem recitari debent post Vespertas etiam Festi Duplicis, si Feria sequatur, vt in Breuiar. M.S. & 1550. Et sacra Rituum Congregatio 23. Maij 1603. pro prima die mensis, si haec sit libera à Festo nouem Lectionum, decreuit, Vespertas Defunctorum recitandas esse vltima die præcedentis mensis, licet ea sit festiva de precepto; vt populus frequens post auditas Vespertas Dominicæ, vel Festi, audiat statim & Vespertas Defunctorum pro Suffragiis generalibus: sicut in Dominicis Aduentus & Quadragesimæ fieri solet in Vespertil pro Officio Defunctorum, sequenti Feria secunda persoluendo. Qui ritus mihi placeret quam maximè, in iis etiam Regularium Ecclesis, in quibus, vi Regulæ, qualibet Feria 2. vel alia non impedita, solet singula Hebdomada recitari Officium pro Defunctis fratribus, consanguineis, & benefactoribus. Defunctis autem vtilius esset; quia contingere potest, vt, dempta Feria 2. reliquæ Feriae sint impeditæ Festis nouem Lectionum, & sic in ea Hebdomada non dicatur Officium.

16 Matutinum verò Defunctorum

post Laudes diei recitatur in Breuiario M.S. & 1550. Cui Rubricæ inhærendo sacra Rituum Congregatio prohibuit, in Festo Sanctorum omnium cantari Matutinum Defunctorum vesperi, & iussit recitari in ipsam die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum post Laudes diei, 1. Septemb. 1607. Episcopis autem tantum conceditur, vt in die Festo Omnim Sanctorum possint in suis Ecclesiis recitare cum Clero suo Matutinum Defunctorum, vt dicitur in Cærim. Episc. lib. 2. cap. 10. ea certè de causa, vt sequenti maaë liberiores sint ad Missam solemniter cantandam pro Defunctis: quæ causa satis aperte significatur initio prædicti capit. 17 Consuetudo tamen illa Regularium recitandi Matutinum Defunctorum vesperi post Completorium pro die sequenti, non videtur improbanda, si de Officio ex vi Regulæ agatur; neque etiam ex vi Rubricatum in quibus dicitur: *Nisi alia sit consuetudo Ecclesiarum.*

18 Restat vltimò dicendum de obligatione ad hoc Officium recitandum: haec autem nulla est, excepta Commemoratione omnium Defunctorum, de qua diximus Sect. 7. c. 13. pagina 171. nulla, inquam, est, soluente nos Pio V. in Bulla Breuiarij ab antiqua obligatione, & ab omni peccato; exhortante tantum, & Indulgentia centum dierum pro unaquaque vice ad præscriptum Rubricatum proposita, alliciente. Ex quo Nauarrus recitatur, qui ante Pium V. de Orat. cap. 10. nn. 4. docuerat, Officium Defunctorum certo die præscriptum in Breuiario esse partem Horarum Canoniarum.

19 Quod si aliunde oriatur obligatio
B b

tio recitandi Officium Defunctorum, puta, ex voluntate testatorum; in iis quidem diebus, quibus conceditur Missa de Requiem (qua de re in *primo Tomo diximus pag. 11. & 12.*) absque dubio recitari poterit.

20 In aliis verò diebus, in quibus prohibetur Missa de Requiem, adhuc tamen recitari poterit (exciperem Festa primæ & secundæ classis, & tri-dauum maioris Hebdomadæ postremum) etiam in Choro: quia disper est ratio inter Missam & Officium Defunctorum. illa namq; suppleri potest eum Missa de die, eo modo quo docuimus in *primo Tomo pag. 223. à num. 19. & seqq.* non autem Officium cum Officio de die: vel præter cantatam Missam de die in Collegiatis, potest cantari altera de Requiem, vt Romæ fit quotidie in Ecclesia S. Petri. Festum autem, etiam de præcepto, ex minus solemnibus, non impedit recitationem huius Officij, vt patet ex dictis supra *num. 10. 15. & 17.* maximè si adsit Ecclesiastum consuetudo.

21 Pius itaque V. tam in Bulla quam in Rubricis loquitur de Officio Defunctorum ex communi intentione Ecclesiæ pro Suffragiis generalibus recitando in Choro, remittens antiquanu obligationem illud sacerdotes recitandi, & quotidie, vt olim, in Quadragesima; tum præscribit eos dies, quibus illud idem congruentius recitari vel omitti debet: non autem excludit obligationes proprias ex testamentis Defunctorum rationabiles.

22 Si tamen accidat in his obligationibus aliqua necessitas ex causa rationabili reducendi, aut commutandi, aut eas moderandi, ad tempus, seu in perpetuum, declaravit sacra Tridentini Concilij Congregatio *Seff. 25. cap. 4.*

posse Episcopos in Syria, & Regulare Superiores in Capitulis Generalibus circa hæc Officia decernere quidquid magis expedire iudicarent, ea commutando in Missas, &c. si ante Concilium ea fuerint imposita: quod postremò à nobis additum eadem sacra Congregatio significare visa est in *Decretis de celebratione Missarum sub Urbano VIII. 21. Iunij 1625. §. Ac primo. vbi dum prohibet reductionem Missarum post Concilium, non ante illud, indicat aperte, eam fuisse mentem sacri Concilij, de qua dubitabant Doctores Fusiū Moneta noster de Commut. ultim. vol. quæst. 11. conclus. 4. num. 367. & seq.* de his Officiorum commutationibus agit. hoc loco hæc satis.

De Psalmis Gradualibus.

C A P. III.

Faciamus gradum, ordine Breuiarij, ad Psalmos Graduales, qui dicuntur Canticum graduum & ascensionis, ex vi vocis Hebreæ *Amahalo h.* Et Græci quidem, Theodoretus & Euthymius, docent, Cantica hæc intelligenda esse ad littoram de ascensione Iudeorum à Babylonie in Ierusalem, Spiritu sancto per os David præcentem calamitatem eorum, & libertatem. Alij, è quibus Durand. lib. 5. cap. 2. malunt esse compositos hosce Psalmos, vt canerentur in ascensione quindecim graduum Templi Salomonis: tot enim fuisse affimat S. Augustinus *Tract. in Psalm. ultimum;* cui Lyranus subscribit; & significant ascensiones Electorum in Deum per quindecim gradus. Septenarius enim veteris Testamenti est, octonarius noui Testamenti est numerus, ex

Am-

Ambros. *Enarr. 2. ad Horontianum:*
quasi dicantur Electi per scalam præceptorum veteris & noui Testamenti ascendere ad Deum, & de his fortasse gradibus dicebat Salomon *Eccle. 11.*
Da partem septem (Græcè est casus Datui) necnon & octo.

2 Hieron, in locum Ecclesiastæ, putat septem & octo Psalmos Graduales veteris & noui Testamenti indices esse: vt enim quondam per illorum numerum canebatur Deo, ita per utrumque Testamentum modò cantantur laudes eidem Deo. Quinque etiam sunt sensus hominis, per quos animus ad Deum trinum ascendit; & ideo diuisi sunt inter quinos.

3 Radulphus *Propos. 21.* meminit, & notat, primos quinque dici pro Defunctis; alios quinque pro nobis ipsis, & anacis; postremos quinq; pro omnibus fidelibus: & quadrat ordo hic ascendentibus, iuxta *Psalm. 83.* *Ascensiones in cordis suo disposuit in valle lacrymarum,* id est Purgatorij. Nam à Purgatorio Defunctorum eleuamus ad purganda propria peccata, de quibus in secunda Oratione agitur: deinde ad unionem cum Deo, quem toto corde perquirimus in tertia Oratione; ita vt in secundo ordine Psalmorum declinantes à malo, in tertio faciamus bonum: in quibus tota iustitia consistit.

4 Robertus Card. Bellarminus in suo aureo libello de *Ascensionibus in Deum*, ad instar horum 15. Psalmorum constituit quindecim gradus, quibus ascendas ad Deum; quorum ordo paululum mutatus triplici Gradualium ordini, meo iudicio, responder optimè: si nimis in primis quinque Psalmis mediteris corruptibilia, terram, aquas, aërem, ignem, & mixta; in aliis quin-

que scruteris cælestia corpora, hominem, animam eius rationalem, Angelicam naturam, & Diuinam essentiam: in tertio Psalmorum ordine contempleris Dei potentiam, theoricam sapientiam, practicam eiusdem misericordiam & iustitiam. quæ singula omnia prosequitur ille in dicto libello.

5 Si tibi placeant magis sanctissimæ Rosarij mysteria, ea distribue hoc modo: vt, quæ sunt doloris, primo ordini cum *Requiem* pro Defunctis tribuas; quæ gaudij, secundo ordini; quæ gloriæ, tertio adscribas.

6 Nam primi quinque Psalmi unicam habent conclusionem: *Requiem aeternam,* &c. alij habent quisque suam cum *Gloria Patri;* quia pro Defunctis orantes abstinere solemus à glorificatione Trinitatis, unicam & aeternam eis requiem desiderando, vt eisdem, post quinque sensuum in Purgatorio purificationem, in quibus deliquerunt, eadem aeterna requies tribuatur. Deo autem danda est gloria in ascensu nostro, sive declinemus à malo, sive faciamus bonum; de quibus in 2. & 3. agitur Psalmorum ordine Gradualium. Ultima Oratio habetur in Liturgia Græca S. Petri pro Collecta Missæ.

7 Dicuntur autem in Feriis quartis Quadragesimæ latius sumpto vocabulo Quadragesimæ, ita vt includatur Feria 4. Cinerum, in qua etiam dicuntur hi Psalmi; Pio V. ita limitante: ante quem quotidie in Quadragesima recitabantur. Ante Matutinum dicuntur de more antiquo, ex Radulph. *Propos. 21.* in Breu. M.S. & in 1550. & ante Officium parvum B. Virginis, quod fit unum cum Officio maiori, ex P. Ruiz in *Cermoniali;* vt nimis

B b 2 per

per octo quoque dies ab initio ieiunij, ascensiones in corde nostro disponamus de virtute in virtutem, donec ad Christum in Cruce exaltatum perueniamus, quem in Hebdomada maiori contemplamur.

8 Omituntur in ipsamet maiori Hebdomada; cum ibi militet eadem ratio, qua omittitur Officium paruum B. Virginis & Defunctorum; & omituntur in Festo nouem Lectionum, ratione Festi, ut ait Radulph. *loco cit.*

9 Nulla nunc est obligatio, ex Bulla Pij V. qui proponit recitantibus Indulgentiam quinquaginta dierum; si nempe recitent in Feriis quartis Quadragesimæ, sive in Choro, sive extra Chorum eos recitent; & absolvit Clerum ab antiqua obligatione. Si adest consuetudo eos recitandi in Choro, stetur legitimæ consuetudini; sicut etiam de Hora recitandi, de qua *cap. sequenti num. 6.*

De Psalmis Pœnitentialibus.

C A P. IV.

Psalmi Pœnitentials, qui scilicet ad pœnitentiam nos mouent, sunt numero septem; & videntur faisse in vsu ante S. Augustinum, qui morti proximus eos lectitasse fertur; neque tamen auctor idem ipse prohibetur. Ordo Romanus eorum meminit in Feria 4. *Quadragesime in capite ieiunij.* Cassiodorus docet, septem esse, quia totidem modis remittuntur peccata nostra, Baptismo, passione martyrij, eleemosyna, dimittendo aliis, conuertendo alios, abundantia charitatis, & pœnitentia. Hæc ille.

2 Innocentius III. iussit eos recitari in Quadragesima, ex Radulph.

Propos. 21. quia tempus est opportunitas ad pœnitentiam.

3 Feriæ sextæ assignati fuerunt in Quadragesima à Pio V. cum & hi quotidianie recitarentur in eadem: vnde ordine Feriarum fernato, sexta Feria sequente quartam, Pœnitentials locum habent in Breuiario post Graduales. Minor est etiam Pœnitentialium numerus quam Gradualium.

4 Absolutè incipiebantur, ex Radulph. *loco citat.* sed in Breuiar. M.S. & 1550. præmittitur Antiphona, *Ne reminiscaris;* &c. sumpta de Tobiae libro. Quilibet Psalmus concluditur cum Trinitatis glorificatione solita, à qua speratur diuina gratia per pœnitentiam; gratia vero dicitur gloria Dei, *Rqm. 3.*

5 Recitantur post Laudes diei, dicto *Benedicamus Domino;* & *Deo gratias;* vt habetur etiam in M.S. & 1550. & ante Primam; quia iustus in principio (diei) accusator est sui; sed Radulphi tempore dicebantur post Primam, in qua Confessio fit peccatorum.

6 Quod si consuetudo detur aliqua antiqua & inueterata recitandi in Choro Psalmos Pœnitentials in Feriis v. post Completorium in Quadragesima, & in Feriis tertii Psalmos Graduales; sacra Rituum Congregatio declarauit, eam retineri posse, vt in una Laudensi respondit 2. *Augus.* 1603.

7 Congruit tamen multò magis Feria sexta, in qua peccauit Adam, & mortuus est Christus eadem die.

8 Non in Festo nouem Lectionum. Quid enim peccatoris tristitia cum festiuitate Beatorum? nec in Parascene, Feria sexta maioris Hebdomadæ, vt dictum est de Officio Defunctorum.

9 Li-

9 Litaniæ, quæ habentur post Psalmos Pœnitentiales, demptis aliquibus Sanctis de nouo additis, eadem sunt quæ in Ordine Romano in Benedictione Ecclesiæ; non tamen ante sanctum Hieronymum eas fuisse in usu, sentit Walafr. *de Rebus Eccles.* cap. 28. quod intellige apud Romanos; nam in Ecclesia Neocæsariensi eas adhibitas esse, scribit sanctus Basilius *Epistola 63.*

10 In Breuiariis M. S. & in edito 1550. plures Sancti recensabantur, & petitiones diuersarum rerum multò plures erant, ex scilicet quibus additur, *Terrogamus audi nos.* Pius autem V. selegit nobiliores Sanctos, & ad sufficientem numerum petitiones rededit: quibus non debet fieri vlla additio, ineonsulta sancta Sede Apostolica, nec etiam Patronorum loci; & præsertim, quando dicuntur Litanie ex præscripto Breuiarij Romani in Rogationibus, & in Feriis sextis Quadragesimæ; quia Pius V. prohibuit in Bulla omnem addiusionem. Fortè in aliis casibus addi poterant ab Episcopis, puta in quibusdam necessitatibus populorum, sicut adduntur in Rituali Romano varia, *A peste, fame, & bello,* & eiusmodi, ob variis casus. Neque Paulus V. videtur prohibuisse in Rituali Romano additionem, ex causa rationabili: sed sacra Rituum Congregatio die 22. Martij 1631. respondit Canonicis Cathedr. Rheyensis, non posse inseri alios Sanctos in Litanis, præter descripsos, etiam tempore pestis, quo iij petebant facultatem addendi Sanctos Titulares & Patronos civitatis: multò minus inuocandi erunt in Litanis iij qui nondum sunt canonizati, ex Glossa in cap. unico de Reliq. &

venerat. Sanctorum in 6. §. Sedes A-
post. ver. Hoc eodem. quam sequitur
Bellarmin. *de Sanctorum beatitudi-
ne cap. 10.* imò neque priuatim reci-
tando Litanias, vt docet Sanchez in
Summ. lib. 2. cap. 43. num. 5. & sequen-
tibus.

11 De Domno Apostolico, id est Papa, omnes Litanie meminerunt. Dominus enim idem est ac Dominus; sed vocabulum Dominus terroris es-
se, non reverentia, existimabant anti-
qui, ait Panuinus *de Interpret. vocum
obscur.* qui & Apostolicus dictus est,
tamquam Successor Petri Principis
Apostolorum, vt ait Rupert. lib. 1. de
Diu. Offic. cap. 27. Vacante Sede, peti-
tio hæc de Domno Apostolico omit-
ti debet, vnà cum Versu post Psalmum
in Precibus, *Oremus pro Ponti-
fice nostro N.* & Oratione de eodem;
quia non est, si vacat Sedes: nam
& in Canone, Sede vacante, iubemur
tacere nomen Pontificis, & vocem
ipsam.

12 Psalmus post Litanias erat alius, Orationes item longè plures quam hodie, ex Radulpho, à quo indicatur esse ultima Oratio, quæ item apud nos est ultima. Pius V. tamen nihil mutauit, sed omnia à Breuiari. edito 1550. in suum transtulit Breuiarium, excepto Litaniarum fine, quem prorsus accepit à Breuiari. M. S. Habentur in Sacramentario Gregoriano Orationes hæc, *Deus, cui proprium est misericordia;* *Ineffabilem;* *Deus, qui culpa offendit;* *Exaudi quæsumus Domine;* *Deus, à quo sancta desideria;* *Ure igne;* *Fidelium;* & *Omnipotens,* quæ ibidem dicitur esse S. Augustini; sed habentur sparsim in citato libro.

13 Quod si Litanie separatim à Psalmis Pœnitentialibus dicendæ sint,
B b 3 dicto

dicto ad Laudes dici *Benedicamus Domino, Deo gratias*, statim eae dicuntur: nam *Fidelium animæ*, pro fine Laudum, dicitur in fine Litaniarum, & utrisque deseruit.

14 Nulla est obligatio extra Chorum recitandi septem Psalmos prædictos, absoluente nos Pio V. in Bulla Breuiarij. ab omni peccato, & obligatione de hac re; qui concedit Indulgentiam quinquaginta dierum qualibet vice recitantibus eosdem iuxta Rubricas Breuiarij. in Choro, si confuetudo viget eosdem recitandi, conseruetur.

15 Pro Litanis separatim dicendis nulla est Indulgentia; sed obligatio in Litanis maioribus & minoribus. quae de re vide *Sectionem 6. cap. 16. num. 3. pagina 128.*

16 Communior usus Ecclesiarum Vrbis est, quod (excepto Sabbato sancto & Vigilia Pentecostes) Cantores & Chorus eas dicant alternatim: in Litanis maioribus, ad distinctionem à minoribus, alicubi Chorus repetit quæ Cantores integrè dicunt, ut in Sabbato sancto, quæ in re standum est locorum consuetudini, & longior Processio congruè id requirit.

De Ordine Commendationis animæ.

C A P. V.

Magni momenti, unde pendet æternitas, est exitus animarum de suis corporibus; & ideo cuicunque Sacerdoti, ne dum Parocho, datur facultas commendandi animas Deo in hora mortis, & in transitu earumdem animarum. Ut autem quilibet Sacerdos ad manum habere queat, necessitate

præsertim urgente, & Rituali (quod Parochorum est) deficiente, ad calcem Breuiarij additus est Ordo Commendationis animæ. extat in Breuiarij. M. S. Usus autem commendandi animas in earum recessu est antiquior S. Gregorio, qui de eo meminit *Homilia in Euangel. 37.* Et de S. Ioanne Eleemosynario ad morientes ventitante scribit Metaph. *in eius Vita*; à quo agonizantes, ut puto, benedicebantur: nam hic ritus Episcopalis benedictionis in obitu fidelium ante annum 840. erat in usu, scribente Annonio libro 5. cap. 19. *de Gestis Francorum*; quod Ludouicus Pius Imperator moriens Diogenem Episcopum Metensem accepit, & ab eo benedictionem petiit. Unde sanctus Carolus Borromæus obtinuit à Gregorio XIII. die 30. Decemb. 1580. facultatem omnibus Episcopis Provincia Mediolanensis concedendæ Indulgentiarum ægrotis, quos vel ipsi, vel eorum nomine alij visitauerint; tum ut ægroti benedictionem Episcopi diligenter procurent; tum verò etiam, ut ea reddatur ægrotis vtilior.

2 Concordat noster Ordo cum antiquis M. S. excepta mutatione aliquorum Sanctorum in Litanis breuibus: quæ breues esse debuerunt, ut, discedente anima, sequentibus precibus magis propriis eam Domino commendemus.

3 In Rituali Pauli V. præscribitur commendanti animam, ut induat Superpelliceum & Stolam violaceam, asperget locum & infirmum Aquabenedicta, dicens: *Afferge me, &c.* & imaginem Crucifixi ægroti tradat osculandam. de quibus meminit Alcuinus cap. antepenultimo; ubi etiam monet,

moner, esse legendas ante morientem Christi Passiones ab Euangelistis scriptas. Et hic ritus quidem est antiquus legendi Passionem Christi coram morituris, ex Actis sanctæ Marthae Virginis, quæ sibi legi, dum obiret, eamdem curauit.

4 Oratio illa, *Commendo te omnipotenti Deo, &c.* tota ad verbum Epistola est, quam Petrus Cardinalis Damiani scripsit amico suo morienti: quæ habetur initio *Tom. tertij Operum eiusdem, reponenda in Tom. 1. lib. 8. Epist. 15. n. 150.* Quod item hoc loco dicitur de tribus atrocissimis tormentis S. Theclæ, illud confirmat Baron. in *Not. Martyrol. 23. Septembbris*, & enumerat ignes, theatrum, & bestias, citatis SS. Patribus; sed non explicat, quoniam in theatro passa sit tormentum distinctum à bestiarum fauibus. In Annalibus anno 47. explicat, eam tauris alligatam fuisse, ut dispergetur. Nominari vero Theclam in agone mortis, sanctus Cyprianus indicat *Oratione pro Martyribus, & in Oratione in die passionis:* quem secuti sunt in hoc eodem ritu SS. Terentius, & socij, tum alij, ut scribit Baron. loco citato.

5 Ceterum fax cum Cruce, præter lectionem Passionis Christi, mirificè iuvant in agone constitutum, ex instituto Apostolico; quæ affuere in obitu sanctæ Marthae Hospitæ Christi, vt refert sanctus Antoninus par. 1. tit. 6. cap. 20. De Crucis affectibus coram moriente agit Tobias noster par. 1. cap. 66. circa finem.

6 Resp. Subuenite Sancti Dei, est antiquum, & habetur in Antiphonario sancti Gregorij.

De Benedictione mensæ & Itinerario Clericorum.

C A P. VI.

1 **Q**uæ frequenter usurpare debet Clericum in genere precum, ea collecta sunt in calce Breuerij pro vsu facilitiori totius Cleri. Inter haec Benedictio mensæ, quæ manè fit & vesperi, opportunum hoc loco habet locum.

2 Originem habet à Christo, qui benedixit, antequam panes quinque distribueret turbis; & in ultima cœna benedixit, fregit, &c. Post cœnam eamdem Hymnum dixit, *Marth. 16. id est Psalmum 113. In exitu Israël de Aegypto*, ut docet Baron. anno 34. ex Rituali Hebræorum in Paschali cœna, quo, morem aliorum secutus, vñsus esse creditur Dominus noster.

3 Si antiquiora queramus, 1. Reg. 9. vbi legimus, *Benedic hostia, Chaldaeus legit, Benedic super cibum.* & Daniel item cap. 14. laudato Deo comedit cibum. Post cibum vero extat preceptum de gratiarum actione *Deut. 8. num. 10.*

4 Apostoli igitur imitati Christum docuere posteros Benedictiōnem mensæ, ut Paulus Timotheum 1. ad eumdem cap. 4. vt exponit locum illum Turrecrem. cap. Non liceat. Dist. 44. S. Athanas. de Sermon. Virgin. Vbi, inquit, federis ad mensam, & incepitis frangere panem, ter eum consignans (hoc est signo Crucis) his verbis gratias age: *Gratias agimus tibi, Pater noster.* & cùm surrexeris à mensa, rursus gratias agendo trinis vicibus dicas: *Miserator & misericors Deus es, dedit timentibus se. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.*

5 Inter

5 Inter Latinos S. Hieronymus ait
Epistola 22. ad Eustochium de Custod.
virginit. nec cibi sumantur, nisi ora-
tione præmissa; nec recedatur à men-
sa, nisi referatur Creatori gratia. me-
minit & Rabanus de Institut. Cleric.
lib. 2. cap. 10. vbi habetur Vers. Edent
pauperes, &c.

6 Eius omissione peccatum est ve-
 niale, ex Nauar. *de Orat. cap. 18.*
num. 43. valet enim ad abigendos
 dæmones, & ad continentiam no-
 stram in cibo & potu, vt ait Chryso-
 stomus *de Fide Annae*; & ad laudan-
 dum Deum pro præsentibus & fu-
 turis bonis, ex Basil. *Epistola 1.* item ad
 delenda peccata venialia gastrimargiae,
 ex Chrysost. *in Psalm. 42.* Iulius Ni-
 gronus *Traict. ascetico 7. cap. 1.* *Incita-*
mento 5. citat Geminianum, qui *in cap.*
Non liceat, obligat Clericos sub mor-
tali ad Benedictionem mensæ, contra
communem tamen opinionem; vt vel
ex hoc videoas, eam non esse negli-
gendam.

7 Porrò formula in Breuiario tradi-
 tum benedicendi, tum gratias agen-
 di, cùm auctorem non habeat, & in an-
 tiquissimis reperiatur Breuiariis, sua
 antiquitate auctoritatem sibi conciliat
 maximam. Clemens *lib. 7. Apostolic.*
Constitut. cap. 48. meminit Orationis
 in prandio distincione: in cœna vero,
 quæ apud antiquiores ieunio deditos
 erat magis in vsu quam prandium,
 Versus ille dicebatur: *Edent pauperes,*
& saturabuntur, &c. imò S. Hiero-
 nimus *in Marc. 14.* vbi de Hymno
 Saluatoris disputat, docet illum vsur-
 passe pro Hymno eundem Versum,
Edent pauperes, &c. ex Psal. 21. qui de
 Passione est totus. Alter Versus, *Me-*
moriam fecit mirabilium suorum, &c.
 quo nos utimur, habet auctorem, vt

suprà dixi, Athanasium. *Oratio, Be-*
nedic Domine nos, &c. habetur fœtè
 tota in libro Sacramentorum Grimol-
 di Abb. num. 126.

8 Solemus ad ea verba prædictæ
Orationis, Domine nos, signare Cruce
nos ipsos; & ad sequentia verba, &
hec tua dona, signare cibos Cruce,
 nempe accepto ritu ab antiquis, qui &
 ante cibum signabant se signo Crucis,
 ex Tertull. *lib. de Corona milit. cap. 3.*
 & signabant ipsos cibos, ex Athanasi.
suprà citato.

9 Geminatur initio vox *Benedici-*
te, Benedicite: quasi inuicem horre-
 mur nos ad benedicendum Domino,
 ex Durand. *lib. 4. cap. ultimo.*

10 Mutatio Versuum pro varietate
 Festorum, sicut & Psalmorum, est op-
 portuna, ab Hebreis deduccta & He-
 bræorum Ritualibus, ex Baron. an-
 no 34. Fit autem mutatio regulariter
 à primis Vesperis Festi, si cœnatur;
 quia à primis Vespere incipit Festum,
 cessatque mutatio, vt in Rubricis
 Breuiarij. hoc est: Versus de Natuitate
 Domini dicuntur hodie in postrema
 recognitione Breuiarij usque ad
 cœnam exclusiū in Vigilia Epiphaniae:
 Versus de Epiphania, usque ad
 cœnam inclusiū diei Octauæ: Ver-
 sus de Paschate, usque ad cœnam ex-
 clusiū Sabbati in Albis: Versus de
 Ascensione, usque ad cœnam inclusiū
 Feriæ 6. post Octauam Ascensionis:
 Versus de Pentecoste, à cœna,
 quæ fit in meridie Vigiliae eiusdem
 (quia Missa Vigiliae habet omnia quæ
 sunt propria Festi) usque ad cœnam
 Feriæ 6. Quatuor Temporum: nam
 in Sabbato post Nonam terminatur
 tempus Paschale. In triduo Hebdo-
 madæ majoris dicuntur Versus ut in
 Breuiario.

11 Du-

11 Dubitarunt aliqui grauissimi vi-
ri, An in benedictione mensæ infra
Octauam Paschatis nihil aliud adden-
dum sit Versui, *Hæc dies*, &c. cùm in
Rubrica habeantur hæc verba, *Dici-
tur tantum Vers. Hæc dies*, sed facile
respondeatur ea omnia dici quæ in pri-
ma Benedictione dicuntur, excepto
Versu & Psalmo propriis Festi Pascha-
lis, iuxta præcedentem Rubricam,
§. *Prædictus modus*, &c. Versus autem
solent in aliis Festis & temporibus,
tum in prandio, tum in cœna multi-
plicari; neque qui dicitur ante men-
sam, dicitur seu repetitur post men-
sam. Solum Paschale Festum hoc ha-
bet, vt non varientur Versus; sed unus
& idem tantum dicatur ante, & post
mensam repetatur, *Hæc dies*. Et hic est
sensus eorum verborum, *dicitur tan-
tum. Quæ particula tantum*, vii dubia,
idcirco delecta est in recognitione po-
strema Breuiarij.

12 Ante Orationem, quæ dicitur
post mensam, *Retribuere dignare*, &c.
non præponitur *Oremus*; quia non
est propriæ Oratio, vt pater ex conclu-
sione, quam non habet, *Per Chri-
stum Dominum nostrum*, &c. & Cle-
mens V IIII. clariorem Rubricam de
hac re adiecit, quæ in textu Pij V. de-
siderabatur.

13 Inter hæc benedicatur Lector, vt
ad mensam legat, qui in triduo Heb-
domadæ maioris non dicit, *Iube Dom-
ine*, nec in fine, *Tu autem Domine*, ob
causas à nobis allatas *Sectione sexta*
cap. 13. num. 11. pag. 123. Quæ etiam
omittuntur vespere ad ientacula brevia
in diebus iejuniorum: in quibus,
qui benedit, aut gratias agit, multa
omittit de communi Benedictione,
aut gratiarum actione, qua in re abun-
dat quisque in sensu suo, & variæ

sunt formulæ Regularium. Rubricæ
Breuiarij nihil præscribunt de hac re;
vt intelligamus, ientacula vespertina
in diebus iejuniorum concedi secun-
dum indulgentiam, non secundum
imperium; & integrum iejunium
Ecclesiasticum non admittere, nisi
vnicam comedionem, quæ in Breuiar-
io vocatur cœna; ad quam adhiben-
tur Benedictio, & gratiarum actio cœ-
næ assignata.

14. De lectione verò quid dice-
mus? Augustinus dicitur auctor le-
ctionis ad mensam à Gemma libro 2.
cap. 63. vt mentes cum corporibus
reficiantur. Iussa fuit ad mensam
Episcoporum ab Eusebio Papa, vt
in Epitome Conciliorum; deinde ad
mensam Sacerdotum à Concil. Nan-
netensi, & Tolet. III. cap. 7. à Gratia-
no relatis Dist. 44. Origenis tempore
fuisse in vsu hanc lectionem, tradit
Hieronymus in Epistola 18. ad Mar-
cellam. In Cœnobii Regularium ad-
hibitam fuisse scribit Basil. in Reg.
bren. Interrogat. 180.

15 S. Bernardus à Radulpho ci-
tatus *Proposit.* 11. curabat legi in
Refectorio libros sacrae Scripturæ,
qui non leguntur in Choro; & post
libros Machabæorum legi quatuor
libros Euangeliorum, dimissis seu
omissis Passionibus: quod postre-
num, meo iudicio, est maximè no-
tandum, & ad maiorem Domini-
æ Passionis reverentiam obseruan-
dum videtur, ob auctoritatem tanti
Patri.

16 Itinerarium post Benedic-
tionem mensæ ad usum Cleri colloca-
tum est in fine Breuiarij; cuius au-
tor est incertus, neque reperitur in
antiquis Breuiarijs. Habetur autem
paulò longius pro itinere Prælatorum

C c in

in Pontificali antiquo, cum Cantico, Antiphona, Versibus, & Orationibus, vna mutata, & altera ante Canticum addita, ut ferè idem sit cum nostro Clericorum Itinerario. Porro Antiphona, Canticum Zachariae, Preces, & Orationes, quarum ultimæ duæ

diuisim habentur in Sacramentorum libro sancti Gregorij, sunt itineri cuiusque faciendo satis accommodatae. Conuenit autem Clerico semper orare, ut itinere suo perueniat ad Deum. Atque hic finis est Breuiarij Romani.

SECTIO DECIMA.

De Cærimoniis ad Horas Canonicas adhibendis.



ORÆ CANONICÆ vel ab uno, vel à pluribus simul, vel extra Chorum, vel in Choro, vel solemniter, vel minus solemniter recitari possunt: quibus modis cùm peculiares accident Cærimoniæ, de his reliquum est ut breuiter agamus.

SECTIONIS DECIMÆ CAPITA III.

- 1 De Cærimoniis in priuata Horarum Canoniarum recitatione.
- 2 De Cærimoniis Horarum Canonica-

rum in Choro recitandarum.
3 De Cærimoniis Horarum Canoniarum
in Choro solemnius recitandarum.

De Cærimoniis in priuata Horarum Canoniarum recitatione.

CAPUT I.

Conuenienter statur ad Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, quia sunt de textu Euangelico; ad Symbolū item Apostolorum, ut ad fidei confessionem promptiores videamus. Item ad Horarum initia, quibus adiutorium diuinum imploramus, & laudem Deo trino tribuimus. Ad Inuitatorium, ne

segnes videamus, dum alios inuitamus. Ad Hymnos, qui sunt laudes Dei solemniores, inter quos *Te Deum* quoque numeramus. Ad Versus quoque Nocturnorum, & post Hymnos, quia iis, ut docuimus suprà, conuertimur & excitamur in Deum. Ad textum Euangeli ante Homiliam, quod per se patet. Ad Capitula, qua sunt breves exhortationes maiorum. Ad Cantica, *Benedictus*, *Magnificat*, & *Nunc dimittis*, quæ vocantur Euangelia. Ad Orationes denique omnes, quibus imme-

immediatè Deum alloquimur (excepto triduo maioris Hebdomadæ) & ad Preces quæ præcedunt.

2 Standum erit tempore Paschali, & in omnibus Dominicis, à primis earum Vesperis ad Antiphonas B. Virginis, quæ dicuntur in fine Officij, ex causis suprà allatis.

3 Ad Psalmos standum esset, vt suprà probauimus Secl. 5. cap. 8. sed plurimi sedent, non pauci partim sedent, partim stant; quia spiritus promptus, caro autem infirma. Ad Lectiones quoque in Officio paruo B. Virginis in Aduento laudabilius statut; quia sunt de Euangelio.

4 Genuflectendum autem erit ad ea verba Inuitatorij, *Adoremus, & procidamus*, vt in Cærimoniali Episc. lib. 2. cap. 6. quod monent eadem ipsa verba. Item ad Preces feriales in Laudibus, Vesperis, & Horis, in diebus nimirum pœnitentiæ dicatis. Item ad Preces in Officio Defunctorū, maioris mœroris gratia. Item in Hymnis ad ea, *Veni Creator Spiritus, Ave Maris stella, O Crux ave spes unica, Tantum ergo Sacramentum*, si coram Sacramento dicitur, ex Cærimoniali Episc. lib. 1. ca. 28. quidam laudabiliter ad ea quoque, *O salutaris hostia: & causæ patent, ad maiorem reuerentiam, qua etiam de causa genuflectimus ad ea in Hymno Te Deum, Te ergo quæsumus, &c.* ex Cærimoniali lib. 2. cap. 5. & 6. Deniq; ad Antiphonas B. Virginis, quæ dicuntur in fine Officij; & ad Orationē Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum, quæ dicuntur in fine Completorij (exceptis Dominicis, & tempore Paschali, vt suprà dictum est) erit genuflectendum.

5 Præterea caput inclinandum erit ad Versum, *Gloria Patri, & Filio, &c.*

ad nomen Iesu, Mariæ, & Sancti de quo Officium recitatur. Item ad *Confiteor, &c.* quod in Prima & ante Cōpletorium dicitur, vsque ad *Miserereatur inclusiū*, ab eo qui dicit, & cui dicitur respectuē, vt in Missa.

6 Signum Crucis adhiberi debet, pollice sibi signando os, ad illud initio Matutini, *Domine labia mea aperies, &c.* vt in Rubricis Breu. de *Matutino tit. 13. nn. 1.* Item manu extensa signando se à fronte ad pectus, & à sinistro humero vsque ad dextrum, cùm dicitur, *Deus in adiutorium, &c.* Item ad Versum, *Adiutorium nostrum*, ante Confessionem in Prima & Completorio, sumpto ritu è Missa, vt tit. 15. dicitur de Prima num. 2. Item ad *Indulgentiam*, vt in Missa; & ad ea in fine Primæ, *Dominus nos benedic;* & in fine Completorij, *Benedicat, & custodiat nos omnipotens, &c.* Aliqui signum Crucis cum pollice formant in pectore ad *Conuertere nos Deus, &c.* quæ omnia causas habent satis apertas, & congruentes. Laudabile quoque est, signum Crucis fieri ad Antiphonam de Cruce in Officio feriali.

7 In Psalmis Gradualibus quæcumque Preces dicuntur flexis genibus, ad mœrem & luctum indicandum; multoque magis hæc genuum flexio congruit Pœnitentialibus Psalmis, Litanis, & Orationibus (quæ tamen Orationes à stante Hebdomadario dicuntur) vt præscriptum est in fine Breuiarij. Ad alia non incongruè sedetur. Percutiunt sibi pectus aliqui ad *Agnus Dei*, sicuti fit in Missa. Benè vero percutiunt ad ea in Confessione, *mea culpa, &c.* vt itidem fit in Missa.

De Ceremoniis Horarum Canonarum in Choro recitandarum.

C A P. II.

Proprios mores vnaquaque habet Ecclesia & laudabiles consuetudines, quas non tolli à Cærmoniali Romano, neq; à Rubricis Breuiarij, səpiùs declarauit sacra Rituuum Romana Congregatio: sed videant Episcopi, ne ita pugnent cum vniuersali Ecclesia, vt peritorum iudicio minus sint laudabiles consuetudines.

2 In Breuiario quatuor tantum, quæ ad hanc rem faciunt, adnotata in Rubricis reperiuntur. Primum est, quod Hebdomadarius clara voce dicat, *Domine labia mea*, &c. initio Matutini Officij, tit. 13 num. 1. Alterum, quod in Precibus ferialibus dicat clara voce totum *Pater noster*, &c. & habetur tit. 32. num. 2. Tertium, quod idem dicat easdem Preces flexis genibus usque ad Versum *Dominus vobisum exclusuē*, circumstantibus genuflexis usque ad *Benedicamus Domino*. Vide tit. 34. num. 4. quæ certè sunt rationi consentanea & communi consuetudini vniuersalis Ecclesiae. Quartum est, quod idem surgat ad Orationem, quæ dicitur post Antiphonam B. Virginis in fine Officij, tit. 36. num. 3. Hæc in Breu.

3 Habentur alia in Cærmoniali Episcoporum ad hanc rem peropportuna: & Primò, quod coram Sacramento Eucharistie sanctissimo stare debent omnes aperto capite ad Horas omnes, lib. 2. cap. 33. vel, si sedeant, caput nunquam cooperiant, puta ad Matutinum, quod ordinariè prolixius est Officium.

4 Standum item erit ad initia Horarum, ad Inuitatorium, Hymnos, Capitula, Responsoria brevia, Versus, Absolutiones, Benedictiones, textum Euangelij ante Homiliam, Cantica Euangelica, Orationes, Commemorationes, & Suffragia communia Sanctorum; item ad Antiphonas finales B. Virginis tempore Paschali, & in diebus Dominicis à primis Vesperis. quod habetur expressè ex Concilio Aurelianensi apud Burchard. lib. 13. *Decret. cap. 3.* & Iuo. lib. 2. cap. 183. & aliàs attulimus propriam causam, ob memoriam scilicet Dominicæ Resurrectionis. Ad ea item in Versibus & Responsoriis, quæ in Euangeliō lecta genuflexionem postulant: ut, *Verbum caro factum est*; & *Procedentes adorauerunt*, &c.

5 Sedendum est ad Lectiones, &, vbi est consuetudo, ad Responsoria & ad Martyrolog.

6 Dubitatio est de Psalmorum cantu: nam varia est consuetudo. Aliqui stant, & hi laudabilius; alij sedent: alij ad Psalmos Matutini & Laudum sedent, ad reliquos stant; alij ad eosdem Psalmos alternativam stant, & sedent. Vnusquisque abundat in sensu suo.

7 Ad Symbolum S. Athanasij, quod dicitur ad Primam, alij stant, alij sedent. Certè laudabilius, siue Symbolum, siue quasi Psalmus ille sit, recitant stantes, ex Decreto S. Rituum Congregationis die 23. Decemb. 1624.

8 Genuflectitur etiam in Choro ad ea, de quibus diximus *superiori capite* num. 4. & 7. & præterea ad *Tu autem Domine*, &c. in fine Lectionum à Lectoribus, ex Cærimon. Episcoporum lib. 2. cap. 6.

9 Inclinatur caput, ut suprà dictum est num. 5. cap. præced. quibus addun-

tus

tur casus alij, vt idem fiat à Lectore dum dicit, *Iube Domne, &c.* versus Hebdomadarium, ab omnibus ad nomen Papæ viuentis, ad Versus sequentes Psalmorum, *Sit nomen Domini benedictum, Sanctum & terribile nomen eius, Benedictus Dominus die quotidie, Benedictum nomen maiestatis, Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus.* quod multis placet. In Completorio ad v. *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, Benedicamus Patrem, &c. Benedictus es Domine in firmamento celi.* Loco-
rum consuetudini standum erit.

10 Signum Crucis sibi adhibent multi, præter ea quæ capite superiore adnotauimus num. 6. ad initium Cantorum Euangelicorum, quia Euan-
gelia sunt: & quidem ad *Magnificat*, idem præscribitur Episcopo in Cæri-
moniali Episcop. *Ioco citato cap. 1.* Quare eadem erit ratio & aliorum similium Cantorum, nisi forte illud præscribatur ratione processionis à se-
de ad Altare, vt, antequam moueatur à sede, munit se Crucis signo; sed primum est verius.

11 Cantores vt plurimū iuxta Cærimoniale Episcoporum cantant Inuitatorium, initia Psalmarum, Ver-
sus, & Responsoria; Hebdomadarius autem primam Antiphonam, Capitu-
la, Antiphonam ad Cantica Euan-
gelica, initia quorumdam Hymno-
rum, & Orationes dicit. Lectiones legunt, qui in Choro sunt, iuniores primas, seniores ultimas, singuli sin-
gulas, ex Cærim. Episcop. *lib. 2. cap. 6.* verū, vt diximus supra, consuetudi-
nes locorum variae & laudabiles non sunt in hoc genere à Cærimoniali Ro-
mano abrogatae.

12 Ratio prædictorum satis patet,

partim ex iis quæ suprà scripsimus
Sect. quinta, vbi de singulis Horarum partibus; partim ex ipsamet consuetudine, quæ est altera lex de re ratio-
nabili & valdè congrua, à saniori parte vniuersalis Ecclesiæ recepta, & diu retenta.

*De Cærimonis Horarum Canoni-
carum in Choro solemnius reci-
tandarum.*

C A P. III.

Q Vatuor ex Horis Canoni-
cis solemnitatem habent in Choro, nempe Matutinum cum Laudibus, vt in nocte Nativitatis Domini; Prima in Vigilia Nativitatis eiusdem, ratione Martyrologij; Vespe-
ræ frequentiorem; & Completorium quandoque in Quadragesima. De his hoc loco singillatim est dicendum, in gratiam eorum præsertim, quibus non est præ manibus Cærimoniale Episco-
porum, seu Canonicorum.

2 Matutinum igitur numquam cum Pluuiali cantatur, ex Cærimoniali E-
piscop. *lib. 2. cap. 6.* quod ad Laudes & Vespertas adhiberi, docent Rubricæ Missal. *tit. 19. num. 3.* sed, dum cantan-
tur Lectiones tertij Nocturni, parat se Celebrans Pluuiali ad legendam no-
nam Lectionem, pro qua accenduntur duo cerei ab Acolythis, parantur duo Cantores cum Pluuialibus; neque re-
cedunt Acolythi, donec tota Lectio fuerit absoluta. Ob reuerentiam maio-
ris stantis, dum legit, stant omnes alij
qui sunt in Choro, Cærim. *ibid. cap. 5.*

3 Ad textum Euangelicum non ad-
hibetur signum Crucis; neque legitur manibus iunctis, sed hinc inde supra
legile positis, seu supra librum, Cæri-
mon. *cap. 5.*

C c 3

4 Qui-

4 Quicumque ille sit qui legit, inferior Episcopo, dicit, *Iube Domine, non Domine;* & secundus in Choro, si maior illo non sit ibidem, profert verba Benedictionis. Quod autem Cærimoniis tribuit Episcopo ratione tanta dignitatis, non debet inferiori tribui, eò quia maiorem in Choro non habeat; alioquin cuilibet maiori de Choro illud idem conueniret.

5 Hymnus *Te Deum* inchoari debet ab eodem Celebrante, nisi alia sit Ecclesiæ consuetudo; sicut etiam Hymnus post Inuitatorium, ex Cærimoniali *loco citato*.

6 Ad cantandas solemniter Laudes eadem omnino fiunt, quæ ad Vesperas solemnies mox dicemus: sunt enim inter se valde similes Horæ.

7 Martyrologium pridie Nativitatis Domini solemnius cantatur: aliqui cum Pluuiali, luminibus & incenso cantantur, sicuti Euangeliū; minus solemniter alij. Illud certè obseruandum ab omnibus est, ut audientes stent usque ad ea verba, *In Bethlehem Iude, &c.* quibus auditis, statim genuflectant, præter Lectorem, usque ad ea, *Nativitas Domini nostri, &c. secundum carnem,* inclusuè. quod & notatum est in nouo Martyrologio. Humiliatio namque Deo usque ad terram, etiam decet nos quam maximè humiliari.

8 Fusiùs de Vesperis solemnibus est dicendum, quæ sapientis ab Ecclesiasticis viris cantantur, & præsertim in Festis Sanctorum Titularium. Paratur autem Celebrans Pluuiali coloris tempori conuenientis, seu Festo, super Cottam sine Stola; & cum eo parantur alij cum Pluuialibus item, duo saltē, qui eidem hinc inde, quando opus est, ministrent. Neque tamen

improbamus Regularium ritum, qui Pluuiale induunt super Amictum, Albam, Cingulum, & Stolam in modum Crucis ante peccatum; quos tamē monemus, ne dicant Orationes ad has vestes, quæ ante Missam dici solent.

9 Procedit Celebrans de Sacristia ad Altare, præcedentibus duobus Acolythis cum candelabris & cereis accensis; quos sequitur solus Cætimonarius, si adest, tum alij de Clero bini, deinde ministri Pluuialibus induiti, postremò Celebrans medius inter duos ultimos Pluuialibus induitos, qui fimbrias anteriores Pluuialis ipsius parumper eleuant: & omnes hi, exceptis Acolythis, opero capite procedunt, Cærim. Episcop. lib. 2. cap. 3.

10 Cum peruerent ante Altare, discedentibus aliis in Chorum, formant quasi lineam rectam, Celebrans, ministri Pluuialibus induiti, & Acolyti: genuflectant omnes, inclinat caput Celebrans (nisi in Altari sit sanctissimum Sacramentum) & paululum orabunt genuflexi, deponentibus interea Acolythis sua candelabra cum cereis extinctis super gradu Altaris laterali, seu piano Cappellæ. Cærimon. *supra*.

11 Surgunt deinde, & facta Altari ut suprà reuerentia, accedunt ad parata scama in cornu Epistolæ, ita ut Celebrans sedeat altius, puluino saltē supposito: vel accedit ille ad primam Chori sedem, in qua poni debet puluinum, & alterum cum tapece super genuflexorium ante eundem positum, super quo erit liber, hoc est, Breuiarium formæ maioris ad usum Celebrantis, vel super legili; quod apponitur, & amouetur, prout opus

opus est. Reliqui parati ibunt ad scanno loco congruenti præparata in plano Chori. Cærim. *vbi suprà.*

12 Sedet ibi Celebrans, stantibus aliis paratis ante eum in plano; mox surgit, & dicit secretò versus Altare *Pater noster, & Ave Maria:* quibus dictis, eleuatur eidem pars dextra Pluuiialis anterior per vicinorem param, seu per Cærimoniarum; & idem ipse signans se signo Crucis morosè, prout verba profert, incipit Vespertas, dicens: *Deus in adiutorium meum intende;* ita vt finiat verba & Crucis signum à fronte ad pectus vñā simul. Cærimon. *loco citato.*

13 Præintonatur Celebranti ab vno ex paratis initium primæ Antiphona, cum debitiss reuerentiis Altari & Celebranti ante & post; qua intonata à Celebrante, & à Choro cantata, si Duplex est Officium, inchoatur Psalmus à Cantoribus, & sedent omnes: aperiuntur capita, & inclinantur profundè ad *psi.* *Gloria Patri, &c.*

14 Cantores præintonant reliquias Antiphonas dignioribus in Choro; & surgentibus aliis ad Antiphonas & initia Psalmorum, Celebrans non surgit. Cærim. *cit.*

15 Finitis Psalmis, Acolythi cum candelabris accensis, ex communi vsu Ecclesiarum Vrbis, & item, qui parati sunt Pluuialibus, accedunt ad Celebrantem cum debitiss reuerentiis. Celebrans post ultimam Antiphonam surgit, & detecto capite cantat Capitulum manibus iunctis; cui unus ex paratis ministris præintonat initium Hymni, quod ille cantat: & sic usque ad finem stat, recedentibus prædictis ad loca sua, Acolythisque candelabra sua deponentibus vbi priùs. Cærimon. idem *ibidem.* Si

initium Hymni continet inuocacionem Christi, vel Dei, Celebrans eleuat & iungit manus, & caput versus Altare inclinat, ex Cærimon. Episcop. lib. 2. cap. 14.

16 Post Hymnum cantatur Versus à duobus ex paratis ministris in medio Chori, seu ante Altare (prout Celebrans sedem habet in Choro, vel in cornu Epistolæ, vt dictum est) quorum alter statim præintonabit Celebranti Antiphonam ad *Magnificat,* & ea intonata, sedent omnes. idem Cærimon.

17 Inchoato Cantico *Magnificat,* surgentibus omnibus, Celebrans facto sibi signo Crucis à fronte ad pectus, ex Cærimon. lib. 2. cap. 1. vadit ad Altare capite tecto, cum inclinationibus ad utramque Chori partem, tum reuerentia Altari debita, medius inter duos paratos, vt suprà (& , si via breuis est, detecto capite ministrorum, & sine Acolythis) ascendit ad Altare, osculatur illud in medio, & mox vertens se ad cornu Epistolæ, ministrantibus nauiculam altero ex paratis, & thuribulum Thuriferario, imponit thus, benedicit, & incensat Altare, eo prorsus modo quo præscriptur initio Missæ in Rubricis Missalis tit. 4. num. 4. & nos diximus Tomo primo.

18 Si aliud Altare est incensandum, puta sanctissimi Sacramenti (quod more Vrbis incensandum est priùs quam Altare ad quod Vesperæ fiunt) seu alterius Sancti pro more locorum, de quo fit Festum, præcedunt Acolythi, & procedunt alij parati, vt initio Vesperarum; & Celebrans ea omnia facit quæ in incensatione Altaris fiunt, excepto quod non imponit rufus incensum in thuribulo, nisi opus sit.

19 In-

19 Incensatione Altaris seu Alta-
rium peracta , sine Psalmo *Diriga-
tur* , &c. reuertantur prædicti cum
debitis Choro reuerentiis ad loca sua;
& Celebrans stans apud sedem suam,
inuitansque sibi viciniorem ad incen-
sationem, ab altero ex paratis incensa-
tur triplici ductu, cum profunda ca-
pitis inclinatione ab incensante facta
ante & post; cui etiam Celebrans mo-
dicum respondeat, Cærim. *suprà*.

20 Thuriferarins inceniat alios de
Choro duplice vnicōve ductu thuri-
boli, prout conuenit , primo saltē in
ordine capite inclinato , & postremo
populum, ut in Missa, in medio, à dex-
tris & à sinistris: cessabit autem incen-
satio initio Orationis, quam incensum
significat, ne figura sit cum figurato,
ait Ruiz in suo Cærimoniali; imò ad
v. *Dominus vobiscum*, ex Cærimon.
Episcop. lib. 2. cap. 1. & ad v. *Gloria
Patri*, conuenit pausam facere, & ca-
put inclinare.

21 Cūm repetitur Antiphona, tunc,
non priùs , sedent omnes , interim
Acolythi cum candelabris accensis ,
& ministri parati accedunt ad Cele-
brantem, qui, finita Antiphona , sur-
git cum aliis , & aperto capite , Aco-
lythisque stantibus, versa facie ad in-
uicem , stans Versus Altare iunctis
manibus cantat v. *Dominus vo-
biscum*, *Oremus*, & Orationem , seu

Orationes pro Commemorationibus:
iterū subdit, *Dominus vobiscum*, &
demiſſiore voce, *Fidelium anime*, &c.

22 Nam duo ex ministris paratis
vbi Versum cantauerunt, ibi cantant
alta & plena voce *Benedicamus Do-
mino*: quo dicto , redeunt ad Cele-
brantem.

23 Si discedendum est à Choro,
dicitur Antiphona B. Virginis pro
qualitate temporis; & in fine eiusdem
Celebrans addit stans demiſſiore vo-
ce Orationem & v. *Divinum auxi-
lium*: & tandem discedit cum iisdem,
quibuscum, & eodem modo quo ve-
nerat, in Sacristam, Cærimon. *suprà
cap. 3.*

24 Incensationis Altaris ad Vespe-
ras meminit Amalarius lib. 4. cap. 7.
de Eccles. Officiis. & Psal. 140. ha-
betur: *Sicut incensum sacrificium ve-
spertinum*.

25 Pro Completorio solemini ritu
cantando hæc adnotanda erunt , ex
Cærim. Episcop. lib. 2. cap. 4. Orga-
num admitti potest; ad Hebdomada-
rium spectat dicere , *Noctem quiet-
am*, &c. *Adiutorium*, &c. *Pater
noster*; item Confessio , & Absolutio
vñque ad *Deus in adiutorium*, &c. in-
clusiū; Capitulum, Oratio, & Ver.
Benedic nos omnipotens, &c.

Nulla tamen fiat incensatio Altaris
ad Canticum *Nunc dimittis*.

LAVS DEO, ET B. VIRGINI.

NOTV-

N O T V L A
Q V O R V M D A M V E R B O R V M ·
D V B I O R V M I N B R E V I A R I O R O M A N O ,
nimirum qua ratione sint legenda.

*Debitor omnibus, etiam rudioribus è Clero, Notulam subiicio,
quam promisi Sect. i. cap. 5. tit. 5. num. 5. pag. 9. eorum nempe
verborum, quæ in prolatione varium habent accentum, &
habentur in Breuiario.*

I N A N T I P H O N I S .

Adonaïi, trisyllabum est, non quatuor syllabarum.

<i>Producuntur hec,</i>		<i>Corripitur,</i>
<i>emanat,</i>	<i>intueris,</i>	<i>cyclade.</i>
<i>excidit,</i>	<i>proclamat.</i>	

I N P S A L M I S .

<i>Productio,</i>		<i>Corripito,</i>
<i>Abiron,</i>	<i>irritat,</i>	<i>amoue,</i>
<i>compeditos,</i>	<i>morticina,</i>	<i>palpebrz,</i>
<i>hyssopo,</i>	<i>trucident.</i>	<i>reueriti,</i>
		<i>circumdate,</i>
		<i>transmigra.</i>
		<i>nycticorax,</i>

I N H Y M N I S A N T I Q V I S E T N O V I S .

<i>Longa sunt,</i>	<i>Brenia,</i>	<i>Produc</i>
<i>compage,</i>	<i>eremus,</i>	<i>tenebræ, si in medio versus est.</i>
<i>compago,</i>	<i>madere,</i>	<i>Nox, & tenebræ, & nubila.</i>
<i>decora,</i>	<i>melodis,</i>	<i>Eodem modo produc celebrat.</i>
<i>decore,</i>	<i>teleget.</i>	<i>Huius celebrat annua.</i>
<i>decorus,</i>	<i>remouens.</i>	

I N L E C T I O N I B V S .

<i>Brenem habent penultimam,</i>		
<i>Abaron,</i>	<i>Atrebati,</i>	<i>beneplacens,</i>
<i>adamantinos,</i>	<i>aufugit, in Feste S. An-</i>	<i>carbasini,</i>
<i>Alcimus,</i>	<i>tonij.</i>	<i>Casleu,</i>

D d

C a-

Catanae,	Erioch,	Macedo,
cedrina,	erutus,	Madaba,
circumdatus,	esurit,	Numenius,
commigrat,	euomat,	obruti,
compedem,	Eupoleum,	Parmenam,
complacet,	excoquam,	polymitam,
chrysoprasus,	exilis, & exultas,	præpedit,
cypressina,	Gazara,	præpotens,
Datheman,	Hirtacus,	præuidens,
deforet,	hyacinthini,	fardinis,
denatar,	Iasonem,	sepelis,
diruta,	immorans,	smaragdinæ,
Dorotheo,	impetur,	succinis,
ebbit,	infremat,	lycomorum,
Ecbatanis,	ingrauant,	transilit,
edocet,	inito,	vaticinans,
elate palmarum,	irrigans,	ventiles,
emicat,	Lacedæmonas,	venumdati.
emori,	<i>Longam econtrâ,</i>	
Abobi,	eradicans,	perseuerans,
accitum,	Euphraten,	petitus,
Acrabatane,	exiles preces,	Phœnicis,
appetitor,	ferimur in cunctis,	podere,
Arphaxad,	Gargani,	præfocant,
asseuerans,	Garizim,	quæreris, in Oœ. Innoc.
Berean,	Heliodorum,	redona,
Bethsuram,	idoli,	Salomi,
cecidit flagellis,	impubes,	subrepat,
caligat,	inclama,	suffocant,
calumnieris,	indicens,	textrinum,
Chæreas,	infidæ,	Theodulus, sed commu-
collidunt,	infidos,	niore loquendi vñ cor-
compagum,	infigunt,	ripitur, quem libentius
conditum sale,	intuere,	sequimur.
confide,	inundatus,	Thessalonicae,
contribules,	inuolucra,	tiaris,
eratere,	litura,	triturans,
Daria,	locupletem,	trucidat,
Darius,	lupanar,	vectigal,
deprauant,	molinur,	videris, in Feria s. Cæ-
Elicorum,	Nicanor,	na Domini.
elucet,	obrepat,	vinciret.
enutrit,	perscrutans,	

Com-

Communem habent panultimam,
accersit, anathema, arcessitur, torcular.

Uſu tamen communiori primum producitur, uti quartæ coniugationis, alterum longatur; tertium corripitur, uti tertia coniugationis, ab arcesso; quartum corripitur, quidquid dixerit Priscianus. Vide Calepinum.

IN RESPONSORIIS.

<i>Longa sunt,</i>		
allide,	cremi,	poderis,
atierteris,	Galaaditum,	venumdetur.
comparet puer,		

IN ORATIONIBVS.

<i>Longa sunt,</i>		
Dariæ,	Luciæ,	Theodori.
Dorothæ,	Soteris,	
<i>Brenia sunt,</i>		
Achillei,	Naboris,	Timothei.
Epimachi,	Nerei,	

Agapiti longum est, sed uſus communior habet, ut corripiatur panultima.

Theoduli, ut suprà dictum est.



MARTYROLOGII

NOMINA

DVBIÆ PRONVNTIATIONIS

Ordine Alphabetico collecta

Iuxta Regulas peritiorum Grammaticorum, ad vni-
formem vsum Clericorum Regularium S.Pauli.

A

Producuntur in pænultima,



Aron,	Amasea,	Archimini,
Abdarameni,	Amasias,	Ardalionis,
Abdia,	Amastride,	Arelate,
Abdieſo,	Ambiani,	Argei,
Aberdone,	Ammonis,	Argentorati,
Absalonis,	Amphiani,	Arginonis,
Acuti,	Anachorita,	Arinæ,
Adauci, <i>trifyll.</i>	Ananiae,	Aristei,
Aderiti,	Anathalonis,	Aristide,
Adiuti,	Ancyræ,	Aristobuli,
Adonis,	Anderlaci,	Aristonici,
Adrionis,	Andronici,	Arphaxad,
Adrumeti,	Annonis,	Artemonis,
Ægea,	Anfano,	Aſcalone,
Ægina,	Anteri,	Athanaricus,
Agabi, <i>sed communior vſus breuiat.</i>	Anthia,	Athenodori,
Agapiti, <i>sed vſus cor- ripit.</i>	Anthusæ,	Atinæ,
Agathodori,	Antifiodori,	Audacis,
Agathonicæ,	Apameæ,	Audoëni,
Agathonici,	Aphraatis,	Auenione,
Agathonis,	Apphiani,	Augustoduni,
Agilei,	Aquileiæ,	Auiti,
Aidani,	Aratoris,	Aulonam,
Altini,	Arbele,	Auxani,
	Arbonam,	Azadane,
	Archelai,	Azariæ.

Cor.

Corriuntur in pænultima,

A Bachum,
Abedechalas,
Abibi,
Abulæ,
Acepimas,
Achillei,
Acindini,
Adrianopoli,
Æquicolis,
Æthiopis,
Agapes,
Agathocliæ,
Agathopi,
Agathopodis,
Agathopolis,
Aithala,
Alemundaro,
Alodiæ,
Ambici,
Ameriaæ,
Amidæ,
Amisi,
Ammia,
Ampeli,

Amphionis,
Amphipoli,
Anagniæ,
Anaftasiopoli,
Anatoliæ,
Anauniæ,
Andaniæ,
Andegaui,
Andeoli,
Anisum,
Antigoni,
Anthimi,
Antinogene,
Antinoopoli,
Antinoum,
Antiochi,
Antiochiæ,
Antipatre,
Antipæ,
Anyciæ,
Apphiæ,
Arabracos,
Ararath,
Arausicæ,

Aretæ,
Argentomacho,
Argymyri,
Argyropoli,
Arimini,
Aristionis,
Aristomis,
Artoclis,
Asaphi,
Asclepiadis,
Asclepiodoti,
Asculi,
Asincreti,
Asteriæ,
Astyagis,
Athenogenis,
Atrebati,
Attalæ, Attali,
Attici,
Auguli,
Austregisylfi,
Autonomi,
Auximi,
Azades.

B

Producuntur,

B Abuci,
Baiocis,
Baldomeri,
Barcinone,
Basilei,
Bauonis,
Beatrix,

Bennonis,
Benosi,
Beronici,
Beryti,
Bessarionis,
Biblidis,
Birini,

Bisuntino,
Boniti,
Bonosæ,
Bretannionis,
Briuate,
Brixinone.

Corripiuntur,

B Abylæ,	Bauaros,	Bituricas,
Baiuli,	Baudelij,	Bracari,
Barbeæ,	Begabar,	Braulio,
Barlaam,	Bellouaci,	Brincolam,
Barsabæ,	Beniamin,	Bulgaria,
Barula,	Bethlehem,	Burdigalæ,
Bafoli,	Bianoris,	Burgandoforæ.
Batauos,		

C

Producuntur,

C Abilone,	Carnoti,	Compages,
Cæsareæ,	Casimiri,	Compluti,
Cainone,	Celenæ,	Cononis,
Calaminæ,	Cenomanos,	Copretis,
Calanici,	Cerealis,	Corcyrae,
Callinicæ,	Cesenæ,	Corebi,
Callinici,	Charactere,	Cortynæ,
Calocen,	Charitinae,	Cratonis,
Caloceri,	Charitonis,	Crescentionis,
Calogeri,	Chersonesum,	Crispini,
Calybitæ,	Christetæ,	Crotatis,
Cameraci,	Chronionis,	Cucufam,
Canion,	Cindei,	Cucuphati,
Canuti,	Clatei,	Cyrenæ,
Capitonis,	Cleonici,	Cyrini,
Caralis,	Clodoueus,	Cyron,
Carduetum,	Comanæ,	Cyronis,
Carmelo,	Comanos,	Cythini.

Corripiuntur,

C Abade,	Caria,	Castuli,
Canici,	Carpophori,	Catanæ,
Calliope,	Cartæ,	Caucoliberi,
Callistrati,	Casdoë,	Centula,
Cappadocis,	Cassiope,	Cereri,
Cappadox,	Castoris,	Chæremonis,

Chal-

Chalcedone,	Cobade,	Ctesiphon,
Chaleide,	Cochleis,	Cucumeris,
Chosroe,	Concitus,	Curcodomi,
Chrysophori,	Copronymo,	Curonoti,
Chrysoteli,	Cordubæ,	Cynici,
Cilicino,	Cordulæ,	Cyreniæ,
Classici,	Cottidi,	Cyriaca,
Cleomenis,	Crispuli,	Cyriaci,
Cleophae,	Cronidæ,	Cyzici.
Climaci,		

D

Producuntur,

D Afroæ,	Diomedis,	Donuina,
Dariæ,	Dione,	Dorotheæ,
Decapolitæ,	Domnino,	Droctouei,
Derphuta,	Domnionis,	Dragonis.
Diodori,		

Corripiuntur,

D Aphniticam,	Dioclis,	Domnoli,
Deicolaæ,	Dioscori,	Dorostori,
Democriti,	Dioscoridis,	Dorothei,
Diaconia,	Dirutæ,	Driziparae,
Didymus,	Diutino,	Dunaam.

E

Producuntur,

E Boraci,	Epicharidis,	Euagri,
Ebreduni,	Epiæteti,	Eubuli,
Ebroinus,	Epiro,	Euclidi,
Edeffena,	Epistemis,	Euprepitis,
Ediltrudis,	Eremum,	Euthaliæ,
Emerici,	Erici,	Eutychetis,
Emmerami,	Ermini,	Euualdorum,
Epaphroditi,	Erotheidis,	Euxinum.
Ephebi,		

Cor-

Corripiuntur,

E Boræ,	Emmaus,	Eumeniaæ,
Ebroicis,	Emmeliaæ,	Eunomia,
Edgari,	Engratidis,	Euoreæ,
Edithæ,	Ennathæ,	Euphemiaæ,
Eleazari,	Eobano,	Euphrasia,
Elesbaan,	Epagathi,	Euphrosynæ,
Eleuchadij,	Epaphra,	Eupori,
Eleutherij,	Epheſi,	Euprepio,
Eleutheropoli,	Epidimia,	Eustoliaæ,
Elphægi,	Epimachi,	Eutropiaæ,
Elpidephori,	Erotidis,	Eutychen,
Elpidiphoro,	Eugenij,	Eutychis,
Emeritæ,	Eugraphi,	Exprobrans,
Emesam,	Eulaliaæ,	Exuperia.
Emilæ,	Eumeni,	

F

Producuntur,

F Ainæ, trisyll.	Ferentini,	Frigdiani,
Faronis,	Ferrutionis,	Furſei.
Fausinæ,	Fredesuuindæ,	

Corripiuntur,

F Æſulis,	Feliculæ,	Fidoli,	Fuscui.
Fandilæ,	Ferreoli,	Fruſtuli,	

G

Producuntur,

G Abdelæ,	Gaugericæ,	Gifleni,
Galationis,	Gedeonis,	Godefridi,
Galgani,	Geiferico,	Gortinæ,
Galionem,	Genouefæ,	Guleti,
Gandauj,	Gereonis,	Gundenis,
Gargano,	Gertrudis,	Guriæ.
Gaualis,		

Cor-

Corripiuntur,

G Alatæ,
Geldubæ,
Gemini,

Gerasimi,
Germanici,
Glaphyræ,

Goaris,
Gratianopoli,
Gudeliæ.

H

Producuntur,

H Elimenæ,
Heliodori,
Helconidis,
Henedinæ,
Heraclea,
Heraclidis,

Herenæ,
Hermetis,
Hermolai,
Herodionis,
Herois,
Heronis,

Hieronidis,
Hiltrudis,
Hippone,
Homeritas,
Hunnerico,
Hygini.

Corripiuntur,

H Adrianopoli,
Heduuigis,
Helenæ,
Heleni,
Helenopoli,
Heliopoli,
Heraclæ,
Hebiboli,

Hermagoræ,
Hermiæ,
Hermocratis,
Hermogenis,
Hermyli,
Hernicis,
Herundinis,

Hierapoli,
Hierotheci,
Hilari,
Hispani,
Homoboni,
Homoüsij,
Horicos.

I

Producuntur,

I Aderis,
Iæ, *disyllabum*.
Iberos,
Idolum,
Iouini,

Iraidis,
Irenes,
Irenionis,
Irminaæ,
Ischirionis,

Isidori,
Ismaëlis,
Iudoci,
Iuentini.

I Afone,
Illiberi,
Illitus,

Illyrico,
Ingenis,
Iosaphat,

Isauria,
Isaurici,
Italicæ.

Pro-

L

Producuntur,

L Ambese,
Laodiceæ,
Lapicidinæ,
Lauduni,
Lautonis,
Lebetem,
Legionem,

Leobini,
Leocatae,
Leonidis,
Leontinos,
Leutfridi,
Lacione,
Liliostæ,

Limniotæ,
Lisuino,
Littei,
Luciæ,
Ludgeri,
Lupanar,
Lupicini, Lybeti.

Corripiuntur,

L Ampsaci,
Lauriaci,
Lemouicis,
Leocadiæ,
Ligeris,

Lingonas,
Liobæ,
Liparam,
Lucioli,

Lycia,
Lysania,
Lyria,
Lysimacho.

M

Producuntur,

M Achuti,
Madauri, *trisyll.*
Magini,
Magnericæ,
Maioli,
Maiumæ,
Manneæ,
Manuclis,
Manutha,
Marcas,
Maronis,
Marotæ,

Maruthæ,
Maturi,
Mauimeni,
Mederici,
Melitinæ,
Melliti,
Menedemi,
Menei,
Menelei,
Menodora,
Meslanae,
Metrani,

Meuris, *disyllabum.*
Milcui,
Milleduno,
Miniatis,
Miropletis,
Misaelis,
Misenatis,
Monothelitas,
Mosei,
Moyletis,
Myronis.

Corripiuntur,

M Acedonis,
Maiorici,
Malaiæ,
Manahen,
Mandalis,
Mappalici,
Marcianopoli,

Matoli,
Martulæ,
Massiliae,
Massili,
Mauli,
Memnonis,
Meruli,

Metrophanis,
Miropis,
Mopsuestiaæ,
Mustiolæ,
Mutalæ,
Mutinæ.

Pro-

N

Producuntur,

NAmphanionis,
Nannete,
Narbone,
Narslei,
Narsfetis,
Naualis,
Nemaus*i*, *trisyllabum.*

Neocæfareæ,
Neonis,
Niceratis,
Nicetæ,
Nicomedes,
Niconis,
Nillamonis,

Nonnosî,
Nouioduni,
Nouiomi,
Nouocomi,
Nunilonis,
Nymphodoraæ.

Corripiuntur,

NAboris,
Narniæ,
Nartali,
Nataliaæ,
Neomisiæ,
Neophyti,

Neopoli,
Nerei,
Nestabi,
Nestoris,
Nicanoris,
Nicephori,

Nicopoli,
Nicostrati,
Nilopolis,
Nifibi,
Norico,
Noricos, Numidico.

O

Producuntur,

ODilonis,
Odonis,

Oláui,
Oppetiere,

Orthonam,
Ozias.

Corripiuntur,

OBduliaæ,
Obrutus,
Oceanî,

Olympiadis,
Onesimi,
Onesiphori,

Oriculi,
Othiliaæ,
Othmari.

P

Producuntur,

PAlatiatis,
Palmyraæ,
Pantaleemonis,
Papiæ, *urbis nomen.*
Paramonis,
Parasceues,
Pastoris,
Pausidis,
Pelignis,

Peronæ,
Philethi,
Phileas,
Philonis,
Photidis,
Piatonis,
Pictauis,
Pinyti,
Piperionis,

Platonidis,
Pæmonis, *trisyll.*
Pollionis,
Pomeranis,
Popponis,
Potamionis,
Potiti,
Promoto.

Corripiuntur,

PAlæmonis,
Pamiæ,
Pamphili,
Pantagape,
Pantagathi,
Pantheon,
Papiæ, *viri nomen.*
Papyli,
Paridis,
Parmenæ,
Passicratis,
Patrobæ,
Patrocli,
Peleus, *trisyllabum.*

Pentapoli,
Pergami,
Petragorics,
Philadelphia,
Philemonem,
Philologi,
Philomeni,
Philonomi,
Philoteri,
Philothei,
Philumena,
Podagra,
Polyboti,
Polyxena,

Pompeipoli,
Pontici,
Potamiæ,
Priami,
Prochori,
Propontide,
Proïdocino,
Protolici,
Protogenis,
Prusiade,
Ptolemaide,
Pupuli,
Putcolis.

Producuntur,

QVerani,
Quintilis,
Quoduultdei.

Q

Corripiuntur,
QViriacus,
Quirici.

R

Producuntur,

RAithi, *disyllabum.*
Ratisponæ,
Reate,

Recharedo,
Resina,

Rhinocoloræ,
Ruthenos.

Corripiuntur,

RAyphi,
Rhaidis,
Rhedones,
Rhedenis,

Rhotomagi,
Ripsimis,
Rosalia,

Rosula,
Ruderici,
Rutuli.

S

Producuntur,

SAbelis,
Salaminæ,

Salone,
Samone,

Samosateni,
Samsonis,

Sau-

Sauini,	Sobelis,	Stratonis,
Securi,	Solochani,	Stylitæ,
Seduni,	Solodori,	Suaderi, <i>trisyll.</i>
Serapionis,	Sophoniae,	Sueuos, <i>trisyll.</i>
Seruidei,	Soteris,	Sulcitana,
Sidone,	Spiridionis,	Sulmonæ,
Sinaitæ,	Stacteo,	Suuithuni,
Sigidoni,	Stratonici,	Synope,
Sinuelfe, <i>trisyll.</i>	Stratonicus,	Syracusis, Syriani.

Corripiuntur,

S agaris,	Scubiculi,	Sinai,
Sandali,	Scythopoli,	Sopatræ,
Santonas,	Secundolus,	Sosipatris,
Sapore,	Sedophæ,	Sosthenis,
Sarcophagum,	Senonas,	Sozopoli,
Sarmatz,	Sequani,	Styriaci,
Satalis,	Serapiæ,	Sueßione,
Satellico,	Serapidis,	Sueßiones,
Saturi,	Sergiopolis,	Symmachii,
Saulæ, <i>trisyll.</i>	Serotinæ,	Syncleticæ,
Saxones,	Sibpoli,	Synnadæ,
Sconaugiaæ,	Silarum,	Syntiches.

T

Producuntur,

T arracinam,	Theodulus, <i>vñ tamen corripitur.</i>
Tarracone,	
Tationis,	Theonas,
Taurionis,	Theoprepidis,
Terdone,	Theotimi,
Thaguræ,	Theffalonicæ,
Thamelis,	Theusæ,
Theani,	Thomaidis,
Thecusæ,	Thraseæ,
Thmuis, <i>disyllabum.</i>	Thrasonis,
Theodoræ,	Tigidis,
Theodori,	Timolai,

Corripiuntur,

Tarbula,	Tendinem,	Thebaide,
Tammarus,	Tenedo,	Thecue,
Telesphori,	Tharaci,	Themistoclis,

E e 3 Thco-

Theodotī,
Theogenis,
Theophanis,
Theophilī, Theopoli,
Theotici,
Thmūeos, *trisyll.*
Tibure,

Timothei,
Totila,
Transaquis,
Treuiris,
Trichinas,
Tripodis,
Tripoli,

Triphitæ,
Troadem,
Trocleas,
Trophimi,
Turonico,
Turonis,
Tychici.

V

Producuntur,

VAlencenas,
Varadini,
Vasione,
Velinum,
Venafrum,
Verani,
Verenæ,
Vesontione,
Vestinis,

Vičuri,
Vindecino,
Vindemialis,
Virodunum,
Vldarici,
Vlyssipone,
Vncinis,
Vsthazanes,
Walerici, *tetrasyllab.*

Walfridi,
Wenceflai,
Wenefridæ,
Werdam, *disyll.*
Willeadi,
Willebaldi,
Winoci,
Wironis.

Corripiuntur,

VArici,
Versiaco,
Veruli,
Victorici,
Vitalici,

Viuentioli,
Vpsali,
Vtica,
Wandalicæ,
Wandalis,

Wandregisili,
Wintonia,
Vzali,
Vzecia.

Z

Producuntur,

ZAnitæ,
Zenaidis,
Zenonis,
Zoës, *disyll.*

Corripiuntur,

ZEtici,
Zosimi,
Zotici.

ORDO

ORDO PERPETVVS
OFFICI I DIVINI
RECITANDI,

Iuxta Rubricas Breuiarij Romani, CLEMENTIS VIII.
& URBANI VIII. auctoritate recogniti,
& Commentaria in easdem.

L V D O V I C O
C A R D I N A L I
L V D O V I S I O,

Qui Vaticanæ purpuræ lucem impertit,
& mutuo recipit,

Cui inter ultima numerandum
Pont. Max. Nepotem fuisse,

Adeò propriis meritis effulgenti, Prudentia,
rerum maximarum agendarum solertia
incomparabili,

Perpetuo Virtutis melioris cultori,

Perpetuum sacri Officij recitandi Canonem,

De Congreg. Cler. Regul. S. Pauli optimè merito,

*Bartholomaeus Gauantus, eiusdem Cong. minimus alumnus,
sociorum nomine D. D. D.*

THEODORUS
O H E I C I - I D I V A I N T
E A S I T A M I G

AVISSE A U T I L
C O M M U N I C A T I O N

L A D O A I C O
C A R D I N A L I
L A D O A I S I O

C O M M U N I C A T I O N
G E R M A N I C A

C O M M U N I C A T I O N
P O R T U G A L I C A

A Y O P P O R T U G A L I C A
I C O N I C A
I N D I A N I C A

T E L E S O N A U T I C I S M E J O I N C O R T O N

T E L E S O N A U T I C I S M E J O I N C O R T O N

D E C O M B R E C H I L D E R T H O M O L Y N G H A M

C O M M U N I C A T I O N
G E R M A N I C A

D E C O M B R E C H I L D E R T H O M O L Y N G H A M



X P E D I T , non modò ad praxim tradendam eorum rituum , quos in Commentariis ad usum communiorum complexi sumus , verum etiam ad uniformem usum totius Ecclesiæ Romanæ stabilendum , describere Ordinem perpetuum Officij diuini recitandi ; quo doceatur Clerus in dies quæ præsertim mutationi sunt obnoxia in Calendario Breuiarij Romani : nam mediocriter peritus , quo cum loquimur , non eget nisi quibusdam indicis mutationum ; cetera nouit ipse .

Adnotamus igitur in hoc Ordine perpetuò Festa mobilia à Dominica Septuagesimæ usque ad Festum Corporis Christi inclusuè ; Dominicæ , quæ quotannis dieni mensis mutant ; Officia beatæ Mariæ in Sabbato ; Translationes Festorum de Sanctis ob Festa mobilia , seu Dominicæ ; Vigilias anticipandas in Sabbato ; initia librorum legenda extra suum diem , & Homilias quasdam ; Responsoria primò ponenda , & Commemorationes in concursu difficiliores , non ita trietas ut omnibus pateant : adiecimus etiam his notis (O. D.) Officium Defunctorum pro prima die mensis , ne irrepat obliuio : denique , quando mutatur Tabula in anno Bissxtili , opportunè patet .

Qui verò Calendaria quotannis describunt ad usum particularium Ecclesiæ , idem nobiscum notare debent , additis propriis Sanctis locorum , iuxta Decretum sacræ Rituum Congregationis nuperrimè editum , seu eorum translationibus , reliquis omnino non mutatis : quod idem fiat , si post hanc nostram editionem addantur à Summis Pontificibus alia Sanctorum Festa .

Pro usu eiusdem Ordinis perpetui

Duo sunt necessaria . Primum est , ut initio anni inuenias Tabulam propriam eiusdem , quam tibi dabit vel Tabella perpetua , vel Tabella temporaria usque ad annum 2000 . & ea inuenta , notabis , plicato saltem eiusdem folio , ne de ea dubitare contingat deinceps eo anno . Alterum est , ut semper recites iuxta Calendarium & textum Breuiarij , hoc est , de Festo , vel Octaua , vel de Feria . Quod si mutatio fiat (quæ sola notatur in Ordine perpetuo) tunc recitabis Officium iuxta notata in Ordine perpetuo . Verbi gratia , anno 1632 . Tabula est 22 . usque ad Festum S. Mathiæ , & quia annus Bissxtilis est , deinceps erit Tabula præcedens 21 . Die verò prima 2. 3. 4. usque

Ff

ad

ad 11. Ianuarij Officium recitabis vt in Calendario, & textu Breuiarij. Die 11. accidit mutatio: nam eo die fit de Dominica 1. post Epiph. iterum à die 11. vsque ad 18. recitabis vt in Calendario. Die vero 18. adest mutatio: fit enim com. Dom. 2. in Festo S. Petri.

Verba sunt detruncata ad breuitatem, sed intellectu facilia. Verbi gratia in Tab. 1. 11. Dom. 1. post Epiph. com. Oct. & Hygin.] Hoc est: die undecima Ianuarij fit Officium de Dominica 1. post Epiphan. quæ est infra Octauam eiusdem, fit commemoratione Octaua, & S. Hygini.

Item, 14. Fer. 4. de Dom. 2. post Epiph. com. Felicis. (O.D.)] Hoc est: die 14. Ianuarij non fit de S. Hilario, sed de Dominica 2. post Epiphaniam, vt de ea fiat ante Septuag. & fit com. S. Felicis in Pincis. Dicitur Officium Defunctorum: hoc est, pridie dicuntur Vesperæ, in Missa vero Dom. 2. dicitur secunda Oratio, *Fidelium*, tertia S. Felicis. Festum S. Hilarij transfertur in diem 23. Ianuarij; vt in eadem Tabula.

Item, in mense Nouembris eadem Tabula 1. 1. Dom. 25. 1. Novemb. 4. Epiph. com. Dom.] Hoc est: prima die mensis Nouembris, quæ est Dominica 25. post Pentecosten, & prima Nouembris, & quarta dicitur Epiphanie; translata, fit de Festo omnium Sanctorum cum commem. Dominicæ 4. post Epiphaniam; cuius Euangeliū, Antiphona ad *Benedictus*, & Oratio dicuntur, &c.

Item, *Dominica vacat*.] Hoc est: nihil fit de Dominica, quæ eadem die non habet Officium: quod accidit tantum à Natiuitate Domini usque ad Epiphaniam & Octauam eiusdem inclusiū, si Octaua incidat in Dominicum diem.



TA

TABELLA COMPVTI PERPETVA.

Epact. xxij. Litt. Dom. Tab.

xxij.	D	1
xxj.	E	2
xx.	F	3
xix.	G	4
xviij.	A	5
xvij.	B	6
xvj.	C	7
xv.	D	8
xiv.	E	9
xij.	F	10
xij.	G	11
xj.	A	12
x.	B	13
ix.	C	14
vij.	D	15
vij.	E	16
vj.	F	17
v.	G	18
iv.	A	19
iij.	B	20
ij.	C	21
j.	D	22
*	E	23
xxix.	F	24
xxvij.	G	25
xxvij.	A	26
25. xxvj.	B	27
xxv. xxiv.	C	28
	D	29
	E	30
	F	31
	G	32
	A	33
	B	34
	C	35
	D	36

Vare igitur primò Epactam currentis anni, quam reperies in Tabulis Breuiarij perpetuis, siue temporatiis: deinde quare litteram Dominicalem eiusdem anni, quæ facilè lecit, initio Ianuarij: tum quare eamdem litteram Dominicalem in hac Tabella Computi perpetua, quæ infra Epactam anni primò occurrit, & è directo eiusdem litteræ Dominicalis inuenies numerum Tabulæ quam desideras. Exemplum.

Anno 1632. est Epacta viij. & littera Dominicalis D. Quare litteram D, infra Epactam viij. & inuenies numerum è directo 22. & Tabula 22, tibi deseruiet anno 1632.

In anno Bissextili, quia sunt duæ litteræ Dominicales, prior est sumenda cum numero Tabulæ è directo posito, usque ad diem 23. Febr. deinceps posterior: & sicuti sumitur littera præcedens Dominicalis, ita præcedentem Tabulam adhibebis usque ad finem anni. Exemplum.

Anno Bissextili codem 1632. duæ litteræ Dominicales sunt D. & C. Sumes cum littera D. Tabulam numero 22. usque ad diem 23. Februarij, ut diximus; deinde cum alia littera C. præcedenti, Tabulam præcedentem numero 21. usque ad finem anni.

Notandum quoque est, quòd si littera Dominicalis è directo Epactæ currentis inueniatur, ea omittritur; & sumenda est eadem littera Dominicalis proximè inferior infra Epactam: & est regula generalis, & certa, ut sumantur semper littera quæ est infra Epactam.

Et idem fiat in duabus litteris anni Bissextilis, ut semper sumantur litteræ Dominicales, non in linea æquali Epactis, sed in linea proxiimè inferiori; ne scilicet Paschæ celebremus cum Iudæis: ut videre est in Tabella temporaria anno 1632. 1652. 1656. 1676. & similibus.

T A B E L L A
T E M P O R A R I A
P R O O R D I N E
D I V I N I O F F I C I I
R E C I T A N D I

**Ab anno 1631. usque ad annum
Iubilei 2000.**

Anni Dñi.	Litt. Dom.	Epa- ctæ.	Tabu- la.	Anni Dñi.	Litt. Dom.	Epa- ctæ.	Tabu- la.
1631	E	xxvij	30	1649	C	xvj	14
1632	D C	vij	22 21	1650	B	xxvij	27
1633	B	xix	6	1651	A	vij	19
1634	A	j	26	1652	G F	xix	11 10
1635	G	xij	18	1653	E	j	23
1636	F E	xxiij	3 2	1654	D	xij	15
1637	D	iiij	22	1655	C	xxiij	7
1638	C	xv	14	1656	B A	iv	27 26
1639	B	xxvi	34	1657	G	xv	11
1640	A G	vij	19 18	1658	F	xxvj	31
1641	F	xvij	10	1659	E	vij	23
1642	E	xxix	30	1660	D C	xvij	8 7
1643	D	x	15	1661	B	xxix	27
1644	C B	xxj	7 6	1662	A	x	19
1645	A	ij	26	1663	G	xxj	4
1646	G	xij	11	1664	F E	ij	24 23
1647	F	xxiv	31	1665	D	xij	15
1648	E D	v	23 22	1666	C	xxiv	35
				1667	B	v	20
				1668	A G	xvj	12 11

Anni

Anni Dñi.	Litt. Dom.	Epa- ctæ.	Tabu- læ.		Anni Dñi.	Litt. Dom.	Epa- ctæ.	Tabu- læ.	
1669	F	xxvij	31		1705	D	iv	22	
1670	E	vij	16		1706	C	xv	14	
1671	D	xix	8		1707	B	xxvj	34	
1672	C B	j	28	27	1708	A G	vij	19	18
1673	A	xij	12		1709	F	xvij	10	
1674	G	xxij	4		1710	E	*	30	
1675	F	iv	24		1711	D	xj	15	
1676	E D	xv	16	15	1712	C B	xxij	7	6
1677	C	xxvj	28		1713	A	ij	26	
1678	B	vij	20		1714	G	xiv	11	
1679	A	xvij	12		1715	F	25	31	
1680	G F	xxix	32	31	1716	E D	vj	23	22
1681	E	x	16		1717	C	xvij	7	
1682	D	xxj	8		1718	B	xxvij	27	
1683	C	ij	28		1719	A	ix	19	
1684	B A	xij	13	12	1720	G F	xx	11	10
1685	G	xxiv	32		1721	E	j	23	
1686	F	v	24		1722	D	xij	15	
1687	E	xvj	9		1723	C	xxij	7	
1688	D C	xxvij	29	28	1724	B A	iv	27	26
1689	B	vij	20		1725	G	xv	11	
1690	A	xix	5		1726	F	xxvj	31	
1691	G	j	25		1727	E	vij	23	
1692	F E	xij	17	16	1728	D C	xvij	8	7
1693	D	xxij	1		1729	B	*	27	
1694	C	iv	21		1730	A	xj	19	
1695	B	xv	13		1731	G	xxij	4	
1696	A G	xxvj	33	32	1732	F E	ij	24	23
1697	F	vij	17		1733	D	xiv	15	
1698	E	xvij	9		1734	C	25	28	
1699	D	xxix	29		1735	B	vj	20	
1700	C non B&G	ix	21		1736	A G	xvij	12	11
1701	B	xx	6		1737	F	xxvij	31	
1702	A	j	26		1738	E	ix	16	
1703	G	xij	18		1739	D	xx	8	
1704	F E	xxij	3	2	1740	C B	j	28	27

Anni Dñi.	Litt. Dom.	Epa- cta.	Tabu- lae.	Anni Dñi.	Litt. Dom.	Epa- cta.	Tabu- lae.
1741	A	xij	12	1777	E	xx	9
1742	G	xxiiij	4	1778	D	j	29
1743	F	iv	24	1779	C	xij	14
1744	E D	xv	16 15	1780	B A	xxiiij	6 5
1745	C	xxvj	28	1781	G	iv	25
1746	B	vij	20	1782	F	xv	10
1747	A	xvij	12	1783	E	xxvj	30
1748	G F	*	25 24	1784	D C	vij	22 21
1749	E	xj	16	1785	B	xvij	6
1750	D	xxij	8	1786	A	*	26
1751	C	ij	21	1787	G	xj	18
1752	B A	xiv	13 12	1788	F E	xxij	3 2
1753	G	25	32	1789	D	ij	22
1754	F	vj	24	1790	C	xiv	14
1755	E	xvij	9	1791	B	25	34
1756	D C	xxvij	29 28	1792	A G	vj	19 18
1757	B	ix	20	1793	F	xvij	10
1758	A	xx	5	1794	E	xxvij	30
1759	G	j	25	1795	D	ix	15
1760	F E	xij	17 16	1796	C B	xx	7
1761	D	xxij	1	1797	A	j	26
1762	C	iv	21	1798	G	xij	18
1763	B	xv	13	1799	F	xxij	3
1764	A G	xxvj	33 32	1800	E non Bif.	iv	23
1765	F	vij	17	1801	D	xv	15
1766	E	xvij	9	1802	C	xxvj	28
1767	D	*	29	1803	B	vij	20
1768	C B	i	28 27	1804	A G	xvij	12
1769	A	xxij	5	1805	F	*	24
1770	G	ij	25	1806	E	xj	16
1771	F	xiv	10	1807	D	xxij	8
1772	E D	25	30 29	1808	C B	ij	28
1773	C	vj	21	1809	A	xiv	12
1774	B	xvij	13	1810	G	25	32
1775	A	xxvij	26	1811	F	vj	24
1776	G F	ix	18 17	1812	E D	xvij	9

Anni

Anni	Litt.	Epa-	Tabu-	Anni	Litt.	Epa-	Tabu-
Dñi.	Dom.	ctx.	læ.	Dñi.	Dom.	ctx.	læ.
1813	C	xxvij	28	1849	G	vj	18
1814	B	ix	20	1850	F	xvij	10
1815	A	xx	5	1851	E	xxvij	30
1816	G F	j'	25	1852	D C	ix	22 21
1817	E	xij	16	1853	B	xx	6
1818	D	xxij	1	1854	A	j	26
1819	C	iv	21	1855	G	xij	18
1820	B A	xv	13 12	1856	F E	xxij	3 2
1821	G	xxvj	32	1857	D	iv	22
1822	F	vij	17	1858	C	xv	14
1823	E	xvij	9	1859	B	xxvj	34
1824	D C	*	29 28	1860	A G	vij	19 18
1825	B	xj	13	1861	F	xvij	10
1826	A	xxij	5	1862	E	*	30
1827	G	ij	25	1863	D	xj	15
1828	F E	xiv	17 16	1864	C B	xxij	7 6
1829	D	25	29	1865	A	ij	26
1830	C	vj	21	1866	G	xiv	11
1831	B	xvij	13	1867	F	25	31
1832	A G	xxvij	33 32	1868	E D	vj	23 22
1833	F	ix	17	1869	C	xvij	7
1834	E	xx	9	1870	B	xxvij	27
1835	D	j	29	1871	A	ix	19
1836	C B	xij	14 13	1872	G F	xx	11 10
1837	A	xxij	5	1873	E	j	23
1838	G	iv	25	1874	D	xij	15
1839	F	xv	10	1875	C	xxij	7
1840	E D	xxvj	30 29	1876	B A	iv	27 26
1841	C	vij	21	1877	G	xv	11
1842	B	xvij	6	1878	F	xxvj	31
1843	A	*	26	1879	E	vij	23
1844	G F	xj	18 17	1880	D C	xvij	8 7
1845	E	xxij	2	1881	B	*	27
1846	D	iij	22	1882	A	xj	19
1847	C	xiv	14	1883	G	xxij	4
1848	B A	25	34 33	1884	F E	ij	24 23

Anni

Ann.	Litt.	Epa-	Tabu-	Ann.	Litt.	Epa-	Tabu-
Dñi	Dom.	ctæ.	læ.	Dñi.	Dom.	ctæ.	læ.
1885	D	xiv	15	1921	B	xxij	6
1886	C	25	28	1922	A	ij	26
1887	B	vj	20	1923	G	xiiij	11
1888	A G	xvij	12	1924	F E	xxiv	31
1889	F	xxvij	31	1925	D	v	22
1890	E	ix	16	1926	C	xvj	14
1891	D	xx	8	1927	B	xxvij	27
1892	C B	j	28	1928	A G	vij	19
1893	A	xij	12	1929	F	xix	10
1894	G	xxij	4	1930	E	*	30
1895	F	iv	24	1931	D	xj	15
1896	E D	xv	16	1932	C B	xxj	7
1897	C	xxvj	28	1933	A	ij	26
1898	B	vij	20	1934	G	xiv	11
1899	A	xvij	12	1935	F	xxv	31
1900	G non Bif.	xxix	25	1936	E D	vj	23
1901	F	x	17	1937	C	xvij	7
1902	E	xxj	9	1938	B	xxix	27
1903	D	ij	22	1939	A	x	19
1904	C B	xij	14	1940	G F	xxj	4
1905	A	xxiv	33	1941	E	ij	25
1906	G	v	25	1942	D	xij	15
1907	F	xvj	10	1943	C	xxiv	35
1908	E D	xxvij	30	1944	B A	v	20
1909	C	vij	21	1945	G	xvj	12
1910	B	xix	6	1946	F	xxvij	31
1911	A	*	26	1947	E	vij	16
1912	G F	xj	18	1948	D C	xix	8
1913	E	xxij	2	1949	B	*	27
1914	D	ij	22	1950	A	xj	19
1915	C	xiv	14	1951	G	xxij	4
1916	B A	xxv	34	1952	F E	ij	24
1917	G	vj	18	1953	D	xiv	15
1918	F	xvij	10	1954	C	xxv	35
1919	E	xxix	30	1955	B	vj	20
1920	D C	x	15	1956	A G	xvij	12
							II

Anni

Anni Dñi.	Litt. Dom.	Epa- ctæ.	Tabu- læ.	Anni Dñi.	Litt. Dom.	Epa- ctæ.	Tabu- læ.
1957	F	xxix	31	1981	D	xxiv	29
1958	E	x	16	1982	C	v	21
1959	D	xxj	8	1983	B	xvj	13
1960	C B	ij	28 27	1984	A G	xxvij	33 32
1961	A	xij	12	1985	F	vij	17
1962	G	xxiv	32	1986	E	xix	9
1963	F	v	24	1987	D	*	29
1964	E D	xvj	9 8	1988	C B	xj	14 13
1965	C	xxvij	28	1989	A	xxij	5
Eiusdem die 26. licet in 6. Lectione Breuiarij legas, *Imperatorem adit*, ne putas tamen eum esse Diocletianum, de quo in praecedenti Lectione; sed Maximianum, de quo hac die in Martyrologio.

May 1. Philippus in Martyrologio apud Hieropolim Asia moritur; in Breuiario, apud Hieropolim Phrygia. hæc autem est minoris Asia regio. Quid obiicies?

Eiusdem 2. obiisse dicitur Athanasius in Martyrologio tempore *Valentiniani & Valentis*; in Breuiario, sub *Valente*: utrumque tamen verum est, vt patet, tacito alterius nomine.

Eiusdem 3. Alexander Papa in Martyrologio multa patitur ante peremptionem, neque illa est ibi mentio decollationis; in Breuiario dicitur securi percussus, omissis præviis aliis tormentis. Sed conciliantur hæc loca facile: quia breuius in Breuiario, fusiùs in Martyrologio de eo & sociis agitur; & alter textus alterum explanat in genere mortis & peremptionis instrumento.

Eiusdem 12. Videbantur hæc contraria: in Martyrologio, pridie huius dies corpora SS. Nerei, &c. fuere trans-

lata; in Breuiario legitur, *Hac diē Explica Martyrologium*, quod in primis Vesperis Festi (& re vera ita factum est:) quæ primæ Vesperæ attinent ad hanc diem Festi, more Ecclesiastico. Præterea, Hac die recondita sunt corpora, quæ pridie fuerunt translata. & hic est sensus verborum Breuiarij.

Eiusdem 27. S. Ioannes Papa dicitur in Martyrologio *diu maceratus in carcere*; & in Breuiario, *paucis diebus cessisse è vita*: hoc est, post diutinam macerationem, breui morbo adueniente, vitam finiuit.

Junij 9. In Martyrologio, Promotus in martyrio SS. Primi & Feliciani dicitur *Præses*; in Breuiario, *Prætor*: at utrumque titulum legimus apud Historicos in Promoto.

Eiusdem 12. Basiliades & socij moriuntur in persecutione *Diocletiani & Maximiani*, si Martyrologium legas: diuisim utrumque leges in Breuiario; quia in persecutione *Diocletiani* torti sunt à *Maximiano*, & utriusque una fuit persecutio.

Eiusdem 18. A Fabiano *indice*, inquit Martyrologium, tenti sunt Marcus & Marcellianus; à Fabiano *duce*, ait Breuiarium. Quid dubitas? Dux ipse militum fuit iudex. *Ibidem* leges, lanceis, telis. Vide infra Decemb. 21.

Julij 10. Septem fratres in Martyrologio, sub *Antonino Pio*; in Breuiario, sub *M. Aurelio Antonino*. Una vero fuit amborum persecutio.

Eiusdem 18. Filii S. Symphoros ad trochleas extenduntur in Martyrologio; ad palum alligati dicuntur in Breuiario. Lege *Adonem*, qui de iisdem scribens 27. Junij ait: Imperator iussit septem figi stipites, ibique filios ad trochleas extendi. non ergo ea loca pugnant.

Eius-

Eiusdem 27. Pantaleon à *Maximiano* tentis, in Martyrologio; à *Diocletiano* Nicomediae, in Breuiario. Tu explica de Maximiano Galerio, qui apud Diocletianum erat; non de Maximiano Herculeo, qui Mediolani degebat.

Augusti 2. in Martyrol. fit mentio *Valeriani* in martyrio Stephani Papæ, non autem *Gallieni*: de quibus in Breuiario. Vna tamen erat eorum persecutio.

Eiusdem 25. Astyages *Regis* iussu. ita Martyrologium de obitu S. Bartholomæi. Dicitur autem in Breuiario, quod Astyages erat frater *Polimij Regis*; ergo non erat Rex, potuit tamen esse Rex etiam ille, & frater Regis.

Septembri 14. Cornelius in persecutio Decij decollatur in Martyrologio; *Gallo & Volusiano* Imperatoribus obit in Breuiario. An perduravit persecutio Decij usque ad Gallum & Volusianum? indixit eam Decius, renouauit Volusianus, ex *Baron. in Annal. anno Christi 255.*

Eiusdem 19. In martyrio S. Iannuarij meminit *Diocletiani* Martyrologium; addit *Maximianus*; nomen Breuiarium. sed iam diximus eamdem perfuisse persecutionem. Et eodem modo

conciliabis textus in Festo SS. Cosmæ & Damiani, 27 eiusdem.

Octobris 9. Dionysius in Martyrologio à *Fescennino gladio* animaduertitur; in Breuiario à *Fescennio securi* percutitur. Duplex varietas, in nomine iudicis, & in instrumento martyrij: sed recole quæ supra diximus ad diem 6.

Febr. & 14. Aprilis.

Eiusdem 26. Euaristus in Martyrologio, sub *Adriano*; in Breuiario, sub *Traiano*: sed coronatur ait, sub Adriano; Pontificatum geslit sub Traiano. hoc est: Septem annos sub Traiano rexit Ecclesiam, anno secundo Adriani martyris occubuit, *Baron. in Annal.*

Decemb. 21. S. Thomas in Martyrologio prædicat Euangelium Hyrcanis & Brachmanis; in Breuiario, Hyrcanis & Baetris. Vtrumque tamen verum est, & Brachmanis in India, & Baetris in Scythia prædicauit.

Ibidem. Martyrologium tradit, quod lanceis transfixus fuit; Breuiarium, quod telis confosilius. An, quia telum est omne id quod manu iaci potest, inde commune fit nomen lanceis, & similibus aliis armorum generibus? nulla igitur in prædictis discordia; sed omnia consona in sensu, si minus in verbis.



PLA

PLACITVM
ADM. R. P.
FR. HIERONYMI
ONVPHRII ROM.

Theologi Collegiati, & publici Lectoris in sacris
Litteris in Bononiensi Archigymnasio,

In disputata dubitatione de recitandis Horis Canonicis.

D V B I V M.

An non seruare modum præscriptum in recitandis Horis
Canonicis in Breuiario novo Pij V. sit peccatum
mortale, an veniale.

Declaratur titulus dubitationis.



s t o , Clericus , qui
sit obligatus ad reci-
tandum diuinum Of-
ficiū , & hic pro sua
voluntate & beneplā-
cito recitet de Feria ,
cūm teneretur ex præscripto Pij V. re-
citare de aliquo Sancto ; & ē contra ,
cūm teneretur recitare de Feria , recitet
de Sancto ; & item , cūm de vno San-
cto , reciteret de alio : idque absque con-
tempu saltem explicito ; sed solū ,
quia ita sibi videtur ; idque toties fa-
cit , quoties sibi expedire videtur , vt
solam propriam voluntatem in reci-
tandis Horis Canonicis sibi regulam
constituat : quæritur , inquam , an hic

Clericus sic recitando diuinum Offi-
ciū peccet mortaliter , an venialiter .

Principio qui scripserunt de hoc du-
bio tum Theologi , tum Canonistæ ,
tum Summiste , sunt *Maior* in 4.d.12.
quest. 6. Caiet. in *Summa verbo*
Hora cap. 2. *Sotius lib. 10. de Iustitia*
& Iure quest. 5. art. 4. Azorius l.10.
de Inst. moral. cap. 10. dubio 2. Per de
Aragona in 2. 2. D. Thoma, quest. 83.
de Orat. art. 12. dubio 5. princip. Vi-
guer. in suis Inst. in de Virtute iusti-
tiae cap. 5. v. 4. Nauar. de Oratione &
Horis Canonicis cap. 21. n. n. 25. E-
manuel Rodriguez in Summa casicons.
cap. 142. num. 3. Tolet. lib. 2. Instruct.
Sacerd. cap. 13. num. 5. Cosmas Phi-
T t liarcus.

Philiarchus lib. 1. de Horis Canonicis c. 6. Leonard. Lessius lib. 2. de Justitia & Iure cap. 37. dubio 12. num. 77. Jacob. de Graffitis lib. 2. Cas. conscient. c. 52. num. 116. Ioan. Medin. Cod. de Orat. tract. 6. q. 16. S. Antonin. 3. par. tit. 13. cap. 4. §. 2. Tabiena v. Hora Canonica num. 17. Armilla eodem v. num. 6. Silvestr. eod. v. num. 15. Angel. eodem v. num. 4. Rosella eod. verbo num. 13. Valentia 3. tomo disput. 6. quest. 2. punctione 10. Suarius 2. tomo de Relig. lib. 4. cap. 23. à num. 11. Garcia tract de Benefic. 1. tomo par. 3. cap. 1. num. 16;. Paulus Squillantes tract. de Obligat. Clericorum par. 1. à num. 50. Prosolutione autem nonnulla nobis sunt præmittenda.

Igitur NOTANDVM est PRIMO, ex communi Theologorum sententia iam obtentum esse, optimè distingui in qualibet virtute, ut etiam in aliis substantiam à modo eiusdem. Sic communiter docent Theologi, tum præcipue secuti D. Thomam in par. 2. questione 109. artic. 3. Hac eadem ratione nobis videtur illa duo posse distingui in ipso diuinum Officio, ut alia sit substantia illius à modo eiusdem: quam distinctionem optimè & non obscurè insinuarunt Sotus lib. 10. de Injustitia & Iure quest. 5. artic. 4. Tolet. sup. lib. 2. cap. 11. Nauar. de Oratione & Horis Canonicis cap. 21. num. 22. Tabiena supra num. 16. Io. Medina C. de Oratione tract. 6. cap. 16. §. De 2. Quamquam hi non eodem modo distinguit illa duo in diuinum Officio: nam alij faciunt substantiam Officij diuinij ipsum totum diuinum Officium, tam diurnum quam nocturnum, vel ipsas septem Horas Canonicas ut sic; modum verò illum quo septem Horæ quotidie ex præscripto Iuris Canonici

recitantur. Alij substantiam diuni Officij faciunt per solutionem alicuius orationis & debitæ pensionis pro beneficio à Deo accepto; modum verò faciunt distributionem illius debitæ pensionis in septem Horas, iuxta illud Daudis: *Septies in die laudem dixi tibi, &c.* Alij alio modo. Sed de hoc nihil ad præsentem difficultatem; cui pro nunc satis est, illa dub, scilicet substantiam & modum, distingui in diuinio Officio.

Hoc igitur posito, non est quæstio hoc loco de ipsa diuini Officij substâlia quocumque modo accepta; nam certum est in omnium sententia, omnes Clericos (loquor autem semper de iis qui aliquo titulo sunt obligati ad diuinum Officium recitandum) teneri ad recitandum diuinum Officiū, saltem quoad substantiam, sub peccato mortali, ut patet ex c. 1. de Celebrazione Missarum, & cap. Dolentes. eodem tit. ex cap. Eleutherius. Dist. 91. cap. fin. Dist. 92. & docent passim citati Doctores, Medina sup. quest. 17. Cosmas Philiarchus item supra cap. 6. conclus. 1. Nauarr. in Manuali cap. 25. num. 122. & de Horis Canon. cap. 7. num. 5. Antoninus sup. §. 4. Toler. c. 12. num. 4. Viguerius cap. 5. v. 4. Lessius cap. 37. dubio 9. num. 52. & alij communiter: sed sola difficultas est de modo seruando in diuinum Officio recitando; An, stante Constitutione Pij V. de qua infrà, teneantur Clerici ad illum seruandum sub peccato mortali, an verò sub veniali, pro quo

NOTANDVM SECUNDO, Nos hīc sub nomine modi dicendi diuinum Officium intelligere & complecti cum Toleto supra cap. 13. & aliis communiter, ea omnia quæ accidenti diuinum Officio ut sic, & sunt numero sex, Numerus,

merus, Ordo, Qualitas, Tempus, Locus, Modus. Sicut nomine substantia eiusdem, ut est supra dictum, intelligimus vel ipsum diuinum Officium nocturnum & diurnum distributum in septem Horas Canonicas; vel orationem debitam Deo, quatenus est quædam certa pensio diuini cultus, debita ab iis præcipiè qui in sortem Domini dicuntur electi, pro qua in sustentationem recipiunt patrimonium Christi, ex cap. 1. de Celebrat. Missarum: & quidem ex hac parte, diuinum Officium, scilicet ut dicit certam hanc pensionem diuini cultus, non videntur male locuti, qui faciunt ex Iure diuino simpliciter, vt habet Tabiena supra num. 16. aut ex Iure naturali & diuino simul, ut habent Sotus supra, Jacob. de Graffis sup. cap. 49. num. 9. Si vero accipiatur diuinum Officium, ut dicit septem Horas Canonicas, tunc bene sunt locuti alij Doctores, cum dixerint, tunc diuinum Officium esse ex naturali & diuino Iure, & immemorabili consuetudine Ecclesiæ, ut doctè tradit Narr. de Horis Canon. cap. 7. num. 2. & Cosm. Philiarc. sup. lib. 2. cap. 2. vnde facile concedi potest iis Auctoribus, quos iam iam afferemus, in eo sensu, quo diuinum Officium dicit voluntariam & indeterminatam pensionem Deo debitam, non posse Clericos, neque etiam per Papam, liberari ab huiusmodi obligatione recitandi hoc modo sumptum diuinum Officium. Sic Angelus supra num. 6. Rosella nu. 13. Silvester num. 19. & acceperunt à Panormitanô in cap. 1. de Celebrat. Missarum, quidquid dixerint Petrus de Aragona sup. post ultimam conclusiōnem, & Toletus cap. 14. num. 6. Extratio huius esse potest, quod scilicet ex

hac parte Officium diuinum est indispensabile, cum sit ex recta ratione & iure naturali præscriptum, quatenus scilicet, sicut unusquisque ex iustitia naturali tenetur ei aliquid impendere a quo habuit beneficium, unde recipit suos prouentus: sic Deo tenetur ille aliquod diuinum Officium vel aliquam orationem persoluere, ut illi quoquo modo satisfaciat pro fructibus receptis ex beneficio, si hoc habeat, aut pro beneficio Ordinis sacri habito, aut etiam pro aliis causis, ut multis tradit Tabiena sup. num. 16. Ex altera vero parte, scilicet quoad illas circumstantias, est diuinum Officium de Iure Ecclesiastico, ut habent Sotus, Jacobus de Graffis ubi sup. Rodriguez num. 2. Narr. de Horis Canon. a num. 22. & ibidem cap. 11. num. 31. & sic diuinum Officium est dispensabile, utribus inter alios tradunt Tabiena, Petrus de Aragona, & Tolet. sup. & hinc est, ut non unus apud omnes Ecclesiæ fuerit modus recitandi diuinum Officium. Non disputabimus autem hic de his omnibus circumstantiis, an omnes obligant ad sui obseruationem sub peccato mortali (certum enim est, non omnium eamdem esse obligationem ad peccatum mortale) sed solum disputabimus de modo Officij recitandi ac ratione psallendi, an scilicet teneatur Clericus in recitando Officio obseruare & sequi ritum & modum præscriptum a Pio V. in Breuiario Romano, ita ut, nisi talem obseruet modum, peccet mortaliter.

NOTANDVM TERTIO, ex Caetano 2. 2. quæst. 186. artic. 9. & in Summa v. Praeceptum. & aliis Auctoribus, ex tribus potissimum colligi posse, legem aliquam obligare ad sui obseruationem sub peccato mortali; primò, ex

T t 2 materia

materia quæ imperatur per legem ; secundò , ex verbis quæ in ipsa lege ponuntur ; tertio , ex poenis quæ lege irrogantur .

Et Primò quidem ex materia : nam re vera non solum requiritur intentio legislatoris obligandi subditos per suā legem ad peccatum mortale ; sed etiam præterea requiritur , vt materia ipsa , quæ præcipitur sit grauis , id est tanta , vt sufficiat ad obligationem peccati mortalis . Quæ duo ita sunt necessaria , ex communī omnium sententia , vt si alterum desit , numquam sit intelligenda talis lex obligatoria ad huiusmodi peccatum . Dicitur autem materia leuis , vel grauis , aut etiam parva , ex relatione quam habet ad commune bonum . Si enim præcipiatur aliquid quod spectet ad illud , certè materia dicenda erit grauis ; secūs , si agatur de bono aliquo particulari (nisi tamen illud bonum particulare sit contra ius naturale , leges diuinæ , aut alia huiusmodi) ; tunc enim quæ est ratio de bono communi , eadem etiam esset de illis bonis particularibus .) Verbi gratia , si tempore famis lege cogantur diuites vendere sua frumenta , si plura habeant , iusto pretio , certè ipsi tenentur parere legi sub peccato mortali , etiam si aliis temporibus nemo vt sic cogatur res suas vendere . Item , sæuiente peste lege coguntur Medici sub eodem peccato insistere labori , cùm tamen extra tales necessitatē ad id non obligentur : & sic de aliis , in quibus videtur vrgere ratio boni communis , vt , nisi subditi fecerint quod lege Principis præceptum est , peccent mortaliter .

Secundò colligitur talis obligatio ex verbis appositis in ipsa lege ; & in Iure quidem Canonico (de hoc enim

disputamus) vt videre est in Constitutionibus Pontificiis , non eadem reperiuntur verba præceptoria , nequæ eodem modo obligatoria , vt , verbi gratia , illa verba , *Decernimus , statuimus , innonamus , volumus , intendimus* : quibus si nihil præterea addatur , certè non præ se ferunt obligationem aliquam ad culpam lethalem ; alia verba , *Præcipimus & prohibemus* , ex mea quidem sententia , semper afferre secum videntur obligationem ad mortale , quidquid dixerit Caietanus , qui visus est dixisse , illa duo verba , *Præcipimus & prohibemus* , præ se ferre quidem semper aliquam obligationem , non tamen mortalem ; sed sine ullo fundamento . Item ex *Clementina Exiis , de Verbor. signific.* habentur duo alia verba ad idem obligatoria , scilicet , *debet , & tenetur* , quidquid etiam renuerit Caietan . sed immerito : quia si diligenter inspiciamus dictam Clementinam , videbimus , Pontificem ut illis duobus verbis , *debet & tenetur* , dum intendit ostendere hanc lethalem obligationem . Item , si apponantur in Constitutione illa alia verba , *In virtute sanctæ Obedientie , sub pena præstricti iuramenti , sub incurso indignationis præpotentis Dei , & Apostolorum Petri & Pauli , strictè omnino præcipimus , vel iubemus , aut alia huiusmodi verba obligatoria , eamdem vim habere videntur .*

Tertiò , & deinceps , colligitur huiusmodi obligatio ad lethale peccatum ex poenis quæ infliguntur in ipsa Constitutione , vt excommunicationis , suspensionis , interdicti , maledictionis , indignationis præpotentis Dei , perpetui carceris , amissionis honorum , & similium ; quæ cùm sint quædam poenæ grauiores , numquam intelliguntur

tur infictæ, nisi ex culpa grauiori, quæ solùm est lethalis, ex communi omnium sententia.

NOTANDVM VLTIMO, quoniam hoc totum negotium præsentis difficultatis pendere videtur ex intelligentia Constitutionis vltimò editæ, præcipuè à Pio V. & quæ descripta est initio Breuiarij Romani moderni, in qua fuit præscripta forma & modus recitandi diuinum Officium: vtrum in ea ita præscribatur talis forma & modus recitandi illud, ut satis appareat, contra facientes peccaturos mortali-
ter, si consulto illum modum præscri-
ptum & definitum non obseruare-
rint; vt propterea operæ pretium vi-
deatur hic afferre Constitutionem ip-
sam de verbo ad verbum, saltem quo-
ad eam partem quæ facit ad præsen-
tem difficultatem. Itaque post multa
Pius V. quæ iam dixerat in illa sua
Constitutione, quæ incipit, *Quod à
nobis, &c.* quibus ostenderat, quare
talem considerit Constitutionem; &
post multa, quibus declarauerat, à se
abolitum omne & quodcumque aliud
Breuiarium, tandem ait: *Omnis itaque
alio usu quibuslibet, ut dictum est, in-
terditum, hoc nostrum Breuiarium, ac
precandi psallendiique formulam in om-
nibus universi orbis Ecclesiis, Monaste-
riis, Ordinibus, & locis etiam exemptis,
in quibus Officium ex more & rito di-
ctæ Romanæ Ecclesiæ dici debet, aut con-
suevit, salua prædicta institutione, vel
consuetudine prædictos ducentos annos
superante, præcipimus obseruari: Sta-
tuentes Breuiarium ipsum nullo um-
quam tempore vel totum, vel ex parte
mutandum, vel ei aliquid addendum,
vel omnino detrahendum esse: ac quo-
cumque, qui Horas Canonicas ex more
& rito ipsius Romanæ Ecclesiæ, iure vel*

*consuetudine dicere vel psallere debent,
propositis pœnis per Canonicas sanctio-
nes constitutis in eos, qui diuinum Of-
ficium QVOTIDIE non dixerint,
ad dicendum & psallendum posthac in
perpetuum Horas ipsas diurnas & no-
cturnas, ex huius Romani Breuiarij
præscripto & ratione omnino teneri:
neminemque ex iis, quibus hoc dicendi
psallendiisque munus necessario imposi-
tum est, nisi hac sola formula satisfa-
cere posse. Iubemus, &c. Hæc Papa.
Ex qua Constitutione multa ad rem
nostram colliguntur.*

Et Primò quidem colligitur, in illa
Constitutione tria intendi à Papa; pri-
mò, funditus euertere ac tollere quæ-
cumque alia Breuiaria, quæ ante di-
ctam Constitutionem circumfereban-
tur; secundò, præscribere unum cer-
tum Breuiarium, quod in omnium
manibus in posterum esset, & ab om-
nibus recitaretur; tertiò, præscribere
certum quedam modum ab omni-
bus seruandum in recitatione eiusdem
Breuiarij. Non loquor hic de Breuiariis
quæ conceduntur à Papa in illa
Bulla. Primum patet ex illis verbis
eiusdem Constitutionis, cùm dicitur,
omnis itaque alio usu, &c. secundum
verò patet ex aliis verbis, cùm dicitur,
hoc nostrum Breuiarium, &c. tertium
denique, cùm dicitur, *precandi psal-
lendiisque formulam.*

Secundò colligitur ex eadem Con-
stitutione, distinctionem illam in pri-
mo notabili à nobis assignatam, de
substantia & modo in ipso Breuiario,
non esse emendatam & confitam:
nam quod in ipso diuino Officio sit
fua substantia, patet ex illis verbis
Bullæ, cùm dicitur, *hoc nostrum Bre-
uiarium, &c.* & infra, cùm dicitur,
QVOTIDIE non dixerint Horas ip-

T t 3 fas

sas diurnas & nocturnas, &c. quèd verò sit modus, habetur etiam in eadem Bulla, cùm dicitur, precandi psallendique formulam, & infrà, cùm dicitur, ex huius Romani Breuiarij prescripto & ratione, &c. Ex quibus clare patet, quid sit substantia diuini Officij, & quis sit modus & ratio eiusdem, & quomodo illa duo inter se distinguantur.

Tertiò colligitur ex eadem Constitutione, non solum à Papa præscribi certum Breuiarium, sed etiam certum modum in ipso Breuiario obseruandum, & vtrumque sub eadem ratione præcipi, vt patet ex iis verbis, cùm dicitur, *Omni itaque alio usu interdicto, hoc nostrum Breuiarium, ac precandi psallendiisque formulam, &c. & infrà: Ad dicendum & psallendum posthac in perpetuum Horas ipsas diurnas & nocturnas, ex huius Romani Breuiarij prescripto & ratione omnino teneri.* En substantia & modus in Breuiario seruandus, &c.

Quartò colligitur, quibus verbis vtatur Papa in sua dicta Constitutione ad id præcipiendum & præscribendum: *Precipimus obseruari; Propositi pœnis per Canonicas sanctiones; Statuentes omnino teneri; Ex more & ritu Romana Ecclesia psallere debent; Iubemus ut procurent, &c.*

Vltimò colligitur, rem grauem tractari in dicta Constitutione, vt patet ex illis verbis, cùm dicitur sub initio: *Hanc nimirum orandi varietatem grauisime ferens, &c. Et paulò ante: Quin etiam in Provincias paulatim irrepserat prauilla consuetudo. & post nonnulla: Priuatum sibi quisque Breuiarium conficerent, & illam communio- nem, uni Deo, una & eadem formula, &c.* Ex quibus satis patet, quæ in-

commoda potuerint mouere Papam ad tantam rem determinandam. His igitur tandem præmissis, ad sententias, quas hac in re reperire potui, veniendum est. Sit ergo

Prima sententia eorum, qui asserunt, inuertere Officium diuinum quo ad modum & formam, & recitare vnum pro alio sine causa rationabili, esse quidem graue peccatum; non tamen explicant, an sit veniale, vel mortale. *Sic Tabiena suprà num. 17. Viguarius item ubi suprà v. 4.*

Secunda sententia est aliorum, qui dicunt, sic inuertere diuinum Officium esse quidem peccatum, non mortale, sed veniale. *Ita Maior in 4. ubi sup. Antonin. 3. par. tit. 13. cap. 4. § 2. & clariss. § 4. dubio 5. Silvester verbo Hora. num. 15. Caiet. in Sum. ibidem cap. 2. Sotus lib. 10. de Instit. & Iure art. 4. Armilla eodem verbo num. 7. Azorius lib. 10. Instit. moral. cap. 10. dub. 2. ubi dicit hanc esse communem, Valentia in 3. tomo disp. 3. ubi sup. Leonardus Lessius lib. 2. de Instit. & Iure dub. 12. num. 77. Jacob. de Graff. sup. cap. 52. num. 18. Fundamentum commune ferè omnium est; quia ponunt, quod, dicere hoc vel illud Officium, non sit in præcepto: quare neque transgressio erit contra aliquod præceptum, & consequenter neque erit peccatum lethale, &c.*

Addit Lessius *sup. loco citato*, quia, inquit, id quod Ecclesia primariò præcipit, est tantum, vt septem Horæ Canonicae quotidie recitentur: quod vero deinde dicatur de hoc vel illo Felto, seruetur haec vel illa forma, ait id. solum pertinere ad modum & quamdam circumstantiam secundariam Officij diuini; quæ cùm non sit tanti momenti, non obligabit ad aliquod mortale

tale peccatum, sed solum ad veniale; nam, inquit, substantia pracepti seruatur, quodcumque Officium Breuiarij concessi dicator. Neque nullum aliud est fundamentum huius rei, quod sciam, etiam si multum laborauerim, ut si quid aliud esset, reperiem.

Tertia sententia est eorum, qui affirmant, non seruare ordinem praescriptum ut supra in recitando Officio diuino, esse peccatum mortale. *Ita Angelus verbo Hora Canon. n. 4. Nauarrus de Oratione & Horis Canonis sup. num. 25. Toletus vbi supra cap. 15. num. 15. Emanuel Rodriguez sup. cap. 142. de voce, num. 3. Suarez in 2. tomo de Relig. sup. Garcia tract. de Benef. sup. Paulus Squillantes vbi sup. Petrus de Aragona sup. dubio suo quinto principali, Cosmas Philarchus item vbi supra lib. 5. cap. 6.* Fundamentum est, quia non solum substantia, sed etiam modus & forma diuini Officij cadunt sub pracepto, quamquam non eodem modo. Prorsus ergo non obediens tali pracepto, erit peccatum mortale. Hac sequela infra ex dicendis patebit; interim ad Conclusiones veniamus.

PRIMA CONCLVSION. Inuertere aliquando ex causa rationabili praescriptum modum ac rationem in recitandis Horis diuinis a Pio V. non crediderim esse aliquid peccatum. Hanc Conclusionem tenuit *Iacobus de Graffius supra num. 18. & Cosmas Philarchus cap. 6.* Et patet, quia aliqua actio mala, quae tamen non sit intrinsecè mala, sed solum ex praescripto humano, potest cohonestari ex aliquo motu, circumstantia, & fine bono, ut patet in multis casibus: ergo, etiam si inuertere praescriptum ordinem a Pio V. in recitando diuino Officio sit

actio ut sic mala, quippe quæ est contra praceptum & praescriptum Pontificis; tamen ex aliquo motu & circumstantia ita potest cohonestari, ut nullum sit peccatum. Ut, verbi gratia, si quis Clericus in Sacris recitaret Officium de Sancto, cum teneretur recitare de Feria, quia longum & necessarium sibi iter illo die eonfiendum esset; haberet autem Psalmos de eo Sancto ferè ad memoriam, certè excusaretur: aut etiam si ex aliquo pio affectu in Sanctum qui tali die occurseret, vellet de eodem recitare Officium, omissa Feria; certè ego non video, quare ex eo honesto titulo non posset excusari ab omni peccato, & sic in similibus casibus. Non probatur autem nobis ratio, qua prædictam Conclusionem probat *Iac. de Graffius loco citato sup.* nam quod ille, qui sic recitat, nullo peccato peccet, asserit oriri ex eo, quia qualitas Officij non est in pracepto: non placet, inquam, quod, ut infra ostendemus, qualitas Officij diuini est in pracepto; ergo ex hoc capite non excusat à peccato, quin potius ex eo intelligimus illum peccasse.

SECUNDA CONCLVSION. Inuertere ordinem Officij diuini ut supra, etiam consulto, & sine rationabili causa, extra tamen omnem contemptum, saltem explicitum, bis vel etiam ter, non videtur mihi peccatum mortale. Habent hanc Conclusionem *Nauarrus, Rodriguez, de Aragona, Graffius locis citatis, & est communis.* Et probari potest, quia parvitas rei in quacumque materia solet excusare à peccato (loquor autem semper de iis quæ ex se non sunt mala) sed solum quia praecpta, ut post S. Thom. 1. 2. quest. 88. artic. 5. & 6. & 2. 2. quest. 3. artic. 4.

S. An-

S. Antonin. 2. par. tit. 4. cap. 5. §. 7.
& 8. Adrian. quodlibeto 8. & alios,
optimè docuit Nanar. tum in Repeti-
torio cap. Inter verba 11. quæst. 3. tum
in Sum. cap. 11. num 4. ergo, etiam si
quis bis vel ter cōtraueniret huic præ-
cepto, quia id existimari potest pa-
rum, morali quadam estimatione ex-
cusari potest à peccato mortali: & ra-
tio est, quia malitia mortalís in præ-
dicto casu non potest peti ex aliquo alio
capite, quia ille ut sic non posset dici
nisi materialiter inobediens, & item
non nisi materialiter contemptor præ-
cepti; cùm tamen vtrumque aut forma-
liter aut virtualiter requiratur, ut maliti-
a sit mortalís. Sed

Dices: Si contemnere talem mo-
dum præscriptum & præceptum à Pa-
pa aliquando est peccatum mortale,
ut dicemus; ergo semper erit peccatum
mortale; ergo etiam qui semel contra-
faciet tali præcepto, peccabit mortaliter:
neque enim videtur maior ratio
vnius quam alterius; ergo aut num-
quam aut semper erit tale peccatum.

Resp. negando sequelam. Nam,
ut dictum est, ut malitia sit lethalis in
ijs quæ sunt contra præcepta Eccle-
siastica, debet esse intentio aliqua aut
formalis aut saltem virtualis contra-
faciendi præceptio Ecclesiastico: quæ
tamen intentio ut sic numquam mor-
taliter interpretatur esse, nisi post ali-
quos actus perfectos & consumma-
tos. Quare non est mirum, si ille qui
primo, secundo, vel etiam tertio con-
trafacit, non peccet saltem mortaliter;
peccare autem intelligatur ille idem,
si quarto, quinto, & sic deinceps non
obediret: nam tunc intelligitur & præ-
sumitur incipere contemptus & inobe-
dientia, saltem virtualis, sufficiens ad
culpam mortalem. Quare sit

TERTIA CONCLVSIQ. Ex inaduer-
tentia, non tamen affectata, si bis re-
citaret vnum Officium pro alio quod
recitare deberet, posset peccare ve-
nialiter, vel etiam nullo modo pec-
care. Hanc inter alios docent Philiar-
chus sup. cap. 6. conclusione 2. Jac. de
Graff. num. 18. Pater autem Conclu-
sio, quod inaduentia tollit actum
voluntarium, ex D. Thoma p. 2. q. 6.
art. 8. & sequitur Caietan. ibi; sine quo
numquam erit peccatum, ex textu in
cap. primum, 15. quæst. 1: ergo quis ex
inaduentia inuentus talem ordinem
excusatur à peccato, aut saltem à tan-
to, licet non à toto. Dixi, Nisi sit affec-
tata talis inaduentia: nam ut sic
certè delinquens à peccato non excusa-
retrur, vi habet D. Thom. par. 2. q. 76.
articulo 3.

VLTIMA CONCLVSIQ. Inuertere
modum, formam & ordinem præscri-
ptum in nouo Breuiario Romano à
Pio V. ad lib. um, vel etiam in frau-
dem, ut si sit faciendum de Feria, fiat
de Sancto, & è contra, idque pluries,
cenleo omnino esse peccatum morta-
le. Habent hanc sententiam Doctores
supracitati in tertia sententia, & patet
argumento, cui non videtur posse fa-
tisieri, nisi fingantur commenta &
tergiuersationes; & deducitur ex ijs
quæ præmisimus, & est: quia quo-
tiescumque quis subditus facit contra
præceptum sui Superioris habentis
iurisdictionem non impeditam, ac vo-
lentis huiusmodi præcepto subditos
obligare in re graui, certè ille pecca-
bit mortaliter. Sed in casu nostro, Cle-
rici obligati ex aliquo titulo ad reci-
tandum diuinum Officium faciunt
contra præceptum Pij V. intendentis,
& volentis illos obligare ad obedien-
dum sub peccato mortali; ergo. Maior
supponitur

supponitur vera. Minor patet, quia ex triplici capite, ut supra præsuppositum est, colligi potest, quæ sit intentio Superioris in suis legibus, in ordine ad obligandos subditos ad obedendum sub lethali culpa, ex materia scilicet de qua agit Superior; ex verbis quibus vtitur in præcipiendo quod intendit; & ex pœnis quas infligit contra inobedientes: sed hæc tria habemus in prædicta Constitutione Pij V. qua præcipit ac præscribit diuinum Officium; ergo præceptum, quod in ea continetur, erit ad mortale. Quod verò illa tria repertantur, facile patet. Et

Primò, quod attinet ad materiam, de qua agit Pontifex in dicta Constitutione, aperte colligitur, illam esse grauem; sic enim habet Pontifex in illa: *Hanc orandi varietatem grauissime ferens.* Certe illud Aduerbiū superlatiuū *grauiſſimè* ostendit rei grauitatem, de qua ibi tractat Papa, ut fateatur se illa grauissimè premi. Et quidem potuit iure optimo Papa id dixisse. Quia enim, sublata vniōne in recitandis Horis diuinis (quæ tamen maximè in Ecclesia Dei seruari debet) periculum erat in mora, ne animorum Christi fidelium vnitatis scinderetur, &c, ut ait Aragona *sup. dubio quinto*, ne schismatis causa & ansa fragilibus daretur; ideo Papa ibidein multū ait se in eo elaborare, quantum fieri possit, ut saltem maiori ex parte illa vnitatis reddatur Ecclesia Dei: id quod optimè declarauit instituendo, ordinando, præcipiendo ac præscribendo certum psallendi modum in Dei Ecclesia. Quare meritò Papa asseruit, se grauissimè ferre illam varietatem in recitandis Horis Canonicis; ut scilicet sic ostenderet, quanta

res sit, quam ipse præciperet. Et hæc de materia.

Secundò, quod attinet ad verba, quibus vtitur Papa in prædicta Constitutione, illa talia sunt, ut benè possit dignosci, quæ fuerit eius intentio, obligandi scilicet contrà facientes & inobedientes ad tantum peccatum. His enim verbis vtitur Papa in ea Constitutione, *Præcipimus obseruari; Propositis pœnis per Canonicas sanctiones; Statuentes omnino teneri; subemus ut procurent, &c.* Præterea illud Aduerbiū *omnino*, cum suo Verbo, scilicet *teneri*, satis declarat omnimodam Papæ voluntatem, ut quæ iubentur seruentur, ut omittam alia verba huiusmodi: quæ si diligenter attendantur, sine dubio ita euidenter ostendunt huiusmodi obligationem ad peccatum lethale, ut omnino contrarium afférere, extra rationem videatur.

Tertiò, quod attinet ad pœnas inflatas in ea Constitutione, etiam si Papa eas non apponat nouas, adhuc iam tamen latae comprobant, ac ratas haber; casque etiam extendit non solum contra eos qui vñi sint Breuiario veteri, & non nouo à se determinato, sed etiam contra eos, qui prædictum Officium secundūm assignatum modum, formam ac rationem non recituerint. Quare mihi certum videtur, illas pœnas, quæ contrahuntur à non recitantibus diuinum Officium, contrahi etiam à non recitantibus secundūm modum & formam præscriptam in eadem Constitutione, ut patet ex verbis ibidem positis. Sic enim habet Papa: *Statuentes Breuiarium ipsum nullo vñquam tempore, &c.* & post nonnulla sic habet: *Ac quoscumque, qui Horas Canonicas, &c. vñque ad illa verba, nisi hat sola formula satisfacere*

Vv posse,

posse, &c. Ex quibus clare patet, pœnas iam inflatas à Canonibus contra non recitantes quotidie diuinum Officium, intelligi etiam inflatas contra eos, qui non seruant in eo recitando præscriptum modum à Papa. Quæ utem sint huiusmodi pœnae, & quam graues, legantur *Couaruias lib. Variar. resolut. 3. num. 10. Nauar. tum de Oratione & Horis Canonicis cap. 7. num. 6. tum in Manuali cap. 25. n. 122. Cosmas Philiarchus sup. cap. 12. Rodriguez sup. c. 146. Iacob. de Graffys lib. 2. cap. 150.*

Ex quorum doctrina satis aperte colligitur, præter culpam mortalem, quam contrahunt non recitantes debitum diuinum Officium quotidie, contrahere etiam aliam obligationem restituendi fructus pro debita portione: & colliguntur ex Extrauaganti Pij V. quæ refertur per *Nauar. in Sum. c. 25. num. 122.* vt alia omittant Concilia, cùm id ad presentem difficultatem non faciat, &c. An autem hæc pœna restituendi fructus perceptos à non recitantibus sic diuinum Officium sit grauis, an leuis, dicant, qui premuntur hoc onere restituendi. Nulla enim res iam reperitur apud mortales, quam magis vexentur, quam illa in qua reperitur ratio accepti & dati, præfertiū verò cùm de restituendo agitur. Dicant Confessarij, dicant alij quicumque, quibus huiusmodi negotia aliquando data ac demandata sunt, vel ipsa experientia docet, vt omne aliud negotium facilius aggrediantur quam hoc, in quo agendum sit de alieno restituendo. Cùm igitur in casu nostro & materja sit grauis, & verba, quibus vtritur Papa, maximè vrgeant, & prætereat reperiantur suæ pœnae, exque grauiores; reuerâ omnino concluden-

dum videtur, eam fuisse intentionem ac mentem Pontificis Pij V. vt scilicet obligaret transgressores ad peccatum lethale, quod à nobis erat probandum.

Confirmatur ex *Nauar. de Oratione & Horis Canonicis num. 27.* Non patere præceptis Ecclesiasticis in re graui, mortiferum peccatum est; ergo & in re nostra, quæ est res grauis, vt probatum est, non obediens Papæ, erit mortale.

Confirmatur secundò ex *D. Thom. quest. 83. artic. 4.* peccatum veniale non consistit in non adimplendo præcepta, neque in transgrediendo præcepta, quia in hoc consistit peccatum mortale: sed qui non dicit Officium diuinum secundum præscriptum à Papa, non adimplet præceptum eius, idque transgreditur; ergo peccare dicendus est mortaliter, non venialiter.

Patet secundò eadem Conclusio. Tollere vnitatem Ecclesiarum sine dubio peccatum lethale, contra Ius diuinum atque Ecclesiasticas traditiones, vt alibi dictum est; ergo etiam tollere talem vnitatem in Ecclesia, erit etiam peccatum mortale. Patet Sequela, quia quotiescumque aliqua actio est mala secundum se, semper est talis; ergo, si tollere vnitatem Ecclesiarum semper est malum, etiam tollere talem vnitatem erit malum, & consequenter peccatum mortale: sed nolle assentiri & obediens præcepto Ecclesiastico ac præscripto Papæ, quo ipse vult vnitatem in recitandis Officijs diuinis, & si non explicitè, implicitè tamen, & virtute, est nolle talem vnitatem Ecclesiarum à Papa præscriptam; ergo, &c. Quod autem vnitatis in Officijs recitandis sit necessaria, præter dictam Constitutionem Pij V. habet etiam Concilium Tolestanum IV. cap. 2. ubi inquit: *Vnus ordo orandi*

orandi & psallendi per omneſ Hispa-
niam & Galliam conſervatur, unuſ moduſ in Miſſarum ſolemnijs, unuſ in
veſpertiniſ Officijs, quia una Fide &
una Regno continuemur, ſcilicet Chriſto;
ergo Clericus, tollens ex ſuo marte
hac vnitatem ab Eccleſia preſcriptam,
peccabit mortaliter, non venialiter.

Confirmatur primò, quia omnis
lex conformis rectæ rationi obligat ad
mortale transgredioſes: ſed ordinatio
facta à Pio V. de modo tenendo in re-
citandis Horis Canoniciſ, eſt con-
formis rectæ rationi; ergo. Patet Mi-
nor, quia recta ratio, ut in ceteris, ſic
multò magis petit vnitatem & con-
formitatem in colendo Deo, qui ma-
xime cernitur in recitandis Horis: cer-
tum autem eſt, per leges humanas
poſſe obligari hominum conſientias,
etiam ad mortale peccatum, in ijs,
quæ, etiamſi ortum non habent à di-
uinis Litteris, ſunt tamen illis confor-
mia, & habent illa tria à nobis iam
ſuprā affiſignata.

Confirmatur ſecundò, quia con-
temptus Eccleſiae in re graui ſemper
eſt peccatum mortale; ergo etiam ta-
lis contemptus in re graui erit pecca-
tum mortale: ſed qui ex ſua voluntate
non vult feruare preceptum Papæ in
recitandis Horis, virtute faltem intel-
ligitur contemnere in re graui Eccle-
ſiam; ergo peccat mortaliter. Sufficit
enim contemptus implicitus & vir-
tualis ad peccatum mortale inobedien-
tia, ſi ſit in re graui, ſicut eſt in noſtro
caſu, ut ſuprā probatum eſt.

Probatur ultimò Conclusio, quia
facillimè tolluntur fundamenta con-
trariaſ ſententiaſ. Primum enim, in
quo maximè Auctoress ſecundæ ſen-
tentiaſ fundantur, illud videtur eſſe,
Quia, inquiunt, non feruare talem or-

dinem & modum in recitandis Horis
Canoniciſ, cum non ſit contra aliquod
præceptum, non eſſe niſi peccatum
veniale. Quare, inquiunt, ſi quis v-
num Officium pro alio dicat, modò
illud, quod dicit, ſit in Breuiario nouo
Pij V. adimplere quidem præceptum
diuino Officio dicendo; peccare ta-
men, quia inuerit ordinem, ſed non
mortaliter; quia de eo non extat præ-
ceptum, ſed ſolum venialiter peccare.
Et quidem facillimè tolli hoc fun-
damentum, nemo eſt qui non videat.
Nam ſi dicamus, ut verè dicimus, &
patet ex dictis, extare iam tale præ-
ceptum de tali modo, quo quotidie
recitandæ ſunt Horæ Canonice, certè
fundamentum illud omnino ruit: &
quod huiusmodi præceptum ſit ad
mortale, cum id iam oſtenſum eſſe
existimemus, non eſt quod idem re-
petamus.

Ad fundamentum verò Lessij, qui
cum optimè animaduertifet, funda-
mentum iam ab alijs allatum nullius
eſſe roboris, excogitauit aliud ex ſuo
(quod tamen non tam re quam no-
mine à priore diſferre videtur, ſi recte
attendatur) reſpondeamus, & illud
noſtra non officere Conclusioni. Non
ſolum enim à Pio V. in ſuacita Con-
ſtitutione preſcribitur ipsa substantia
diuini Officij, ab omnibus, quorum
interest, recitandi; ſed etiam preſcri-
bitur forma & modus quibus illud
debet recitari, etiamſi illud immedia-
tè & primò intenderit Papa, hoc verò
ſecundariò: quia reuerā primus ani-
mus Pontificis Pij V. fuit tollendi cau-
ſa varia Breuiariorum, ut ipſe ait, ge-
nera, quæ paſſim circumferebantur;
ita tamen, ut deinde ſimul preſcri-
bat, & nouum Breuiarium ab omnibus
recitandum, & item modum &

Vv 2 formam

formam in eo recitando obseruandam. Quare existimo ego, vt quis nunc peccaret mortaliter, vtendo vestitis per illam Bullam Breuiariis; sic etiam peccaturum, & non vtendo nouis, & non seruando formam præscriptam in recitandis Horis diuinis. Hæc enim omnia, vt videre est in citata Constitutione, cadunt sub eodem præcepto, & eodem modo. Quod etiam aduertisse Paulum Squillantem loco vbi suprà deprehendi, postquam iam ego scripsisse. Accedit, quòd etiam hæc Lessij sententia ibidem, si quis diceret de Feria, cùm dicendum esset de Sancto, & econtrà; etiamsi non peccaret contra substantiam diuini Officij, quia diceret aliquid Officium ex nouis à Papa approbatis; peccaret adhuc contra modum, quia non sequitur illum qui præscriptus est à Papa: quamquam in eo discordamus à Lessio, quia ipse ait, peccaturum illum sic recitantem venialiter, nos verò mortaliter. Quare fatetur Lessius illum peccaturum, quia transgreditur præceptum Papæ; Quia, inquit ipse, transgreditur rem quæ secundariò præcipitur. Nos vero asserimus, & patet ex dictis, illum peccaturum mortaliter; quia, etiamsi non seruando modum diuini Officij solum contrafaciat rei secundariò præceptæ, adhuc tamen & hoc ipsum cadit sub præcepto Papæ, eadem omnino ratione, qua eiusdemmet Officij substantia: & cùm simus in materia graui, vt dictum est, non video quare dubitari debeat, quin id satis sit ad peccatum mortale, præfertim cùm id sufficere ad peccatum mortale, ex alijs consimilibus colligere possumus. Nam si quis, retentis quæ sunt substantialia in aliquo Sacramento,

aut omitteret, aut inuerteret modum & formam in eo præscriptam, aut confiando, aut administrando consultò, peccaret sine dubio mortaliter, vt communis habet sententia, etiamsi modus sit extra essentialia, vt sunt verba quæ coniunguntur formis Sacramentorum, Sacramenti verbi gratia Eucharistiae, Confessionis, &c. Item si quis non deuotè neque attente recitaret Officium diuinum, peccaret mortaliter, ex Cap. Dolentes. de Celebri. Miss. etiamsi solum peccaret contra modum, vt post alias aduertit Ioan. Medina Cod. de Oratione tract. 6. quæst. 15. §. Verum ad hæc. Quare omnino concludendum videtur in re nostra, etiamsi modus & forma in recitandis Horis Canonicis secundariò præcipiantur in dicta Constitutione, quia tamen præcipiuntur tali modo, ac tali ratione, & res, quæ præcipitur, grauis est; videtur omnino dicendum, & modum & formam recitandi Horas cadere etiam sub præcepto, eodem modo quo cetera quæ in eadem Constitutione præcipiuntur. Et quia cetera sunt sub peccato mortali, vt esse, contrarij Doctores concedere tenentur; eodem item modo, & forma, & modus, de quibus disputationem, erunt præcepta sub peccato tali. Et hæc scitis, quoad fundamenta secundæ sententiae.

Ad Auctores verò prioris sententiae illud mihi omnino dicendum videtur; cùm ipsi dixerint, transgreditores Bullæ supradictæ peccaturos grauiter, intelligendos esse, quòd loquantur de transgressione mortali, non veniali: neque enim veniale propriè dicitur graue, sed leue.

Et hanc etiam existimo fuisse intentionem ceterorum Doctorum, si qui

qui sint qui scripserint ante Bullam à Pio V. editam. Nam cùm , vt dictum est, ius ipsum naturale præscribat conformitatem quamdam & vnonem psallendi in Ecclesia Dei ; si quis faceret contra dictum præscriptum naturale , vel etiam rectam rationem , peccaret grauiter , id est mortaliter : nam facere contra ius naturale seu rectam rationem in re graui, peccatum mortale est ; & id est quod voluerunt Auttores illi , cùm dicunt, Clericos mutantates & inuertentes ex sua voluntate diuinum Officium peccaturos grauiter , quia scilicet facerent contra ipsum dictamen rectæ rationis, quod est peccatum mortale.

Quare miror Azorium, aliàs sapientissimum virum ,quòd non satis consultò dixerit loco suprà citato, contrariam sententiam esse communem. Nam certè his nostris temporibus video Scriptores hanc nostram amplexatos , maximè qui dictam Constitutionem maturius considerarunt , vt Nauar. Tolet. Cosmas Phil. & Petrus de Aragona , vt alios omittam: neque video qua ratione dici possit communior sententia illa , cui repugnat vel doctissimi viri , & Theologi , & Canonistæ , vt sunt quos citauimus suprà.

Addo vnum , quòd si Siluester , vir doctissimus , post editam Constitutionem Pij V. eiusdem Dominicanæ familie scripsisset , mutasset sententiam sine dubio : nam , vt videre est apud illum , nullum aliud pro suo dicto affert fundamentum , nisi , quòd modus , inquit , recitandi Officium diuinum non sit sub aliquo præcepto; vt propterea afficeret , inuertere talem ordinem , non esse nisi peccatum veniale. Certè si iam de nouo scripsisset , cùm extet præceptum suprà allatum ,

sine dubio mutasset sententiam , neque allatum fundamentum attulisset , & cum seniori sententia sensisset , illum scilicet , qui sic recitaret Officium diuinum contra modum & formam à Pio V. præscriptam , peccaturum mortaliter , si consultò , si pluries id faceret ; quia scilicet faceret contra talem Pontificiam Constitutionem.

Tandem , quod Lectorem admonitum volo , illud est , post hanc à me scriptam & confectam Dubitationem , cùm illam de more castigationi familiari Admod. Reuerendi Patris Homoboni de Homobonis , ex Pœnitentiarijs in Metropolitana Ecclesia sancti Petri Bononiae , quem semper obseruauit , tum præcipue in his satis consummatum virum , subiecisse , amico animo accommodasse mihi perlegendum libellum inscriptum , *De obligat.* Cleric. conscriptum verò à Paulo Squillante , in quo erat hic casus de quo disputauimus , cui libenter more gerens acquieui. Accepi libellum , atque ex animo perlegi , multa in eo , quæ (sit Deus testis) ex meo marte me adiuuenisse iactabam , vt bono amico Homobono subridens dixerim : Tandem fateri necesse est , verissimum illud esse , quod in ore omnium est , nihil iam dici , quod non prius fuerit dictum. Hæc eo dixi , humanissime Lector , quòd si citatus Auttor ad manus deuenerit , ne existimes velim , me ab illo aliqua furatum esse quæ iam scripserim ; quamquam & maximè gauius sum , me in hac difficultate pertractanda non noua ex cogitasse , vt alij (quos bonos volo) viisi sunt dixisse , sed , quæ alijs & vera & rationi conformia existimata sunt , scripsisse.

DE S. P A V L O A P O S T O L O.



RIDE Festi Conversionis sancti Pauli Apostoli extremam , vt aiunt, manum huic Operi de Sacris Riti- bus (addidimus alia deinde ad aliorum nutum)-tum Mis- salis tum Breuiarij Romani , Deo dante, cùm essemus Perusiae, imposuimus; & acturi gratias quas possemus ma- ximas tanto Apostolo , Patrono Con- gregationis nostræ , à quo innumera , & præsertim in hoc Opere elaboran- do, accepimus beneficia: in gratiam quoque Clericorum Ordinis nostri, quibus non dubito fore , vt qualis- cumque noster hic labor profit & pla- ceat, eiusdem S. Apostoli vitam, acta, & mortem , è grauissimis Autoribus decepta, noua quadam methodo & Annalium forma hoc loco descri- psumus.

Anno igitur à Nativitate Christi se- cundo natus est Saulus, auctore Chry- stofomo, enumerante annos Pauli in fine Vitæ eiusdem octo supra sexagin- ta. Tharsi Ciliciæ ortus est , *Act. 22.* de Tribu Beniamin , *Philipp. 3.* erudi- tus est deinde in Ierusalem, *Act. 22.* sub Gamalièle , *ibid.* vna cum Ste- phano & Barnaba , ex Luciano. Græ- cam quoque linguam didicit puer , ex Hieron. in *Epistola ad Algasiam* : tan- dem grandior ætate , Pharisæus factus

est , *Philip. 3.* Genere ignobilis fuit, ex Chrysoſt. ſemel & iterum, *Hom. 5.* de *S. Paulo*. Sororem habuit, cuius fi- lius Iudeorum conſpirationem dete- xit, *Act. 23.* cognatos Andronicum, Iuniam, Herodionem , Lucium , Iaſo- nem, & Sofipatrum, *Rom. 16.*

Anno Christi 34. etatis Sauli 33.

D ie 26. Decembbris adfuit marty- rio S. Stephani consobrini , ex Oecumenio , lapidantium uestes cu- stodiens , & aliorum manibus lapides projiciens. Et licet adolescens in eo caſu vocetur *Act. 7.* à S. Luca ; vox tamen Greca *vocans*, ex Budæo, signi- ficat audacem, & eum, cui statim me- ritò demandari potuit à Sacerdotum Principe tuendæ prouincia legis Moy- faicæ.

Per annos sequentes, vſque ad an- num 43. Henrici Spondani compen- dium ſequimur; qui tamen aſterit, ſe concordare cum posteriori ſententia Baronij , in priori Annalium diuera ſentientis editione.

Anno 35. etatis 34.

D ie 25. Ianuarij, cùm Damascum equo veſtus, ex Molano cap. 13. de *Piætris* , & Lorino in *Act. Apost.* vel pedibus , ex Aug. Ser. 9. de *Verb.* *Apost.* poſtrema , itineris quinta die, circa meridiem, ex Serrario de *S. Pa- to,*

lo, pergeret, à Christo immediatè vocatus, conuersus est, *Act. 9.* orante Stephano pro eo, ait Augustinus. Damasci à Deo eruditur, non per Ananiam, *Galat. 1.* dum tribus diebus orat in domo Iudæ. Ab Anania baptizatus est; & qui cæcus erat visum recepit, accepit cibum, & confortatus est. An de Eucharistia accipiens erit? Ananias neque Diaconus erat, vt probat Serrarius *loco citato*; ergo cibum sumpsit communem. Continuò non acquieuit carni & sanguini, *Galat. 1.* & Damasci declaratus à Deo Vas electionis, Spiritu sancto plenus, per dies aliquot fuit cum discipulis, prædicans in Synagogis Iesum, quoniam hic est Filius Dei, *Act. 9.*

Anno 36. etatis 35.

ARABIAM concessit, sed ferè statim Damascum redijt, *Gal. 1.*

Anno 37. etatis 36.

DAMASCI multò magis conualescerat & confundebat Iudeos: qui & ideò consilium fecerunt vt eum interficerent: cognitis autem insidijs & custodia ciuitatis,

Anno 38. etatis 37.

IN sporta per murum emissus est à discipulis, & iuit ab hostibus liber, *Act. 9.* Ierusalem iuit videre Petrum, quo cum ille mansit diebus quindecim, *Galat. 1.* post annos tres, inquit idem ipse, hoc est, ab anno conuer-sionis. Barnabas eum duxit ad Apostolos & discipulos, qui eum timebant, *Act. 9.* A S. Petro puto hoc anno consecratum fuisse Paulum Sacerdotem, & Episcopum. Cæsaream

inde & Tharsum redijt, vt patriæ professet, *ibidem.*

Anno 43. etatis 42.

ANTIOCHIAM cum Barnaba petit, vbi per annum totum conuersati sunt, ita vt eorum opera cognominati sint discipuli Christiani, *Act. 11.*

Anno 44. etatis 43.

DETULIT cum Barnaba collectam pecuniam in Ierusalem ad pauperes, *Act. 11.* & assumpto Ioanne, qui cognominatur Marcus, reuersus est, *Act. 12.* Ibi à Spiritu sancto vna cum Barnaba segregatus fuit ab alijs, & Apostolatu Gentium initiatus cum Sacrificio Missæ & ieiunio, *Act. 13.* inde abortuum se vocauit, *i. Cor. 15.* hoc est, supra numerum duodecim Apostolorum: id enim sonat vocabulum *abortiuus*, ex Suetonio in *Ottavio*. Hoc eodem anno (& fortè statim ac segregatus fuit) raptus est ad territum cælum, seu in paradisum, qua de re scribit ipse post annos quatuordecim, *2. Corinth. 12.*

Anno 46. etatis 45.

SELEUCIAM, Cyprum, Salaminam, Paphum se contulit: & in Papho ad Christum conuerit Sergium Paulum Proconsulem, obcæcato Mago Iudeo, nomine Bariesu, seu Elyma, qui auertebat Sergium à fide. Hoc autem est primum Pauli miraculum, quod legatur *Act. 13.* Inde à Luca vocatur Paulus, non amplius Saulus vel à primo Ecclesiæ Gentium spolio, Sergio Paulo, ex Hieron. in *Epistola ad Philem.* vel quia cum Iudeis diei volebat Saulus, cum Gentibus autem agens,

agens, Romano nomine Paulus, ex Origene in Epistolam ad Romanos. Quamquam Chrysostomus putat, à Deo datum illi fuisse Pauli nomen, quo aliquando congruentiori tempore nominaretur; hoc est, post plenam notitiam Iudeorum, quod ille ipse erat qui Christianos persequebatur. Baronius addit, quod Sergius illi fortasse suum cognomen communicauit amicitiae gratia, quod Aemiliorum familia fuit; sicuti deinde Iosephus Iudeus dictus est Flavius à Tito Flaviae gentis. Paulus autem parvulum & modicum sonat, qualem se favebatur. E Papho nauigauit, & venit Pergen Pamphyliæ, & statim in Antiochiam Pisidiæ, vbi in Synagoga semel & iterum in Sabbato fusiùs egit de Christo, multique conuersi sunt ad Christum: alij tamen zelo repleti concitauerunt contra Paulum & Barnabam mulieres religiosas & honestas, & primos ciuitatis, ut ejacerent illos de finibus suis; qui, excusso puluere pedum in eos, venerunt Iconium, Act. 13.

Anno 47. etatis 46.

I Conij multa passus est, Act. 14. & indicat 2. Timoth. 3. Ibidem virginem Theclam despousauit Christo, ex Nysseno & alijs, quam Pauli primogenitam idè SS. Patres vocant, & pro Christo protomartyrem inter feminas. Facto verò impetu Gentilium & Iudeorum, ut contumelijs afficerent Paulum & Barnabam, & eos lapidarent, configuerunt ad ciuitates Lycaoniæ, Lystram, & Derben.

Anno 48. etatis 47.

L Ystris cùm esset, claudum ex vetero matris sua sanauit, quo mira-

culo adorabatur ut Mercurius, quoniam ipse dux erat verbi; sed scissis vestibus occurrens sedauit turbas, ne sibi tamquam Deo immolarent: mox ad mortem usque lapidatur extra ciuitatem. Die sequenti Derben abiit, & fere statim Lystram rediit, Iconium, & Antiochiam, Act. 14.

Anno 49. etatis 48.

A ntiochiae degit, confirmans animas discipulorum: & cum per singulas Ecclesias constitueret illis Presbyteros, transiit Pisidiam, venit in Pamphyliam, Pergen & Attaliam, Act. 14.

Anno 50. etatis 49.

N Auigauit in Antiochiam, vbi moratus est tempus non modicum cum discipulis, ait Lucas Act. 14.

Anno 51. etatis 50.

F Acta seditione non minima de circumcisione Moysaica, delectus est Paulus, ut cum Barnaba & alijs ascenderet in Ierusalem super hac quæstione, Act. 15. Pertransiit Phœnicem & Samariam cum gaudio magno omnium fratrum, ibidem. In Ierusalem vidit Petrum, Iacobum minorem & Ioannem Apostolos, tamquam Columnas Ecclesiæ, ad Galat. 2. quibuscum, coacto primo Concilio, & ipse adfuit. Act. 15. post Petrum locuti sunt Paulus & Barnabas, postremò Iacobus perorauit. A Concilio Patribus missus est Paulus cum Barnaba & alijs Antiochiam vna cum litteris Apostolicis, de ijs quæ acta fuerant in Concilio, Act. 15. datis priùs in uicem dextris, ut Paulus prædicaret potissimum Gentibus, Galat. 2. Quæde

de causa cùm Petrus Antiochiam venisset, & pro Iudæis agere magis videretur quam pro Gentilibus, Paulus eidem restitit, & eum reprehendit: quod Gal. 2. manifestè de se scribit. Diuiditur Paulus, Deo ita disponente, à Barnaba, eò quia hic Ioannem Matcum assumere volebat, quem, alius timidum probatum, nolebat sibi socium Paulus; qui idcirco assumpto Sila perambulabat Syriam & Ciliaciam, confirmans Ecclesias, & præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum, Att. 15. hoc est, tradita in Concilio superiori. Derben peruenit & Lystram, vbi assumpit Timotheum, quem & circumcidit, Att. 16. Cùm autem transiret Phrygiam & Galatiæ regionem, prohibitus fuit à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Alia; & præsertim in Bithynia, ad quam tentauit ire, cùm in Myriam venisset. Descendit Troadem, vbi per visionem inuitatur ire in Macedonia. Hoc loco factus est Lucas Pauli comes, Att. 16. quo cum à Troade nauigauit in Samothraciam, & sequenti die Neapolim, tum Philippopos, primam Macedoniae ciuitatem. Lydia purpuraria credidit Deo, & coëgit Paulum habitare in domo sua. Ibidem Pythonissam à dæmone liberauit: quam tamen ob causam, celsante lucro dominorum eiusdem, virgis cæsus est, carceri interiori mancipatus, pedibus ligno strictis. Eo verò orante cum socio media nocte (*hinc Officij Matutini Ecclesiastici origo apud Christianos*) terræmotus factus est, & statim aperta sunt ostia, & vniuersorum soluta vincula, ibidem. Conuertitur carceris Custos cum tota domo eiusdem, qui, lotis Pauli plagis, perduxit eum in domum suam, & men-

sam ei apposuit cum lætitia magna. Manè sequenti exiuit è carcere, rogatus à Magistratibus, vt de vrbe abiret; & visa Lydia & fratribus profectus est, Att. ibidem.

Anno 52. etatis 51.

Visitat Amphipolim, Apolloniam, Thessalonicam, hospitio exceptus à Iasoni Thessalonicensi, vbi multi adiuncti fuere Paulo, ait Lucas Att. 17. & de Gentilibus multitudine magna, & mulieres nobiles non paucæ; sed concitata plebe à Iudæis contra Iasonem, qui Paulum occultauerat, per noctem dimissus est in Berœam: à qua post multum fructum verbī Dei, cœntibus turbas Iudæis de Thessalonica, statim dimissus est Paulus, & perductus usque Athenas. Seminiuerbius, & nouorum dæmoniorum annuntiator appellatur à Stoicis & Epicureis; à quibus in Areopagum ductus, Ignotum Deum declarat; Dionysium conuertit, Damiram, quam Dionysij vxorem putant, Chrysost. de Sacerdotio lib. 4. Ambros. & August. tum alios permullos, Att. loco citato. Dicitur missus à Paulo ad Dionysium adhuc catechumenum cæcus quidam à natuitate sanatus. quod affirmat Augustin. Sermone 29. de Sanctis, cum Hildiuino in Areopag.

Anno eodem Corinthum iuit, apud Aquilam, Ponticum genere, diuertit, operatus est manibus proprijs, consuens militaria tabernacula, ex Baronio, Att. 18. quam scenofactoriam artem didicerat Paulus adolescens, iuxta patris mores Iudeorum. Per omne Sabbathum disputabat in Synagoga; & migrans inde, intravit in domum Titi iusti. Crispus Archisynagogus

gogus creditit Christo cum omni domo sua. Animatus autem Paulus à Domino per visionem nocte, sedet ibi annum & sex menses, *Act. 18.* ibidem ad Thessalonicenses primam Epistolam scripsit, ex Baronio; & signa Apostolatus sui ostendit in omni patientia, in signis, prodigijs, & virtutibus, *2. Cor. 12.*

Anno 53. etatis 52.

Cum adhuc esset Corinthi, scripsit alteram ad Thessalonicenses; & Nazaræorum ritu tonso sibi capite in Cenchræ, absolutus à tribunali Gallionis Proconsulis Achææ, ad quem adductus fuerat à Iudeis, nauigauit in Syriam, *Act. 18.*

Anno 54. etatis 53.

Ephesum venit, mox promittens redditum ad Ephesios, descendit Cæsaream Palæstinæ, & Antiochiam Syriæ: inde aliquanto tempore perambulauit Galaticam regionem & Phrygiæ, confirmans omnes discipulos, *Act. 18.* A Galatis excipitur ut Angelus Dei, *Galat. 4.* & tandem rediit Ephesum, *Act. 19.*

Anno 55. etatis 54.

Ephesi degit per triennium, quod fatetur ipse met *Act. 20.* Super duodecim discipulos per impositionem manuum Pauli venit Spiritus Sanctus: & introgressus Paulus Synagogam, per tres menses suadebat de regno Dei, *Act. 19.* Per biennium hoc factum est, ait Lucas, in schola Tyranni cuiusdam, ita ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Iudei atque Gentiles. Edidit ibidem miracula multa, etiam per

sudaria & semicinctia, hoc est tenues fascias. Pugnauit cum bestiis, *1. Corint. 15.* id est, cum malis Ephesinis, ait Chrysostomus.

Anno 56. etatis 55.

Ephesi adhuc immorans expellit à multis dæmonia, excipit confessiones peccatorum; & delatis libris curiosis, & artis magicae, eos comburit; & computatis pretijs illorum, inueniunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.

Anno 57. etatis 56.

IN TITIO tertij anni, quo degebat Ephesi, ad Corinthios scripsit Epistolam primam; in qua incestuolum quædam satanæ tradidit, hoc est, excommunicauit. Expugnante vero Paulum Demetrio argentario Ephesino, ne lucrum ipsius cessaret, sublata Diana, cum vellet Paulus intrare in populum contra se concitatum, non permiserunt discipuli, *Act. 19.* quibus reliquo Timotheo, Ephesiorum Episcopo, *1. Timot. 1.* recessit in Macedonia, *Act. 20.* Ibi, ex Baronio, vel Laodiceæ, ex Breuiario Romano & textu Græco, scribit ad Timotheum iam Episcopum Epistolam priorem: multaque passus, de quibus ipse *2. Corint. 1. & 7.* dum perambulat Macedoniae partes, venit in Græciam. Creta creauit Titum Episcopum, *Tit. 1.* Hoc anno passus est ea quæ indicat *2. Corint. 11.* & præsertim trufus est in teterimum illum carcerem, fortasse Cyzicenum: non enim longè erat à Troade Cyzicum. Appellat autem ipse, ex Beda, profundum maris, in quo fuit nocte & die.

Anno

Anno 58. etatis 57.

CVm esset in via Nicopolim versus, scripsit ad Titum, *Tit. 3.* vt coniicit Baronius. Nicopoli deinde hieme proxima scripta alteram ad Corinthios. Cum autem per tres menses, ex Luca *Act. 20.* manserit in Graecia, hoc est, ex Baronio, in regionibus ab Achaia usque in Illyricum; ubi virtute multa signorum praedicauit iis Euangelium qui nondum illud audierant, quod scribit ipse *Roman. 15.* Ibidem a Luca scribi iubet Euangelium, quod in Achaia & Boeotiae paribus ait Hieron. scriptum fuisse; & de hoc Paulum intelligere, cum dicit *2. Timoth. 2.* secundum Euangelium meum. Cenchreas deinde iuit, ex Origene; & ad Galatas, tum ad Romanos Epistolas dedit, ex Chrysostomo. Rursus Macedoniam reddit, *Act. 20.* Philippos, ubi Pascha celebrat; & post dies azymorum Troadem venit per dies septem. Postrema die ex his, quae fuit Dominica, ex Augustino, usque ad medium noctem Sermonem protrahens, cadente Eutycho, & mortuo, Paulus eum surgere iussit, incumbens super eum, more fortasse Eliae & Elisei. Discessit manè navigatione usus in Asson, Mitylenen, Chium, Samum, Trogylion, ex Graco textu, & Adonis Martyrologio, & Miletum, ubi conuocauit Maiores natu Ephesiorum, ut commendaret eisdem vniuersum gregem: quibus & vale dixit, non eos amplius visurus. Citauit in ea Concionem sententiam Christi, quae alibi non legitur, *Beatus est magis dare quam accipere.* Oravit in littore flexis genibus, licet esset tempus Paschale, quod nondum Christiano more celebrabat; vel

quia erat oratio priuata, ex Lorino in *Acta Apost.* denique cum fletu magno & pacis osculo sancto prosecutus est iter, *Act. 20.* Cum nauigauit, die sequenti Rhodum, & inde Pataram, mox in Phoenicen, & iuxta Cyprum in Syriam festinauit, & Tyrum; ubi mansit diebus septem. Oravit rursus in littore positis genibus, & descendit a Tyro Ptolemaidam, una die apud fratres immorans: sequenti die Cesaream concessit Palastinæ: & in domo Philippi Diaconi, è septem primis, per aliquot dies dum maneret, audiuit a Prophetâ Agabo, quod alligandus erat a Iudeis in Ierusalem, ut traducerent eum in manus Gentium; cui nihil timens respondit Paulus: *Ego non solum alligari, sed & mori paratus sum propter nomen Domini Iesu.* tandem peruenit Ierosolymam, quem libenter exceperunt fratres, *Act. 21.* Egit cum Iacobo Apostolo & Senioribus, a quibus, ad declinandam Iudaorum inuidiam, persuasus, ut Nazariorum more se sanctificaret cum aliis quatuor viris (quod facile illi fuit, quia abstemius erat, ut hinc Baronius infert) sequenti die intravit in templum. Dum autem septem dies consummarentur (Pentecosten tunc celebrabat, ait Chrysost.) ecce populus totus contra Paulum ad mortem usque, & percutiebant eum. At Lysias Tribunus cohortis alligari iussit eum duabus catenis, & in questionem adduxit. Meruit audire populi voces, quae contra Christum in Ierusalem: *Tolle eum, Act. 21.* Reputatus autem Aegyptius, quatuor millium sicariorum dux, a Tribuno, se Iudeum probat; & facto magno silentio, stans in gradibus longam Concionem habuit de genere & conuersione sua, *Act. 22.*

X x 2 qua

qua nondum finita , vociferante populo , & proiiciente vestimenta sua , & puluerem iactante in aërem , iussit eum Tribunus flagellis cædi , & tortuéri ; sed cognitus Romanus non cæditur , & liber abit , *Act. 2.* Conuocatur Sanhedrim , id est , Concilium Sacerdotum Iudæorum ; coram quibus causam agit suam ; pefcutitur os eius Principis Sacerdotum iussu ; cui licet prophetando respondeat , *Percutiet te Deus , paries dealbate :* monitus tamen , eum esse summum Sacerdotem , excusat se , quia nesciret , *Act. 23.* Diffensione orta , Pauli arte quadam , inter Sadducæos & Pharisæos , ab his Paulus defenditur : nocte sequenti à Domino docetur fore , vt Romæ Christum prædicaret . Interea virtus plusquam quadraginta coniurant in caput Pauli , qui à filio sororis suæ de insidiis admonitus , & per eum edocto Tribuno , mittitur Cæsaream cum duobus Centurionibus , militibus ducentis , & equitibus septuaginta . Equo hac vice inuenitur Paulus iter fecisse ad Felicem Præsidem , post horam noctis tertiam , in Antipatridem & in Cæsaream : ubi in Herodis Prætorio usque ad aduentum accusatorum custoditus fuit , *Act. 23.* Accusatur à Tertullo Oratore Iudeorum : defendit se Paulus , & Centurioni traditus , vt eum custodiret , non prohibetur agere cum suis . Vocatur à Præside & Drusilla vxore , quibus de Christo testificatur : & dum disputat de iustitia , castitate & iudicio futuro , contremiscit Felix , & remittit eum in locum suum . Volens autem gratiam præstare Iudæis , succedente sibi Portio Festo , reliquit Paulum vincatum , *Act. 24.* In quæstionem iterum vocatus coram Festo , Cæsaream appellauit , vt Romam

iret . quod à Festo etiam obtinuit , *Act. 25.* Insanire dicitur à Festo , dum de se rationem reddit , *Act. 26.* Et confirmata ab Agrippa Festi sententia , vt ad Cæsaream eat , traditur Iulio Centurioni cohortis Augustæ ; quo cum ascendens nauim Adrumetinam cœpit nauigate circa Asiac loca , deuenit Sidonem ad amicos , deinde Cyprus , tum Lystram , quæ est Lyciæ . Conscendit aliam nauem Alexandrinam , & tarda nauigatione vix contra Gnidum , contrario vento , Cretam appulit iuxta Salmonem , & Bonipotum tenuit . Periculosa fit ea nauigatio , quam describit Lucas *Act. 27.* Et ablata spe omnis salutis , solabatur Paulus eos qui cum ipso erant , præmonitus ab Angelo Dei proxima nocte , quod donauerat illi Deus eos omnes qui nauigabant cum eo . Animæ quiores ergo facti , sumpserunt cibum , à quo per dies quatuordecim , ob imminentem sœnam tempestatem , abstinuerant : sed nauis tandem dissoluta est , nautis & aliis partim natando , partim tabulis hærendo ad terram euadentibus , ducentis septuaginta sex , viuis Pauli meritis , *Act. 27.* Melita sublîstit , à Barbaris humaniter acceptus . Hiems erat , imber imminebat , & ecce , congregante Paulo sarmenta quedam ad fouendum ignem , à vipera tactus non tamen læditur ; unde Deus esse existimatur . Factum est inde , ait Baronius , vt serpentes in ea Insula veneno careant , nihilque inferant detrimenti ; imò & terra ipsa , experientia teste , contra venena potens est antidotum . Triduo à Publio hospitio recipitur , cuius patrem oratione & manuum impositione sanavit Paulus , vexatum febribus , & dysenteria aduenientes item alios infirmos pie curauit .

curauit. Per tres menses ibidem com-
moratus , probè doctum Publum
creauit Insulae Episcopum , ex Baro-
nio , de quo est mentio in Martyrolo-
gio die 21. Januarij , ex Adone.

Anno 59. etatis 58.

RELECTO Melita Trophimo infir-
mo, 2. *Timoth.* 4. alia naui Alex-
andrina usus nauigauit Syracusam ,
vbi triduo mansit , inde Rhegium , &
post vnum diem Puteolos venit ; vbi
cum fratribus diebus septem Aposto-
licam nauauit operam. Romam iturus
itinere pedestri vnā cum Centurione,
ad Appij forum , quinquaginta & u-
num millia passuum ab Urbe Roma
distans , obuios habuit fratres in agro
Setino , alias item ad tres Tabernas
(hodie Cisternam vocant) triginta tria
millia distantes ab Urbe. Mense de-
nique Maio , ex Baronio , contra Bed-
dam , qui die sexta Iulij , Feria tunc
quarta , ex Iosepho Vicecomite lib. 3.
de Ritib. Miss. cap. 18. qui tamen ci-
tat incognitum auctorem , ingressus est
Romam Paulus , Pontificatus Petri
anno decimo quinto , Neronis tertio.
Creditur habitasse Romæ primū in
ea domo , quæ nunc est Ecclesia sanctæ
Mariæ in Via lata , non procul à platea
Columnæ Antoninæ , vbi nunc Eccle-
sia sancti Pauli nomine à nostris ex-
structa est , si credimus Baronio : à quo
idem locus pro Collegio fundando
sub extensa manu sancti Pauli , immen-
sa molis à Sixto V. supra Columnam
collocata statuæ , triginta abhinc annis
fuit indicatus.

Romæ verò , ferè statim , post ter-
tium diem , ait Lucas , conuocauit pri-
mos Iudæorum , quibus aperuit iti-
neris & vinculorum causam , sed eam
principiam fuisse , vt Romanos vide-

ret , & alloqueretur. Cum Nerone
absque dubio egit , derelictus à suis ,
vt ipse ait 2. *Timoth.* 4. confortatus
tamen à Domino , liberatum se dicit ab
ore leonis , id est Neronis , *ibidem*. Imò
coram Senatu & Collegio Pontificum
egit , quod ipse significat *Philip.* 1.
Permissum est autem manere sibi met
cum custodiente se milite , vt scribit
Lucas *Act. vii.*

Biennio mansit toto in suo condu-
cto , addit idem : & à Philippenses
pecunia iuuatur , *Philip.* 4. ab Onesi-
phoro refrigeratur , 2. *Timoth.* 1. In-
tereà Iudæis & Gentibus cum omni
fiducia , sine prohibitione , vt ait Lu-
cas , de Christo loquens , conuertit
Torpetem de domo Neronis , & Pop-
pæam Sabinam , Neronis delicias , ex
Chrysostomo in *Acta Apost. Homili*
ha 54. & ex Baronij coniecturis. Ad
absentes Epistolæ dedit , dum adhuc
eret in vinculis , quorum meminit in
iisdem , nempe ad Timotheum secun-
dam , post primam defensionem sui
coram Nerone : quo deinde Romæ
præsente , eius etiam nomine ad alios
scripsit. Vnā cum præfata ad Timo-
theum misit Epistolam ad Ephesios
per Tychicum Tabellarium.

Anno 60. etatis 59. & vinculo-
rum Romanorum 2.

PER eundem Tychicum scripsit ad
Philippenses & Colossenses , no-
mine suo & Timothei : ad Laodicen-
ses non scripsit , ex Chrysostomo &
Theodoreto. Dedit etiam litteras pri-
uatas ad Philemonem nobilem Colos-
ensem , cui commendauit Onesimum
seruum , qui amore Pauli Romam fu-
gerat : qui posteà , in gratiam Pauli li-
bertate donatus , successit Timotheo
in Episcopatu Ephesino , ex Ignatio

X x 3 Episto-

De S. Paulo Apostolo.

350

Epistola 14. Hoc anno item scripsisse creditur Epistolam ad Hebraeos , ex Chrysostomo in *Præfat.* in *Epistolas S. Pauli.*

Anno 61. etatis 60.

LVCAS ABSOLUIT ACTORUM LIBRUM IN AEDIBUS SANCTÆ MARIAE IN VIA LATÆ, EX CONSTANTI ROMANA TRADITIONE. PAULUS AUTEM SOLUTUS VINCULIS PROFICIscitur in Hispaniam, testantibus id quām plurimis SS. PATRIBUS APUD BARONIUM. NARBONÆ RELIQUIT PAULUM EPISCOPUM, QUI FUERAT PROCONSUL, EX MARTYROLOGIO 22. MERTIJ. ATELATE TROPHIMUM, & VIENNÆ CRESCENTEM, EX ADONE IN CHRON. ANNO DOMINI 59. ANNIS AUTEM SEQUENTIBUS FORTASSE RE-DIIT IN ORIENTEM, SICUTI PROPOSUERAT ANNO SUPERIORI SCRIBENS AD PHILIPPENSES, PHILEMONEM, & HEBRÆOS. INCERTA SUNT HIS ANNIS SEPTEM ACTA PAULI.

Anno 68. etatis 67.

ROMAM EST REUERSUS, VT AFFLICTA-TÆ ECCLESIA VNÆ CUM PETRO SUC-CURRET, & COLLABENTEM, AIT BARONIUS, INSTAURARET. SIMONEM MAGUM SIMUL CUM PETRO DEIICIT, EX CYRILLO IEROSOL. CATECH. 6. PELLICEM NERONIS, & PROCULUM, CIUDDEM PINCERNAM, AD CHRISTUM CONUERTIT, EX CHRYSOST. ADUERS. VITUPER. VITA MONAST. LIB. 1. QUAM OB REM IN CARCEREM CONICITUR CUM EODEM PETRO MENSE OCTOBRI, IN QUO PER NOUEM MENSES DETINENTUR, EX MARTYROLOGIO ROMANO 14. MERTIJ. CARCER AUTEM FUIT MAMERTINUS, EX EODEM MARTYROLOGIO, IBIDEM: IN QUO, ERUPPENTE AQUA MIRABILITER È PETRA (& ADHUC DURAT) BAPTIZATI FUERUNT PROCESSUS & MARTINIANUS CUM ALIIS 47. QUI PRO CHRISTO MARTYRES OCCUBUE-GUNT.

Anno Christi 69. etatis Pauli 68.
AIT CHRYSOSTOMUS, PONTIFICATUS
PETRI 25. NERONIS 13.

MARTYRIO PROXIMUS APOSTOLUS NOSTER, POPULO ENIXÈ CUM ROGANTE & COGENTE, VNÆ CUM PETRO FUGAM ARRIPUIT, EX ACTIS SANCTORUM PROCESSU & MARTINIANI. CUI PARITER DIXISSE DOMINUM, DENUDÒ DEBEO CRUCIFIGI, SCRIBIT ORIGENES IN IOAN. SED HÆC VERBA HAUSIT ORIGENES È LIBRO APOCTYPHO, VT IPSE INDICAT, & BARONIUS NOTAT ANNO 69. ILLUD CREDITUR, QUOD PAULUS PRÆSCIUERIT DIEM OBITUS SUI, & DOCET DION. CARTH. CUM ARIA IN CAP. 20. ACT. FORTASSE & GENUS MORTIS, CÙM DIXERIT, *AN GLADIUS?* LOQUENS DE PASSIONIBUS SUIS, ROM. 8. AD COLUMNAM ITAQUE LIGATUR, QUÆ EXSTAT HODIE IN ECCLESIA SANCTÆ MARIAE TRANS-PONTEM; & CÆDITUR FLAGELLIS, TAMQUAM SACRILEGIJ & IMPIETATIS REUS, LICET ROMANUS CIUIS FUERIT AGNITUS; QUEM IDCIRCÒ FERIENDUM GLADIO SUBIECIT NERO. EXIT EXTRA PORTAM VRBIS, IN QUÀ À PLAUTILLA VELUM RECIPIT, QUO IN MORTE OBDUCERET DE MORE OCULOS: ATQUE INTER EUNDUM TRES MILITES ADIUNGIT CHRISTO, LONGINUM, ACESTUM & MEGISTUM, EX MARTYROLOG. ROMANO DIE 2. JULIJ. SALUTATO PETRO VLTRO PORTAM, AB EO DIVIDITUR VLTRO CITROQUE VERBIS HONORIFICIS. EXSTAT IBIDEM ORATORIUM, DIVISIONIS HUIUS MONUMENTUM. AD AQUAS AUTEM SALVIAS, SEU GUTTAM IUGITER MANANTEM, EXTRA PORTAM OSTIensem, TERTIO AB URBE LAPIDE, PERDUCTUS (VBI CHRISTIANORUM ALIQUANDO CARNIFICINA EST HABITA) FUSIS PRIÙS AD DEUM PRECIBUS, DATOQUE PANE FRATRIBUS, EX METAPHRASTE, HOC EST EUCHARISTIA, EX GUILLELMO EYSELGTE, IN CENTUR. 1. PART. 5. DISTINCT. 1. SIGNOQUE CRUCIS SELĒ MUNITO,

nito, & ijs verbis, *Domine Iesu, in manus tuas commendabo spiritum, ex eodem ibidem, velatis oculis, capite inclinato, alacriori animo iugulum præbuit, die 29. Iunij: quæ fuit Feria 4. ex Alphonso Ciaconio in Vita S. Petri. Mira res, effluxit lac cum sanguine, ex Ambro-
sio Sermon 68. & Chrysost. Orat. in Princ. Apost. Et capite Pauli inuocante nomen Iesu, ex præfato Guillelmo, clara voce, & ter saltum ibi-
dem dante, erupisse dicuntur tres aquæ dulcis fonticuli: quorum primus dul-
cior laetis saporem aliqua ex parte reddit, ceteri non longè à primo, paulò diuersum gustui saporem afferunt;
quia, ut diximus, lac primò venæ de-
derunt, & inde sanguinem. Gladius hic, quo Pauli ceruix incisa fuit, seruat-
tur ab Hispanis in cœnobio S. Hieronimi de la Siffa, teste Illephonsi Gi-
ron cit. à Claudio Dausquio, *dé Pauli sanctitudine lib. 3. cap. 11.* Corpus illius, de quo suauissimus odor efflabatur,
& supra quod immensa lux micabat in
aëre, ex Petro de Natali, *libro 6. cap. 23.*
▲ Lucina in suo prædio via Ostiensi sumulatum fuit. Ipsem Paulus re-
stituit Plautillæ velum post mortem:
Neroni quoque post triduum appar-
uit, vt ei prædixerat, & consternatus
est, ex Nicephoro *lib. 2. cap. 36.* Ab
Orientalibus aliquando corpus eius sublatum fuit, vt in Orientem aspor-
tarent, sed fulmine de cælo iacto reti-
neretur Romæ; & ab eo tempore sepul-
tum esse docet, vbi nunc quiescit, san-
ctus Gregor. Papa *lib. tertio Epist 30.*
vbi etiam de catenis eiusdem illud mi-
raculum narrat, quod aliquando diu-
ducta lima per easdem, nihil penitus excurti potuit. An quia ille viuens ad
patiendum paratissimus, post mortem
quoque sit catenarum auarissimus?*

Statura illius tricubitalis erat, ex Chrysostomo loco proximè citato, fa-
cies candida, caput modicum, oculis inerat gratia multa, supercilia deor-
sum versus vergebant; nasus pulchre inflexus, idemque longior; barba den-
sior, & satis promissa, ea que non mi-
nus quam capitum coma canis aspersa
erat: corpus incuruum, & paulò infle-
xum. Hæc Niceph. *lib. 2. cap. 37.* Per-
petuò cælebs fuit, ex SS. Patribus in
1. Corint. 7.

Innumeros habuit discipulos: è qui-
bus nobiliores hi qui sequuntur, nu-
mero 120. recensiti in Romano Martý-
rologio, nimisrum,

M E N S E I A N V A R I O.

Die 4 Titus Cretenium Episcopus.

21 Publius Melitensis Episcopus
& mart.

24 Timotheus Ephesiorum.

F E B R V A R I O.

16 Caesarius Ephesiorum Epi-
scop.

M A R T I O.

14 Quadraginta septem Martyres.

15 Aristobulus Martyr.

20 Atchippus Commilito.

22 Sergius Paulus Narbonæ Epi-
scop. & Epaphroditus Tarra-
cinæ Episc.

A P R I L I.

8 Herodion, Asyncritus, Phlegon.

15 Basilissa & Anast. Martt. Rom.

29 Tychicus minister fidelis.

M A I O.

9 Hermas Romanus.

15 Torquatus cum sex alijs Martt.

17 Torpes Martyr.

19 Pu-

- 19 Pudens Senator & Pudentiana.
26 Quadratus Atheniensis.

I V N I O.

- 19 Geruasius & Protasius, *ex P. Damiani Opusc. 5.*
20 Nouatus & Timotheus, Pudentis filij.
24 Plurimi Martyres.
25 Sosipater.
27 Crescens Episc. & Martyr Galata.
30 Lucina Romana.

I V L I O.

- 1 Martinus Viennæ Episcopus.
2 Tres milites in martyrio Pauli.
19 Epaphras Colossensis Episc. & Martyr.
21 Praxedes virgo.
22 Syntyches mulier Philippensis.
26 Eraustus Philip. Episc. & Martyr.

A V G V S T O.

- 3 Lydia purpuraria.
4 Aristarchus Thessalonic. Episc.

S E P T E M B R I.

- 3 Phœbes Corinthia.
6 Onesiphorus Martyr.
16 Sebastiana Martyr.
23 Linus, & Thecla virgo & Martyr.
Xantippa & Philoxena Hispan.

O C T O B R I.

- 4 Crispus & Caius Corinthij, Hierotheus Atheniens. Episc.
6 Sagar Laodiceæ Episc. & Mart.

- 9 Dionysius Areopagita Episc. & Mart.

- 11 Zenaides & Philonilla consanguineæ Pauli.

- 13 Carpus.
18 Lucas Euang. *ex Hieron. à Paulo in Euangelio genitus.*

- 31 Ampliatus, Urbanus, & Narcissus Martt.

N O V E M B R I.

- 3 Quartus.
4 Philologus & Patrobas.
10 Tryphenna & Tryphosa, Iconienses.
21 Rufus.
22 Philemon & Apphia Colosse Martt.
23 Clemens Papa, *ex Ribadeneira.*
28 Sosthenes Corinthius Mart.

D E C E M B R I.

- 18 Rufus & Zosimus Philip. Martt.
29 Trophimus Arelaten. Episc. & Crescens Viennæ Episcopus.

F Auit denique Constantino Magno: apparuit sancto Ambrosio, ex Damasco *Oratione 2. de Imag.* Docuit sacerdos Chrysostomum, ex sancto Proculo eiusdem discipulo in eius *Vita.* Patronus & Pater est Clericorum Regularium ab anno 1528. cui summè deuincti sumus. Utinam Deus eum in nobis excitet spiritum, cui beatissimus Paulus seruuit, ut eodem nos repleti, studeamus amare quod amavit, & opere exercere quod docuit!

O I A M

D E

D E
S. BARTHOLOMAEO
A P O S T O L O.



RATIAS acturi sancto Apostolo Bartholomaeo, quo auspice, in die Festo eiusdem scribere cœpimus de sacris Ritibus, eam quæstionem examinandam duximus, quæ in summam eiusdem laudem, si piè senseris, definiri potest.

Vnica igitur esto laus, summa & vera laus, qua à Christo Domino laudatus ille fuit ijs verbis. Ecce vere *frælicita, in quo dolus non est, Joan. 1.* At, inquies, de Nathanaële fuit dictum. Ita est: sed Nathanaëlem eumdem esse ac Bartholomæum, in summam vtriusque laudem facile persuademus, tripli probato axiomate.

Primum est, *Nathanaëlem fuisse de numero 12. Apostolorum.*

Primò. Quia *Ioan. 21.* manifestauit se Christus tertio discipulis suis ad mare Tyberiadis. Quibus discipulis? Si late vocabulum sumas, erit quinta apparitio, vel saltem quarta; si propriè Apostolos intelligis, tercia verè est: at inter hos discipulos adfuit Nathanaël, *ut ibidem;* ergo Apostolus erat.

Secundò. Discipulus erat, ex loco citato, non de numero 72, quos numerat *S. Dorotheus;* ergo de duodecim.

Tertiò. Cur non Apostolus ille, qui post Andream, Petrum & Philippum quarto loco Christum nouit? Neque *Ioannes Euangelista nominat socium*

Andreas, quo cum iuerat ad Christum: nominat autem Nathanaëlem socium Philippi. An gratis? Puto quod illum tacuerit, hunc nominauerit cum Apostolis primis, ut priorum Apostolorum scriberet vocationem. Et, sicuti vocatio secunda, de qua *Matth. 4.* fuit quatuor Apostolorum; ita non sine mysterio indicare voluit, quod & prima vocatio quatuor item fuit Apostolorum.

Quartò. Ante omne miraculum & omne beneficium, confessus est Nathanaël, Christum esse Filium Dei, *Ioan. 1.* renelante Deo, ut aiunt Tertullian. *adser. Praxeam, Iren. lib. 3. cap. 11.* August. in *Ioan.* Cùm ergo, ob eamdem confessionem tardius emissam à Petro, fuerit hic constitutus Apostolorum Princeps; quis negat Apostolum, si minus Apostorum Principem, Nathanaëlem fuisse? est argum. Ruperti Abbatis.

Quintò. Laudatus à Christo super alios de innocentia sine dolo, meretur primas inter primos Christi discipulos; Christo similior alijs, qui peccatum non fecit, nec invenitus est dolus in ore eius, *1. Petr. 2.*

Sextò. Promisit illi Christus visionem Angelorum super Filium hominis, *Ioan. 1.* quæ accidit in horto Gethsemani; ubi certè non conuenere nisi Apostoli, octo remotius, tres propius Christo Domino.

Y y Septimò,

Septimò. Fuit ille de Cana Galilææ, *Ioan.* 21. ergo verisimiliter tercia die ab eiusdem vocatione, qua factæ fuerunt nuptiæ, vñā cum alijs discipulis nuptijs interfuit; & fuit testis primi Christi miraculi in Cana Galilææ. Fuit etiam vñimi oculatus testis, miraculosæ scilicet pïfationis, *Ioan.* 21. Nec deinceps vñlum aliud narratur Christi miraculum. Quærerit autem Petrus, vt Iudæ sufficiatur alter, quicunque testis esse queat, ex quo intravit & exiuit inter Apostolos Christus Iesus, hoc est, omnium ferè miraculorum Christi, à Baptismate eiusdem usque ad Ascensionem. Quis ergo aptior Nathanaële? at, cur neque nominatur cum Mathia & Barsaba? non alia de causa, quia iam erat ille de duodecim.

Octauì. In Græco Martyrologio, iussu Basiliij Imperatoris conscripto, qui imperare cœpit anno 887. habentur hæc verba Aprilis 22. *S. Nathanaël Apostoli memoria.*

Obijcies, *S. Augustinum* negare, Nathanaëlem inter Apostolos fuisse: quia legis, inquit, peritus erat. Idem ex Augustino docet *S. Gregorius*, sed, pace tantorum vitorum (cum in Historia versemur) ratio non concludit: tum quia Nathanaël pïscator erat & ipse, *Ioan.* 21. tum quia ex dialogo Philippi cum Nathanaële, *Quem scripsit Moyses in lege & Prophetis, hunc inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth*, non minus infertur Philippus legis peritus quam Nathanaël; imò magis peritus Philippus appetet: quia Nathanaël, ex textu Augustini, qui legit affirmatiuè sequentia illius verba, *A Nazareth potest aliquid boni esse*, peritorum eius temporis iudicio, imperitus legis iudicatus fuif-
dmitq. 2

set; cùm inter peritos legis illud esset vulgatum *Ioannis* 7. Scrutare Scripturas, & vide, quia à Galilæa (in qua est Nazareth) Propheta non surgit. Quòd si cum Vulgata legas interrogatiuè & dubitatiuè: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* si dubitat ille, nescit. Denique, si valet ratio Augstanti, Paulus ab Apostolatu peritissimus legis erat excludendus.

A Lterum axioma est: *Dato, quod Nathanael fuerit Apostolus, certe non alius fuit à Bartholomæo.* Docet hoc Rupertus Abbas in *Ioan.* qui ex reuelatione scripsisse multa fertur, vt ait Panicarola *loco citando*; & primus ille hoc asseruit: quem deinde secuti sunt *Ioan.* Ferus in *Serm. Cornelius Iansen, in Concordia, Onuphrius Panuini, in Fastis, Arias Montanus, Franc. Panicarola in Concion.* qui & communem esse hodie sententiam testatur, Petrus Galeſinius, *Ioan.* Oſorius in *Conc.* Nicolaus Serrarius de *Duodecim Apostolis*, Alphonsus Ciaconius de *Vitis Pontificum*, & alij. Coniectura est. Primo ex eo, quod Philippus & Nathanaël à *Ioan. cap. 1.* coniunguntur; Philippus item & Bartholomæus à *Matthæo cap. 10.* à *Marc. cap. 3.* à *Luca cap. 6.* coniunctim nominantur. Tum ex eo, quod à Ioanne quarto loco nominatur Nathanaël post Andream, Petrum & Philippum; Bartholomæus item quarto loco ab alijs Euangelistis. Nam licet præferantur Philippo Iacobus & Ioannes à Matthæo, Marco & Luca; id tamen est, vel quia de ijs narrant ob mutationem nominum cum Petro; vel ob eorum secundam, quæ solida fuit & perseverans, vocationem. Confirmatur ex eo, quod Ioseph minimus apud Surium socios facit prædicatio-

nis,

nis, & comites peregrinationis, Philippum & Bartholomæum. Præterea in Catalogo Apostolorum *Math. 10. Mar. 3. Luc. 6.*, (quod egregie adnotauit Panicarola) quamvis aliquantisper mutetur ordo; semper tamen primi septem sunt ijdem, inter quos Bartholomæus; ultimo vero loco semper reliqui quinque recensentur, Cuius rei ratio omnium Doctorum communis est; quia isti quinque ultimi non habent in Euangelio speciales vocationes descriptas, ut de ijs septem habemus in Euangelio. Quod si Matthæus nominet prius Thomam quam Matthæum, id fecit modestiae causa: solus enim dicit, Thomas & Matthæus; alij vero dicunt, Matthæus & Thomas. Si ergo eorum septem descripta est specialis vocatione, vbinam habetur Bartholomæi? Certè in vocatione Nathanaëlis, qui idem est cum eo. Genere Galilæi erant Apostoli omnes, *Act. 2.* & Nathanaël est de Cana Galilææ. Piscatores ferè omnes: & quidem Bartholomæus piscator erat, ex Theodoreto *lib. de Legibus*, & Metaphraste. Nathanaël autem cum alijs inuitatus à Petro dicente, *Vado pescari*, respondit: *Venimus & nos tecum*: ergo piscator erat. Sed demus etiam, doctissimum fuisse Nathanaëlem, & in lege peritissimum; concordat cum doctrina Bartholomæi, de quo testatur Dionys. *cap. 1. de Mystic. Theol.* doctissimum fuisse inter Apostolos. Quæ comparatio non cadit super doctrinam reuelatam, sed super acquisitam, in qua excelluit Nathanaël & Bartholomæus.

Aliæ sunt conjecturæ, quod Baro-nius anno 78. refert obitum utriusque, Nathanaëlis & Bartholomæi: si enim annis diuersis obiisse, eamdem fuis-

se personam negaremus. Neque in Historijs Ecclesiasticis diuersum aliquid reperitur, quod indicet duos fuisse viros. Si quid scribant alij, explica uti dicemus in 3. Axiomate. Idem confirmatur ex genere mortis. Nam Bartholomæus, ex Commentario Hippolyti, Metaphraste, Nicéphoro lib. 2. cap. 39. & apud Græcos in Martyrologio supra citato, affixus fuit Crucis, sicuti Petrus, Andreas, Philippus primo vocati. Si ergo est idem cuna Nathanaële, congruit affixio eiusdem Crucis, ut primi quatuor vocati in passione Christi per Crucem imitanda sint æquales: & fortè inde est, quod cum Petro, Paulo & Andrea nominatus fuit Bartholomæus in Oratione secreta Missæ, *Liber nos*, post Orationem Dominicam. quod notauimus in primo Tomo pag. 159. Crucis enim Dominicæ, quam Missa repræsentat, insigni modo quatuor hi fuere consortes. Quod si apud Latinos decorticatus creditur, potuit accidere utrumque, iuxta Lipsium *de Cruce lib. 3. cap. 12.* ubi tradit, quod ab Ægyptijs & Persis excoriabantur in Cruce. A Persis autem excoriatum fuisse Bartholomæum, scribit Panuinus in *Fastis*: sed & Armenia maior non longè distat à Persis, in qua obiisse fertur, ex Breuiario; imò & facile potuerunt esse mores communes Armenis & Persis in genere suppliciorum. Quid plura? in Breu. Venetijs impresso 1621. legitur excoriatio Bartholomæi facta in Cruce: & expressè idem docet Guillelmus Eysengreinus *Centur. 1. par. 5. dist. 7.* cum Petro de Natal. in *Historia S. Bartholomai*. Quibus positis, vide, an Christus hoc ei genus prædixerit mortis, quando di-

Y y 2 xit:

xit: *Vidite sub fico, Ioan. 1.* Sub qua fico? de qua *Ioel. 1.* *Ficum meam decorticauit, albi facti sunt rami illius.* quem locum S. Thomas Aquinas in *Serm.* explicat de S. Bartholomæo: & in ramis albis contemplor ego, quod Christus de eo testatus est, *In quo non est dolus.*

Tertium axioma est, *Nathanaël proprium nomen esse, Bartholomæus cognomen eiusdem viri, ita, ut Ioannes usus fuerit semper nomine proprio, ceteri cognomine.* Et hoc modo conciliantur Euangelistæ inter se, sine iactura nostræ sententiae.

Prima pars huius Axiomatis facile probatur: quia Nathanaël Hebreum nomen viri est, & ex modo loquendi proprium est nomen; ut videre est *Num. cap. 1. 2. 7. 10. & 1. Paral. 2. 15. 24. 26. 2. Paral. 17. 35. 1. Esdr. cap. 10.* quod Interpretatum significat, Donum Dei.

Altera pars, *Bartholomeus cognomen est*, patet: tum quia vox est Syriaica, & significat filium suspendentis aquas. Vnde, cum esset Nathanaël, ait Rupertus de Cana Galileæ, *ex Ioā. 2. 1.* in qua Christus conuertit aquam in vinum, *Ioan. 3.* coniçit, indutum illi usus hoc cognomen, tamquam filio Christi suspendentis aquas & eleuantis ad formam vini. Sicuti Iacobus & Ioannes dicti sunt Boanerges, filij tonitri: quamquam hic à Christo cognominati fuere, ille à ciuibus; eò quod Christo addicitus fuit ex multis eiusdem loci incolis. Tum quia Bartholomai est idem ac filius Tholmai, vel Tholomai. Certum est autem, Tholmai esse viri nomen, *Num. 13. Ios. 15. Iudic. 1. 2. Reg. 13. 1. Paral. 3.* item Tholomai *2. Reg. 13.* & fortasse pater Nathanaë-

lis vocabatur Tholmai, vel Tholomai. Similia cognomina habes inter Apostolicos viros. Bariona, seu Barionna, filius Ioannis. *Simon Ioannis diligis me?* *Ioan. 20.* Barnabas, qui vocabatur Ioseph, *Act. 4.* cognominabatur Barnabas, ait Lucas. Barsabas, qui & Ioseph, *Act. 1.* Bartimæus, filius Timæi, *Marc. 10.* Quid apertius? Elymas etiam magus cognominatur Bariesu, *Act. 13.* ergo pari modo Bartholomæus cognomen erat.

Tertia pars Axiomatis explicatur. Nam aliqui binomij sacerdotis cognome quam nomine appellantur; ut Barnabas, qui Ioseph, & Marcus, qui Ioannes, *Act. 12.* Petrus, qui Simon, & Matthæus, qui Leui à Luca vocatur proprio nomine *cap. 5.* Thaddeus, qui & Iudas. Quare primi tres Euangelistæ communiori usi sunt cognomine Bartholomæi; Ioannes usus, qui recondita scripsit, Nathanaëlis nomine est usus: & ea lege, ut ij numquam nomine Nathanaëlis, hic numquam cognomine Bartholomæi sit usus. Qua ratione tollitur pugnacia, & facillime conciliantur Euangelistæ.

Ceterum, quando ij non sint idem, non possum non mirari, Nathanaëlem, laudatissimum à Christo virum, Iacobo Patriarchæ, Israëli (qui videt Angelos ascendentis & descendentes) assimilatum, innocentia præclarum, testem primi & postremi miraculi à Christo editorum in hoc mundo, cui promissa fuit Angelorum visio super Filium hominis descendentiū, ita à Deo ipso deinde neglectum, ut neque corpus honoretur in terris, neque nomen habeatur in Martyrologijs; in quibus, si bene obser-

ues,

ues, nomina leguntur eorum omnium, vel minimorum, quorum fit mentio in Euangelijs, vel in Actibus, vel in Epistolis Apostolorum. Quid ergo causa est, ut nihil de Nathanaële aut scribatur aut commemoretur, nisi quia de eodem dicimus, cum de Bartholomæo loquimur?

Noui, quid de Nathanaëlis prædicatione & sepultura scripserint Fl. Lucius Dexter (si tamen est ille auctor, quod non creditur) Vincen-tius Beluac, in *Speculo Hist.* & Equilinus lib. 1. cap. 9. Sed cum ille prior, à quo alij, eum dicat obiisse anno Christi 105. Baronius autem obiisse Nathanaëlem scribat anno 78. quo & Bartholomæus, quis non videat, duos fuisse Nathanaëles? nos autem de seniore loquimur, quem cum ju-niore illi confundunt: & in te incer-ta abundare quisque potest in sensu suo.

Verè Israëlite Bartholomæus fuit, Iacobo similis, qui dum luctaretur cum Deo, hoc est, dum oraret (si Hieronymo credas) Israël est cognominatus. Orabat autem ille centies in die, centies in nocte; non modò post apostolatum, sed etiam antequam Christi esset discipulus, qui idèò tunc temporis Israëlite fuit ap-pellatus à Christo.

Adhuc, Israël sonat, ex Hierony-mo, Princeps cum Deo. Si ergo Prin-ceps cum Deo fuit Nathanaël, certè

inter eos Principes Ecclesiæ annun-crandus erit, de quibus David, Con-situtes eos Principes super omnem ter-ram. quem Versum de Apostolis ex-plicat Ecclesia. Fortis etiam cum Deo communiter hanc vocem *Israël* inter-pretantur; quia Iacob oratione vicit Denim: & oratione, ut dictum est, centies in die, & centies in nocte, vicit Deum Bartholomæus.

Denique eidem promissa fuit scala Iacob, per quam ascendebat & descen-debant Angeli, Ioan. 1. quod in Bar-tholomæo est adimpletum: qui cœlestis Doctrinæ & Euangelijs quasi sca-lam ascendens & descendens vnâ cum alijs Theologis, velut Angelis de Deo enarrantibus, formauit inde adagium illud, quod à Dionysio 4. de *Divinis nominibus* tribuitur Bartholomæo. Eu-angelium, aiebat ille, magnum est & la-tum; rursus parum & concisum: quia verè ascendimus & descendimus in doctrina sublimi & humili Christi Domini nostri.

Hæc scripsi voluimus grati ani-mi ergò in eius laudem, cuius tradi-tum nobis cognomen fuit, nomen, & omen, à die septima Octobris 1587. quo scilicet habitum regularem sancti Pauli vnâ cum nomine decorticati Bartholomæi quām lātissimè suscepimus. Quod si ad prædicta probanda non possunt singula, multa iu-uant. Boni consule, amice Lector, & vale.

Y y. 3 Ora-

Oratio dicenda ante diuinum Officium.

A Peri Domine os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum : munda quoque cor meum ab omnibus vanis , peruersis & alienis cogitationibus ; intellectum illumina , affectum inflamma , vt dignè , attente ac deuotè hoc Officium recitare valeam , & exaudiri merear ante conspectum diuinæ Maiestatis tuæ . Per Christum Dominum nostrum. *R. Amen.*

Domine in vnione illius diuinæ intentionis , qua ipse in terris laudes Deo persoluisti , has tibi Horas persoluo.

Orationem sequentem deuotè post Officium recitantibus , Leo Papa Decimus defecitus & culpas in eo persoluendo ex humana fragilitate contractas indulxit.

S Acrosanctæ & indiuiduæ Trinitati , crucifixi Domini nostri I E S V C H R I S T I humanitati , Beatisimæ & Gloriosissimæ semperque Virginis M A R I A E fecundæ integritati , & omnium Sanctorum vniuersitati , sit sempiterna laus , honor , virtus & gloria ab omni creatura , nobisque remissio omnium peccatorum , per infinita sæcula sæculorum. *R. Amen.*

V. Beata viscera Mariæ Virginis , quæ portauerunt æterni Patris Filium. R. Et beata vbera quæ lactauerunt Christum Dominum. Pater noster. Ave Maria.

L A V S D E O.

A D

Gavantus in
gas mikaliz est
15

Th

2153